# DE VENERABILI EUCHARISTIAE SACRAMENTO DECISIONES...

Giovanni Maria Chiericato

# DE VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO DECISIONES THEOLOGICO-LEGALES

AUCTORE

## JOANNE CLERICATO

PRÆPOSITO PATAVINO,

Juris Utriusque Doctore, olim in Curia Episcopali Patavina Advocato, & Promotore Fiscali, deinde Auditore, ac demum Vicario Generali.

IN QUIBUS

Non solum præcipuæ Quæstiones, ex utraque Theologia Scholastica, & Morali selectæ circa Materiam, Formam, Accidentia, ac Effectus SS. EUCHARISTIÆ tractantur; sed etiam ejusdem Sacri Ritus antiqui, & moderni circa locum, tempus, & dispositionem Ministrantium, atque Sumentium exponuntur.

Plurimæque Controversiæ, Dogmaticæ, Canonicæ, Forenses, Medicæ, & Historiales, Hoc Divinum SACRAMENTUM concernentes, explanantur.

Episcopis, Vicariis, Animarum Rectoribus, Confessariis Monialium, Religiosis, Sæcularibus, aliisque eruditionum Studiosis utiles, ac jucundæ.

*Triplici Indice Argumentorum, Controversiarum, & Rerum ornatæ.*

Ex Responsis Cleri Patavini Anno 1689. collectæ.

EDITIO SECUNDA

VENETIIS, Apud Andream Poleti, M DCC V.

SUPERIORUM PERMISSU, & PRIVILEGIO.

# AUCTORIS
## AD RR. PATAVINUM CLERUM,
### aliosque eruditos Lectores
# PARÆNESIS.

*STudium meum erga studia vestra non pauci lamentantur infirmatum, vel extinctum esse, ob retardatas has Decisiones de Venerabili EUCHARISTIÆ Sacramento, quas tota haec Patavina Diœcesis; pluresque aliæ virtutis æmulæ præstolantur: Et jure quidem; nam lustrum coolavit sub silentio, quamvis triplici de causa; nimiò scilicet pondere, quo in Vicaris Generalis munere premebar; longævis disputationibus ad firmandam concordiam inter utramque Mensam Episcopalem, & Capitularem habitis, quibus fui distractus, & corporis infirmitatibus, quæ subsequutæ sunt, & earumdem Decisionum extensionem præpedivere. Nunc in lucem prodeunt, Altarium instar, quæ à Vobis pro sacratæ Hostiæ expositione adornantur, videlicèt solemni apparatu, ac multiplici candelabrorum ordine; hoc est Quæstionum Theologicarum, atque Canonicarum, materiam, formam, ministros, ac effectus Sanctissimæ EUCHARISTIÆ concernentium: pluribus luminibus, atque lampadibus, antiquitatis Ritus circa Divinum hoc Sacramentum elucidantibus; Angelorum simulacris, munditiem tum ministrantium, tum suscipientium illud innuentibus: Florum pretiosis vasculis, amœnos casus, non fictos, sed factos, ad hunc eumdem tractatum attinentes, decideatibus: Chymiis suffitibus, suavibusque odoramentis; exemplis nempè Sanctorum, qui amore sacræ Synaxis exarseruat: tandem tapetibus aulæis, ac sacris Imaginibus; doctrinis scilicet variis ad utrumque forum spectantibus, ex Jurisprudentum, Philosophorum, Medicorumque fontibus haustis; quibus Prælati, Animarum Rectores, Confessarii, ac alii pii lectores erudiuntur in his, quæ circa Liturgiam, divinaque Mysteria eos decet agnoscere. Laborem meum, aut veriùs labores vestros grato animo, juxta*

b 2 *solitum,*

*solitum, non diffideo Vos suscepturos: præsertim ob non vulgares Controversias, non pauca Decreta Apostolica; & frequentes Historias sacras in hoc opere insertas; quibus & vestros intellectus instruere legendo; & plebes vestras edocere, Doctrinam Christianam iisdem explanando, facilè poteritis. Vestra me benignitas foveat; orationes, ac Sacrificia adjuvent; ut subsequentem de Sacrificio Missæ tractatum inceptum, quantocyùs perficerè; & ad communem consolationem; studiosorumque profectum, typis mandare valeam. Interim in præsenti compilatione si quid incultum; si quid erratum reperitis, comiter excusate, corrigite, ac valete.*

---

# NOI REFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. Fr. Ambroso Lisotti Inquisitore nel Libro intitolato: *De Venerabili Eucharistiæ Sacramento: Decisiones Theologico-legales*, Auctore Jo. Clericato Præposito, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimenti per attestato del Segretario Nostro niente contro Prencipi, nè buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Data 10. Agosto 1696.

{ Ferigo Marcello Proc. Reffor.
{ Ascanio Giustinian 2° Cav. Reffor.
{ Francesco Cornaro Proc. Reffor.

*Agostino Gadaldini Segretario.*

IN-

# INDEX ARGUMENTORUM DECISIONUM.

## DECISIONIS I.

Ad Januarii Quæsitum primum

### ARGUMENTUM

Agitur de Etymologia vocabuli EUCHARISTIÆ, & exponitur hæc vox Etymologia. Notatur secundum Juristas differentia inter Etymologiam, Allusionem, Derivationem, & Descriptionem Vocabuli. Docetur, an valeat argumentum ab his vocibus deductum.

## DECISIONIS II.

Ad Januarii Quæsitum secundum

### ARGUMENTUM

Declarantur nomina, quibus à SS Patribus consuevit nuncupari Sanctissima EUCHARISTIA, tum ut Sacrificium, videlicet, Missa, Hostia, Oblatio, Collecta, Dominicum, Agenda, Liturgia, Mystagogia, Latria, Anaphora, Dipnon, Telajon, & Telete. Tum ut Sacramentum, hoc est, Mysterium, Corpus, & Sanguis Christi, Communio, Synaxis, Corban, Eulogia, Reliquia, Confirmatio, & Viaticum

## DECISIONIS III.

Ad Januarii primum Casum

### ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus. *An Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare pro communicando moribundo?* ostenditur, quod in initio Ecclesiæ, & successivis temporibus, non nisi jejuni Sacerdotes celebrabant, & fideles pariter jejuni communicabant, quamvis Missæ essent Vespertinæ, vel nocturnæ. Abusum celebrandi, vel communicandi absque jejunio, semper ab Ecclesia damnatum, vel repressum; exceptis novem casibus, qui hic exponuntur. Inter hos definitur, non intrare casum suprascriptum Parochi non jejuni, immò eumdem Parochum esse puniendum ab Episcopo comprobatur vel suspensione à Divinis, vel Carcere, aut alia pœna arbitraria

## DECISIONIS IV.

Ad Januarii secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Sacerdoti mortali culpa detentum, qui pluribus personis EUCHARISTIAM ministrat, mortaliter peccare ostenditur, ratione, auctoritate Doctorum, & indignatione Divina in Ozam, cujus percussionis plures, & elegantes causæ referuntur. Deterrentur Sacerdotes in peccato EUCHARISTIAM ministrantes revelatione S Brigittæ, & aliis exemplis, ex optimis Auctoribus hic relatis.

DE-

# Index Argumentorum Decisionum.

## DECISIONIS V

Ad Januarii Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Recensentur rationes ad suadendas Moniales, ut frequenter Sacram EUCHARISTIAM sumant. Illæ, quæ ob nimium timorem abstinent, motivis decem, & octo confortantur. Illæ autem, quæ ob indevotionem, & tepidam vitam rarò communicant, aliis tredecim arguuntur.

## DECISIONIS VI

Ad Februarii Quæsitum primum.

### ARGUMENTUM.

Traditur definitio Sacramenti EUCHARISTIÆ; circa quam tria referuntur. *Unum* Theologicè, an essentia hujus Sacramenti consistat in Corpore Christi? An in speciebus consecratis? An in his, & illo simul? *Alterum*, Historicè quo referuntur sexdecim errores, ex tot hæresiarchis proditi contra hoc Venerabile Sacramentum, ab initio Ecclesiæ usque ad præsens. *Tertium* Methodicè, quo exarantur argumenta concludenter probantia veram, & realem præsentiam Christi Domini in EUCHARISTIA.

## DECISIONIS VII

Ad Februarii Quæsitum secundum

### ARGUMENTUM

Continet undecim non inelegantes differentias inter hoc, & alia sex Sacramenta Ecclesiæ, quarum ultima est, EUCHARISTIAM nutrire etiam corpora devotè communicantium, idque pluribus exemplis comprobatur.

## DECISIONIS VIII.

Ad Februarii primum Casum.

### ARGUMENTUM

Disputatur, an Vir Nobilis habens domi suæ Oratorium privatum ex Indulto Pontificio, possit in eo bis, terve in hebdomada communicari? Ex hac occasione plenè explicatur, quæ sint Oratoria publica, & quæ privata? Docentur utrorumque conditiones, & prærogativæ? Ostenditur, posse Episcopum ob gravem causam concedere, ut aliquando celebretur Missa extra Ecclesiam exemplo Gauslini Episcopi Patavini anno 980. in Villa Pulveraria, ubi miraculosè fuit repertum corpus Sancti Fidentii Paduani Antistitis. Probatur, Oratoria Palatiorum Cardinalium esse publica, nec non illa Episcoporum, & horum septem Privilegia à Jure concessa, recensentur. Examinatur, an Regulares possint celebrare in Oratoriis privatis? Et veritas ex optimis Auctoribus hauritur. Tandem enucleantur singulæ Clausulæ Litterarum Apostolicarum, quibus conceditur Personis Nobilibus Oratorium privatum; pro resolutione plurium dubiorum in praxi occurrentium. Deinde proposito casui de communicando Patrono in Oratorio privato respondetur.

## DECISIONIS IX

Ad Februarii secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Discutitur, an Matrona jejuna, possit hora Vesperarum ex devotione communicari? Ostenditur, olim fuisse plures species Communionis in Ecclesia, & declaratur, quæ, & qualis sit Communio Papalis? Episcopalis?

lis? Sacerdotalis? Diaconalis? Subdiaconalis? & aliorum Clericorum? Traditur quænam esset Communio laicalis? Quæ Imperatorum, & Regum? Quænam Puerorum, ac Peregrinorum, nec non Infirmorum, & Mortuorum? Inquiritur, quid essent Agapes Natalitiæ, & Funerales? Super prædictis omnibus, quidquid ex antiquis, & eruditis Scriptoribus haberi potest, pulchrè, ac compendiosè recensetur, & tandem resolvitur, Matronam prædictam posse communicari.

DECISIONIS X.

Ad Februarii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM

Agitur de quotidiana Communione; & examinatur, Quomodo, Quando, & cum Quibus personis sit licita? Quid esset in usu ab initio Ecclesiæ? Quid medio tempore aperitur. Religiosorum Ordinum institutiones, eorumdemque Fundatorum nomina, ac tempora; qui promoverunt frequentiam Eucharisticæ Communionis, referuntur. Contrariæ Theologorum Opiniones circa frequentiam Communionis conciliantur. Decretum Sacræ Congregationis Concilii diei 12 Februarii 1679 circa quotidianam Communionem laicorum ponitur, & perpenditur.

DECISIONIS XI.

Ad Martii Quæsitum primum.

ARGUMENTUM

Quæritur, quæ sit materia EUCHARISTIÆ pro consecratione Corporis CHRISTI? Ostenditur, esse Panem Azymum in Ecclesia latina, Fermentatum in Ecclesia Græca. Ne ignoretur ratio, & causa diversitatis, probatur, in utraque Ecclesia consecratum semper fuisse Panem azymum usque ad annum MLIII. quo tempore Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus cœpit consecrare in Pane fermentato. Breviter, sed concludenter discutitur acerrima hæc Controversia de fermentato, & azymo Pane. Mendum detegitur asserentium, CHRISTUM Dominum non instituisse EUCHARISTIAM luna decimaquarta mensis Martii, neque passum, & Crucifixum luna decimaquinta. Veritas aperitur, & firmatur. Orientalium argumenta evacuantur; & Ecclesiam latinam jugiter in Azymo consecrasse perhibetur: idque SS. Evangelistarum, Patrum, Conciliorum, Historiarumque testimoniis stabilitur.

DECISIONIS XII

Ad Martii Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM.

Agitur de materia consecrationis Sanguinis Domini. Exponitur, quæ sit materia dubia, quæ inepta, quæ certa? Colliguntur figuræ ex Testamento veteri circa vinum convertendum in Sanguinem Domini. Proponitur, & examinatur solemnis Quæstio, An Aqua posita in Calice transeat in naturam Vini? Id firmatur rationibus Philosophicis, & Theologicis, relatis prius Controvertistarum variis opinionibus.

DE-

## DECISIONIS XIII

Ad Martii primum Casum.

### ARGUMENTUM.

Proponit, an celebrata prima Missa in nocte Natalis Domini, licitum sit prosequi celebrationem aliarum duarum Missarum, & communicare populum ante Auroram? Explicatur, in Primitiva Ecclesia fuisse in usu Missas diurnas, & vespertinas. Item plures dies Polyliturgicos, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ celebrabantur. Mysteria triplicis Missæ in Nativitate Domini exponuntur. Tandem ad casum propositum datur negativum responsum ex rationibus à Jure Canonico desumptis, & ex Decretis Sac. Rituum Congregationis 20. Aprilis, & 7 Decembris 1641.

## DECISIONIS XIV.

Ad Martii secundum Casum.

### ARGUMENTUM

Quæritur, an liceat communicare cum speciebus Vini consecrati moribundum, non valentem deglutire sacram Hostiam? Ostenditur, in primitiva Ecclesia fuisse in usu communicare fideles sub utraque specie. Agitur de qualitate Calicum, qui adhibebantur in Missa, & pro Communione populi. Exponuntur industriæ Ecclesiasticorum veterum, ne effunderetur Sanguis Domini in communicandis laicis. Refertur, quomodo communio Calicis in desuetudine jerit; & quando fuerit prohibita laicis ab Ecclesia. Ex his negativè respondetur Casui proposito.

## DECISIONIS XV.

Ad Martii Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM

Examinatur, an aliquæ personæ devotæ sint communicandæ in die Sabbati Sancti post Missam? Rationes pro, & contra referuntur. Plures traditiones dantur circa Missam Sabbati Sancti, quæ olim de nocte celebrabatur. Resolvitur casus sub distinctione.

## DECISIONIS XVI

Ad Aprilis Quæsitum primum

### ARGUMENTUM

Proponuntur quatuor controversiæ circa formam Consecrationis Corporis Christi, *Hoc est Corpus meum*. Una ex Theologis volentibus, eam incipere debere à Verbis: *Qui pridie, quam pateretur*. Altera ex Canonistis dicentibus, esse de forma etiam illa Verba: *Accipite, & comedite*. Tertia ex Scripturistis, opinantibus, præter Verba, requiri etiam *Benedictionem*. Quarta ex Philosophis, secundum quos non videtur, posse formam proferri a multis simul consecrantibus eamdem materiam, ut fit in ordinatione Sacerdotum, & consecratione Episcopi. Referuntur plures eruditiones Ecclesiasticæ. Resolvuntur objecta, & firmatur, formam prædictam consistere in iisdem quatuor Verbis *Hoc est Corpus meum*.

DE-

## DECISIONIS XVII

Ad Aprilis Quæsitum secundum.

### ARGUMENTUM.

Agitur de Forma consecrationis Calicis. Plures Calices solitos fuisse apponere Judæos celebrantes Pascha azymorum ostenditur, atque eorum cæremoniæ referuntur. Notantur variæ opiniones Theologorum circa formam consecrationis Sanguinis; & firmatur, eam consistere in illis Verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*: Vel: *Hic est Sanguis meus*. Redditur ratio, quare dicatur. *Hic est Calix?* Et quare apposita sint reliqua verba consecrationis, ut in Canone Missalis.

## DECISIONIS XVIII

Ad Aprilis primum Casum.

### ARGUMENTUM

Disputatur, an Confessarius Monialium possit ingredi Clausuram pro frequenti Communione Monialis laborantis febre non mortali? Declaratur, quid sit Clausura Monasteriorum tum materialis, tum formalis? Agitur de ejus antiquitate, & ultima rigorosa firmitate. Discutitur, quando liceat Monialibus egredi de Clausura? Quando Viris eam ingredi? Quando accedere ad colloquendum cum Monialibus? Quæ pœnæ sint statutæ contra transgressores in iisdem Casibus? Præcipuè contra Regulares? Et resolvitur casus propositus affirmativè.

## DECISIONIS XIX

Ad Aprilis secundum Casum

### ARGUMENTUM

Inquirit, intra quot dierum spatium possit Infirmus in periculo mortis iterum communicari per Viaticum; idest non Jejunus? Agitur de obligatione communicandi in articulo mortis. Et resolvitur, prædictum Infirmum, etsi non jejunum, posse communicari etiam quotidie.

## DECISIONIS XX.

Ad Aprilis Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM

Quærit, & decidit; an melius sit communicare fideles adstantes Missæ, ea completa? An statim post Communionem Sacerdotis?

## DECISIONIS XXI.

Ad Maii primum Quæsitum

### ARGUMENTUM

Declarat, quid sit Transubstantiatio, quæ fit in consecratione EUCHARISTIÆ! Docetur, esse necessaria quinque requisita pro conversione unius substantiæ in alteram. Eaque Philosophicis, & Theologicis terminis explicantur.

## DECISIONIS XXII.

Ad Maii secundum Quæsitum

### ARGUMENTUM

Quærit, & resolvit, an in EUCHARISTIA simul cum Christo

fit Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

DECISIONIS XXIII.

Ad Mali primum Casum

ARGUMENTUM

Continet, an Parochus teneatur communicare vulneratum vulnere mortali, qui pridiè communicatus fuerat? Item alium, qui eodem mane sacram Communionem receperat? Referuntur contrariæ DD. opiniones, & conciliantur.

DECISIONIS XXIV.

Ad Mali secundum Casum.

ARGUMENTUM

Examinat, an licitè quis recipiat Communionem Paschalem in Ecclesia Regularium, Parocho invito? Agitur de Præcepto Communionis Paschalis, & de Privilegiis Regularium circa administrationem Sacramentorum. Resolvitur Casus negativè.

DECISIONIS XXV.

Ad Mali Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Investigat, quanto tempore conveniat differre sumptionem cibi corporalis post sumptam EUCHARISTIAM? Explicatur varietas Horarum pro officiis Divinis apud antiquos. Ponderatur, quamdiu species Sacramentales durent in stomacho ex Medicorum opinione, ac Theologorum.

DECISIONIS XXVI.

Ad Junii Quæsitum primum

ARGUMENTUM

Scrutatur, an Christus in EUCHARISTIA possit ab intellectu creato cognosci? Quid de Animabus beatis? Quid de Angelis? Quid de Dæmonibus? Quid de Animabus Purgatorii? Ex referuntur Exempla notabilia, & non injucunda.

DECISIONIS XXVII

Ad Junii Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM.

Ponit, an Christus in EUCHARISTIA possit videri ab oculo corporeo? Referuntur dissidentium Theologorum opiniones, ac plurium apparitionum testimonia. Quæsitum ipsum quinque conclusionibus declaratur, ac resolvitur, quid faciendum de Hostia conversa in carne visibili?

DECISIONIS XXVIII.

Ad Junii primum Casum.

ARGUMENTUM.

Examinatur, an sit Communicandus Concubinarius, qui profitetur, non amplius tangere Concubinam, sed pro gubernio domus eam tenere? Exponitur hoc nomen Concubina; declarando, quid Jus Canonicum antiquum, quid Jus Civile, quid Ecclesia hoc tempore interdicit pro Concubina? An Polygamia esset licita apud Gentiles, & apud Judæos? Casus propositus negativè resolvitur pluribus rationibus.

DE-

### DECISIONIS XXIX.

Ad Junii secundum Casum

### ARGUMENTUM

Scitatur, an Sacerdos, qui commodè celebrare non potest, seipsum possit communicare ex devotione?

### DECISIONIS XXX

Ad Junii Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Ostenditur, An Sacerdos communicandos extra Missam debeat habere Stolam? Declaratur, quid essent Stolæ apud Hebræos, & apud Romanos? Quid sint apud Venetos, & apud Ecclesiasticos? Agitur de Stolis, quas portant Parochi Paravini collegialiter incedentes; in signum quod olim erant, & adhuc sunt de gremio Ecclesiæ Cathedralis. Quare iidem Parochi nón præcedant Capellanos ejusdem Cathedralis in Processionibus? Ostenduntur prærogativæ, quas habet Parochus ob Stolam in functionibus Parochialibus; & præcipuè in funeribus, & exequiis defunctorum. Tandem deciditur, an omnes Ecclesiastici teneantur de Præcepto, feria Quinta in Cœna Domini, communicare?

### DECISIONIS XXXI.

Ad Julii Quæsitum primum.

### ARGUMENTUM.

Indagatur, quomodo in EUCHARISTIA accidentia remaneant sine subjecto? Adducuntur rationes Theologicæ, & datur similitudo Fulminis destruentis gladium, remanente intacta vagina; evacuantis vinum, intacto subsistente dolio; & absorbentis substantiam Ovi, sine offensione putaminis. Additur exemplum tecti Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe, suspensi in aere tempore Sancti Philippi Nerii.

### DECISIONIS XXXII

Ad Julii Quæsitum secundum

### ARGUMENTUM

Inquiritur, an in Calice consecrato remaneat Sacramentum, si in eo alius liquor misceatur? Theodorus Papa injecit Sanguinem consecratum in atramentarium, ut scriberet sententiam excommunicationis contra Pyrrhum Patriarcham hæreticum. Doctrina S. Thomæ de decisione Eucharistiæ ob mixtionem alterius liquoris. Quæstio resolvitur per distinctionem quinque casuum.

### DECISIONIS XXXIII.

Ad Julii primum Casum.

### ARGUMENTUM.

Edisserit, An liceat Sacerdoti celebranti, communicare laicum cum parte Hostiæ sui sacrificii? Referuntur non ignorandi Ritus antiqui circa Communionem laicorum

### DECISIONIS XXXIV

Ad Julii secundum Casum

### ARGUMENTUM

Docetur, quo in Altari ponendum sit Ciborium pro asservanda Sanctissima EUCHARISTIA? Re-

feruntur de hac re Canones, & Decreta dignissima scitu.

### DECISIONIS XXXV

Ad Julii Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Agitur de instructione puerorum, qui noviter sunt admittendi ad Sacram Communionem. Tria demonstrantur, quæ sunt in usu apud Parochos Diæcesis Patavinæ circa eamdem instructionem.

### DECISIONIS XXXVI.

Ad Augusti Quæsitum primum

### ARGUMENTUM.

Declarat, Quis sit minister consecrationis EUCHARISTIÆ? Et docet, esse Hominem Christianum, Viatorem, charactere Sacerdotali insignitum. Hine cessare facultatem consecrandi in Animabus Sacerdotum defunctorum, luculentis Historiis comprobatur.

### DECISIONIS XXXVII.

Ad Augusti Quæsitum secundum.

### ARGUMENTUM.

Elucidantur duo: videlicet, Quæ requirantur in Sacerdote ad validam, & quæ, ad licitam EUCHARISTIÆ consecrationem? Pro primo tria requiri. Pro secundo, undecim demonstrantur non ignoranda à Sacerdotibus tum sæcularibus, tum Regularibus.

### DECISIONIS XXXVIII

Ad Augusti primum Casum.

### ARGUMENTUM

Ostenditur obligatio Parochi, ut faciat ardere jugiter lampadem coram Sanctissima EUCHARISTIA. Lampadum varia symbola explicantur apud Hebræos, apud Gentiles, & apud Christianos. Discutitur, ad quem de Jure spectet, manutenere lampadem ardentem in Ecclesia? Qua pœna sit plectendus Parochus negligens circa lampadem? Refertur ex S. Petro Damiano tremenda punitio.

### DECISIONIS XXXIX

Ad Augusti secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Quod proponitur, est. An moriente Sacerdote ad Altare post consecratas species, pro quibus recondendis non est locus, neque alius Sacerdos haberi potest, qui Sacrificium compleat, & illas assumat; an, inquam, Laicus devotus, & jejunus licitè possit utrasque species consecratas propriis manibus sumere, & deglutire?

### DECISIONIS XL

Ad Augusti Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Agitur de ætate, & capacitate per Parochum attendenda in pueris, & puellis noviter communicandis.

DE-

DECISIONIS XLI
Ad Septembris Quæsitum primum.

ARGUMENTUM

Exponitur, Quæ, & Qualis intentio sit necessaria in Sacerdote, Sacram EUCHARISTIAM consecrante.

DECISIONIS XLII
Ad Septembris Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM

Traduntur signa demonstrantia, Intentionem virtualem consecrandi EUCHARISTIAM esse in Sacerdore consecrante.

DECISIONIS XLIII
Ad Septembris primum Casum

ARGUMENTUM

Discutitur, an licitè agat Clericus in minoribus ordinibus constitutus, qui absentibus Sacerdotibus, ministrat Sacrum Viaticum vulnerato mortaliter, poscenti Sacramenta?

DECISIONIS XLIV
Ad Septembris secundum Casum

ARGUMENTUM

Exploratur, an cadentibus in terram sacris particulis, dum Moniales communicantur, intra clausuram; possint colligi, & elevari à Monialibus? Vel debeat Confessarius ingredi Clausuram ad eas suscipiendas?

DECISIONIS XLV.
Ad Septembris Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM

Examinatur, an benè faciat Parochus, qui Hostiam delatam in Processione, vel expositam publicæ Orationi, dividit in quatuor partes, eas reponendo in Pyxide, distribuendas Laicis communicantibus?

DECISIONIS XLVI.
Ad Octobris Quæsitum primum.

ARGUMENTUM

Inquiritur, quinam sint effectus, quos operatur EUCHARISTIA in anima illius, qui devotè eam suscipit? Docetur esse quatuor scilicet, Augmentum gratiæ, Unionem spiritualem cum Christo, Primam gratiam aliquando; & Remissionem culparum venialium.

DECISIONIS XLVII.
Ad Octobris Quæsitum secundum.

ARGUMENTUM

Investigatur, quos effectus producat EUCHARISTIA in corpore illius, qui dignè eam sumit? Ostenditur, esse quatuor præcipuos: Refrænationem motuum carnalium. Dulcedinem spiritualem. Nutrimentum vitæ præsentis: & Futuram Resurrectionem gloriosam cum dotibus Impassibilitatis, Agilitatis, Subtilitatis, & Claritatis; quæ omnia selectis Sanctorum exemplis confirmantur.

DECISIONIS XLVIII.
Ad Octobris primum Casum.

ARGUMENTUM.

Disputatur, an qui communicat tempore Paschali, in Ecclesia Cathedrali, & non in propria Parochia, satisfaciat Præcepto *Can. Omnis Utriusque sexus. De Pœnitent & Remiss.* Proponuntur argumenta pro affirmativa opinione. Deinde pro negativa, quæ amplectitur in resolutione casus, avacuatis argumentis contrariis; & relatis non ineleganribus eruditionibus circa Cathedralem

lem Patavinam, & Congregationem Parochorum ejusdem Civitatis.

DECISIONIS XLIX
Ad Octobris secundum Casum
ARGUMENTUM

In Trutina ponitur, An peccet mortaliter Monialis, quæ Communionem Sacram semel tantùm in anno suscipit? examinatur Regula Sancti Benedicti, & declaratur, quid esset *Mixtum*, quod Lector Hebdomadarius sumebat *propter sanctam Communionem*. Referuntur Constitutiones Urbanæ pro Minoribus Conventualibus; ac Statuta Tertii Ordinis Sancti Francisci. Explicatur *Clem Ne in agro. De Statu Monachor.* Adducitur Concil Trident. *sess. 25. cap. 10. de Regular.* Et plurimæ Synodales Constitutiones circa Communionem Monialium. Rationes pro utraque opinione ponderantur, & resolvitur, abstinentiam Monialis à Sacra Communione per plures menses esse à culpa gravi inexcusabilem.

DECISIONIS L
Ad Octobris Casum Prudentialem.
ARGUMENTUM

Petitur, Utrum ad faciendam experientiam, an Mulier patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita Energumena, verè sit talis, vel potiùs Lunatica, Epyleptica, Saga, Maga, aut Pythonissa, licitum sit, eam petentem Eucharisticam Communionem fallere, porrigendo illi Hostiam non consecratam? Declaratur, qui sint Energumeni, Lycanthropi, Lunatici, Epyleptici, Magi, Sagæ, Pythones; & quibus signis prædicti cognoscantur? Exponuntur causæ, quibus Deus permittit in hac vita, homines à Dæmonibus vexari? Et an dentur remedia naturalia ad fugandos Dæmones? Referuntur opiniones Doctorum circa resolutionem casus. Narratur factum mirabile Sancti Philippi Nerii, ex consilio insignium Virorum pro experimento spiritus Venerandæ Virginis Ursulæ Benincasæ anno 1582. tempore Gregorii Papæ XIII.

DECISIONIS LI.
Ad Mensis Novemb. primum Quæsitum
ARGUMENTUM.

Quæritur, quæ necessaria sint ad licitam EUCHARISTIÆ perceptionem? & docetur, quatuor requiri in suscipiente, Fidem, Voluntatem suscipiendi, Statum gratiæ, non ex sola contritione, sed præmissa Sacramentali confessione, exceptis tribus casibus hic notatis, & Devotionem. Quæ omnia juxta sacrorum Theologorum doctrinam roborantur.

DECISIONIS LII.
Ad Mensis Novembris Quæsitum secundum
ARGUMENTUM

Statuuntur dispositiones ex parte Corporis necessariæ ad licitè sumendum Sacram EUCHARISTIAM. Quatuor eas esse demonstratur. Naturale jejunium. Modestiam vestimentorum. Facultatem deglutiendi, retinendique Sacramentum in stomacho. Et abstinentiam à copula conjugali. Tres primæ Doctorum auctoritate, & Exemplis firmantur. Remissa quarta dispositione ad Decisionem sequentem.

DECISIONIS LIII
Ad Novembris primum Casum
ARGUMENTUM

Elucidatur, quantam abstinentiam ha-

habere debeant à conjugali copula uxorati, recepturi Sacram EUCHARISTIAM. Sacri Canones de hac re allegantur, ac plures rationes; & quatuor conclusionibus Casus resolvitur. Subinde duo corollaria ponuntur. Unum de castitate conjugali primitivorum Christianorum. Alterum de pernicie immoderatæ Veneris in conjugatis juxtà Medicorum observationes.

DECISIONIS LIV
Ad Novembris secundum Casum
ARGUMENTUM.

Disputatur, An sumptio Tabacchi ante Missam, vel ante Communionem, frangat jejunium naturale, & reddat suscipientem inhabilem ad celebrandum, seu communicandum? Agitur de proprietatibus Tabacchi; & de essentia jejunii naturalis, seu Euchatistici. Referuntur historiæ de Indis, & militibus viventibus solo Tabacco, absque alio cibo. Examinantur rationes pro utraque opinione circa fractionem jejunii naturalis; & adducuntur Concilia, atque Decreta Summorum Pontificum, prohibentia sumptionem Tabacchi. Distinguuntur tres modi sumendi Tabacchum; & deciditur casus auctoritatibus, & rationibus, non solùm Theologicis, sed Philosophicis, ac Medicis.

DECISIONIS LV
Ad Novembris Casum Prudentialem.
ARGUMENTUM.

Exarantur omnes morbi, ac infirmitates, impedientes administrationem Sacræ Euchatistiæ, seu Viatici, ne irreverentia committatur in Venerabile Sacramentum. Hi morbi ad quatuor capita reduruntur. Ad defectum *usus rationis*; ut in delirio, phrenesi, & dementia. Ad defectum *respirationis*, ut in affectibus anginosis, vulgò *di Schiranzia*. Ad defectum deglutitionis, ob convulsionem, vel paralysim Oesophagi, vulgò *il Cannaruzzo*; seu ob molestissimam tussim. Et ad *stomachi ægrotationem*, ratione vomitus, singultus, volvuli, empyematis, vulgò *postema*, nauseæ, bilis, flatus, & lyenteriæ. Quæ omnia juxta regulas Medicinæ, & monita Medicorum sapientum, breviter, atque eleganter recensentur.

DECISIONIS LVI
Ad Decembris Quæsitum primum.
ARGUMENTUM.

Quæritur, quo tempore, & quo instanti temporis EUCHARISTIA gratiam conferat? Quatuor opiniones diversæ Theologorum recitantur. Et non inutilia monita communicantibus proponuntur.

DECISIONIS LVII
Ad Decembris Quæsitum secundum.
ARGUMENTUM.

Controvertitur, an Communio Eucharistica devotè sumpta proficiat ad satisfactionem pœnarum, quas communicans solvere debet, vel in hac vita, vel in Purgatorio? Declaratur, quid sit Satisfactio. Quibus operibus fiat. Quid sit satisfacere ex opere operato, vel ex opere operantis. Et resolvitur controversia cum distinctione.

DECISIONIS LVIII.
Ad Decembris Quæsitum tertium.
ARGUMENTUM.

Deciditur Quæstio, An Communio facta pro Animabus Purgatorii, iisdem prosit ad satisfactionem pœnarum? Exponuntur tria notanda. Unum, quod Animæ torquentur in Purgatorio pro satisfactione suorum peccatorum. Alterum, quod juvantur à Viatoribus per Sacrificium Missæ,

sæ, per Indulgentias, & opera satisfactoria iisdem applicata Tertium: non solùm si ipsa opera fiant ab existentibus in gratia secundùm Thomistas: sed etiam secundùm Scotistas à non existentibus in gratia. Concluditur, Communionem Eucharisticam esse satisfactoriā pro Animabus Purgatorii ex decem rationibus hic consideratis; nec non auctoritatibus, & exemplis.

### DECISIONIS LIX.
Ad Decembris primum Casum

### ARGUMENTUM

Proponitur decidendum, quot peccata committat quidam ebrietatis vitio deditus, qui die Paschatis post Sacram Communionem susceptam, vadit ad Tabernam, in qua inebriatus, defertur domum a bajulis, ubi Uxor, & filii pauperes prandium præstolantur. Explicatur, quid sit Ebrietas. Quale peccatum. Quæ pœnæ à Jure statutæ contra Ebriosos. Et resolvitur, ab Ebrio prædicto sex mortalia peccata commissa fuisse.

### DECISIONIS LX
Ad Decembris secundum Casum.

### ARGUMENTUM

Examinatur, quæ licentia sit necessaria, pro exponenda Sacra EUCHARISTIA, causa publicæ Orationis 40. horarum. Item pro eadem extra Ecclesiam processionaliter deferenda. Ulterius in quibus Ecclesiis, & qua veneratione sit asservanda. Agitur de Solemnitate festivitatis Corporis Christi, & de Processionibus in ejus Octava concessis. Referuntur Indulgentiæ à Summis Pontificibus concessæ pro eadem Solemnitate; nec non Confratribus SS. Sacramenti. Tandem discutitur grave dubium, an Confratres, qui non sunt in gratia, sed præstant obsequia præscripta in honorem Venerabilis Sacramenti, lucrentur aliquas ex prædictis Indulgentiis?

### DECISIONIS LXI
Ad Decembris Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM

Requirit industrias, & cautelas servandas à Parochis, tempore Pestis, in administrandis Sacramentis, præsertim Sacra EUCHARISTIA. Ad ornatum hujus Casus declaratur, quid sit Pestis. Quid Epidemia. Qui morbi contagiosi. Quæ horum causæ, & remedia. Et circa Pestem, ac Contagium referuntur doctrinæ selectiores Medicorum, Canonistarum, atque Theologorum, & exponuntur obligationes Episcoporum, Prælatorum, Canonicorum, Parochorum, Sacerdotum Secularium, & Regularium, nec non Laicorum tempore Pestis. Tandem deciditur, an eo tempore licitæ sint Processiones?

### DECISIONIS LXII
Ad Decembris Casum additionalem

### ARGUMENTUM

Disquiritur, Quomodo Anachoretæ, Eremitæ, aliique homines solitarii, præsertim in vastissimis desertis, reciperent Sacram Communionem, tum in vita, tum in morte? Declarantur varia genera Anachoretarum, & Inclusorum; nec non publicè Pœnitentium, Lauritarum, & Eremitarum, & eorum omnium plurima exempla dantur ex historiis sacris, non sine magno labore collecta. Tandem resolvitur Quæstio sub triplici distinctione circa Communionem omnium prædictorum. Ponitur Epistola Illustriss. ac Reverendiss. Pompei Sarnelli Episcopi Vigiliarum de eadem Quæstione. Et explicatur, quomodo prædicti Solitarii, & Inclusi adimplebant præceptum de audienda Missa?

IM-

# INDEX QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM,

## Quæ habentur in his Decisionibus.



c Com-

nem

Utrùm

INDEX

# INDEX
## QUÆSTIONUM CANONICARUM, LEGALIUM, ac VARIARUM,

### Quæ in his Decisionibus habentur.

1 Quando valet argumentum ab Ethymologia Vocabuli? Decis. 1 num 2. & seqq.

2 Qua pœna sit puniendus Parochus negligens in administratione Sacramentorum? Decis. 3 num. 9 & 10.

3 Quæ sint Oratoria Publica, & quæ Privata? Decis. 8 num. 1. & seqq.

4 An Oratoria privata gaudeant immunitate Ecclesiastica, & sint capacia pollutione? Decis 8. num 4.

5 Utrùm in Oratorio publico, habente Januam in Via publica, possit permitti aliud ostium, ex quo pateat ingressus in domum privatam, & per quod Patroni procedere possint in ipsum Oratorium? Decis. 8. num 5.

6 An Episcopus in aliquo casu possit concedere, ut Missa celebretur extra Ecclesiam? Decis 8 num 12.

7 Oratoria Palatiorum, in quibus resident Rectores Urbium, & Arcium Serenissimæ Reipublicæ Venetæ an sint publica, vel privata? d Decis 8. num 13.

8 Quinam possint celebrare in Oratoriis existentibus in domibus Cardinalium, vel Episcoporum, vel Regularium, vel Nobilium privatorum? d. Decis 8. num. 15 & seqq.

9 Quæ, & quot sint Privilegia à Jure Episcopis concessa? d. Decis. 8. n 18

10 An Episcopus possit extra suam Diœcesim celebrare Missam absque licentia Ordinarii, & dare benedictionem Episcopalem cum versu *sit nomen Domini benedictum*? d. Decis. 8 n 19.

11 Privilegia olim concessa Regularibus circa celebrationem Missæ in Oratoriis privatis, an sint revocata à Concilio Trid. d. Decis 8 num 22

12 Qua de causa, & quo tempore prohibitum fuerit Episcopis, concedere licentiam celebrandi Missam in Oratoriis privatis? d. Decis. 8. num. 23. & 24.

13 Qua de causa, & quando Summi Pontifices cœperunt sibi mutare nomen? d Decis 8 num. 26.

14 Error nominis, aut cognominis, seu Civitatis, vel Diœcesis an vitiet gratiam concessam in Breve Apostolico? d. Decis 8. num. 28

15 An Nobilis Venetus habens Breve Oratorii privari pro Civitate Venetiarum, possit eo uti etiam in Civitate Patavina, vel in Villa? d. Decis 8. num. 31. & 34.

Legis,

ſtica conjugi, qui nocte præcedenti debitum ſolvit conjugale? Deciſ. 55.

112 Quæ, & quot ſunt tempora in quibus conjuges debent abſtinere à debito conjugali? Deciſ. 53. n. 17. & 18.

113 Quæ, & quot mala proveniant ex immoderato Veneris uſu? Deciſ. 53. num. 19.

114 An Sumptio Tabacchi ante Miſſam, vel ante Communionem frangat jejunium naturalem, & reddat ſuſcipientem inhabilem ad celebrandum, ſeu communicandum? Deciſ. 54.

115 Quæ ſint proprietates Tabacchi, & quos effectus pariat ſivè ſumatur per maſticationem, ſivè per fumationem, ſivè per nares in pulvere? d. Deciſ. 54. num. 9. & ſeqq.

116 A quibus Summis Pontificibus ſit prohibitum celebraturis Sacerdotibus ſumere Tabacchum ſub pœna cenſurarum? Deciſ. 54. num. 14.

117 Quæ requirantur ad frangendum jejunium naturale? Deciſ. 54. num. 8.

118 Utrum Tabacchus habeat vim nutritivam? Deciſ. 54. num. 18. & ſeqq.

119 Tabacchus ſumptus in ore vel per maſticationem foliorum, vel per fumationem frangit jejunium naturale. Deciſ. 54. num. 19.

120 An ſola pituita poſſit nutrire hominem? Et an dentur animalia, quæ longo tempore vivant ſola pituita? d. Deciſ. 54. num. 20. & 21.

121 Quot ſint genera morborum, & infirmitatum, quibus impeditur infirmus à receptione SS. Euchariſtiæ? Deciſ. 55.

122 Delirantes, Phrenetici, & dementes quando ſint communicandi? Deciſ. 55. num. 2. & 3. ubi novem Regulæ.

123 Schirantiæ morbus ex quibus cauſis procedat, & quando impediat Communionem? Deciſ. 55. num. 5. & 6. ubi Regula pro Parochis.

124 Infirmitas ſi exiſtat in Oeſophago, vulgò *Cannaruzzo*, ſive *Canna della gola* quando deneganda ſit à Parocho Communio? Item ſi adſit nimia Tuſſis, ſeu Vomitus? Deciſ. 55. num. 8. & 9.

125 Volvulus ſi ſit factus ob ſui ſævitiem appellatus *Miſerere mei*, an ſit danda Communio ſacra illum patienti. Deciſ. 55. num. 11.

126 Habenti Flatum, Lienteriam, aut choleræ commotionem an exhibendum Viaticum Sacrum? Deciſ. 55. num. 12. & 13.

127 Suffragium quot habeat ſignificationes? Deciſ. 58. num. 6.

128 Quænam ſit Ethymologia Crapulæ? Ebrietatis? ac Sobrietatis? Deciſ. 59. num. 1. & 2. Nec non Temulentiæ, num. 4.

129 In quo differant Ebrius, & Ebrioſus? Deciſ. 59. num. 3.

130 Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra Ebrioſos? Deciſ. 59. num. 13. præcipue ſi ſint Clerici? num. 15.

131 An mulier poſſit facere divortium, ſi ejus maritus ſit Ebrioſus? Deciſ. 59. num. 14.

132 Ob quæ motiva ſervetur Sacra Euchariſtia in omnibus Eccleſiis Parochialibus? Deciſ. 60. num. 2.

133 Utrum Euchariſtia poſſit aſſervari in Eccleſiis non Parochialibus? Deciſ. 60. num. 4. & 5.

134 An expoſitio Sacræ Euchariſtiæ pro Oratione 40. horarum fieri poſſit abſque licentia Epiſcopi? Deciſ. 60. n. 9. & ſeqq. & num. 20.

135 An Regulares poſſint admittere ad celebrationem in eorum Eccleſiis Sacerdotes exteros ſine licentia Epiſco-

D F

# DE VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

## DECISIONIS I.

Ad Januarii Quæsitum primum

### ARGUMENTUM.

Agitur de Etymologia vocabuli EUCHARISTIÆ, & exponitur hæc vox Etymologia. Notatur secundum Juristas differentia inter Etymologiam, Allusionem, Derivationem, & Descriptionem Vocabuli. Docetur, an valeat argumentum ab his vocibus deductum.

### SUMMARIUM

1. *Etymologia quid significet?*
2. *Etymologia facit argumentum negativum*
3. *Allusio nominis quid sit?*
4. *Cadaver unde dicatur?*
5. *Etymologia Eucharistiæ unde sit?*
6. *Eucharistia continet sacrificia veteris Testamenti*

## QUÆSITUM PRIMUM.

*Quænam sit Etymologia Vocabuli EUCHARISTIÆ?*

Professores humaniorum litterarum Cleri nostri Patavini præmiserunt, *Etymologiam* esse græcam vocem, indagantem originem Verborum, seu vocum *Amalth. Onom. Verb. Etymologia*. Componitur enim ex ἔτυμον derivante à vocibus ἐτὸς, ἐτεὸς, ab ἐω, sive εἰμὶ, quæ significant *Quod est*. Porrò *Ens*, & *Verum* sunt ejusdem naturæ; & ideò *Etymologia* est sermo de *etymis*, hoc est oratio, qua exponitur nominis ratio. *Vossius in Etymol. ling. latin. Verb. Etymon*, ubi quod *Theologia* est quidem Sermo de Deo, *Astronomia* de astris, sed ἐτυμολογία non est sermo de nomine, sed ratio, & causa nominis, idcircò interpretatur non *Verbiloquium*, sed *Veriloquium*. 1

Parochi verò Juris utriusque Doctores addiderunt, valdè differre inter se *Etymologiam*, *Allusionem*, *Derivationem*, & *Descriptionem* Vocabuli. Siquidem *Etymologia*, ut dictum est, idem sonat, ac *Veriloquium*, eò quia Etymologando veram exponimus Vocis, sivè rei originem; exempli gratia *Mutuum* ex eo tale dicitur, quia ex *Meo* fit *Tuum*, *Testamentum*, quia est *testatio mentis*. Ecclesia *Collegiata*, quia in ea clerici *colliguntur*. Vel *Conventualis*, nam in ipsa Clerici *conveniunt*. Ideò valet argumentum in Jure ab Etymologia vocabuli, 2 sed negativè tantum, ut ex Meo non fit Tuum, ergo non est mutuum. Non est testatio mentis. Ergo non est Testamentum. Clerici non conveniunt simul, seu non colliguntur in Ecclesia, Ergo ipsa non est Collegiata, vel Conventualis. Everard. *in locis legalib. loc. 4.* Barbos. *in locis commun. loco 44. num. 1.* Decian. *cons. 43. num. 18. vol. 5.* Parisius *de Confiden. q. 26. num. 8.* & Pichard. *in disput. de Mora, num. 5.* Porrò *Allusio* est simplex consonantia 3

vocum cum nomine, ut *Possessio* quasi *Pedum positio* *Pontifex* quasi *Pontem munum faciens*. Et ex hac non deducitur in Jure argumentum concludens, neque negativè, neque affirmativè, ut probant Evoiard & Barbos. d. locis. Cyriacus lib. 11 observ. 37. idem Barbos. in collect. DD. ad cap. Fundamenta num. 18. De Elect. in 6. Cæterum *Derivatio* est demonstratio rei ab effectu, ut *Mercatus à Merce*, *Tutor à tuendo*, *Rex à regendo*. Tandem *Descriptio* est indagatio qualitatis subjecti ab ipsa voce, seu nomine. Exempli gratia: Si *Bonifacius* dicatur esse *Vir bona faciens*. *Justinianus Vir faciens Justitiam*. *Cadaver*, idest *Caro data Vermibus*, ut eruditè Hieron à Basilica Petri in *Ephemerid. sacr. die 29. Mensis Januarii pag. 631.* ac similia. Et ex his pariter non datur in Jure argumentum efficax, prout advertunt DD. supracitati, etsi apud Rhethores admittatur in Oratione juxta Aristotelis præcepta 2. *Topic. cap. 2. loc. 19.* & *ibi* P. Sylvest. Maurus *in Commentar.*

His ita præmissis, respondentes quæsito dixere, *Etymologiam* EUCHARISTIÆ venire ab εὖ, & χάρις, quarum prima dictio significat *Bonam*, secunda verò *Gratiam*, & sic *Eucharistiam* denotare *Bonam Gratiam*, ea ratione, quia continet realiter CHRISTUM, qui est plenus gratia. S. Thom. *3. p. q. 73. art. 4.* Gloss. *in clem. 1. de Privil. Verb. Eucharistiæ*. Catechism. Roman. *De Sacram. Euch. sect. 3.* ubi alia redditur ratio his verbis: *Nec verò minus aptè gratiarum actionem interpretamur (EUCHARISTIAM) siquidem cum hanc purissimam Hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus; atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit.* Et de hac abundantissima gratia, resultante ex EUCHARISTIA, qua ipsi Deo Optimo Maximo gratias agimus novissimè tractat Paul. Segneri in suo devotissimo liberculo *l'Albero della Vita consider. 4.* Et ante ipsum Emin. Card. Toletus *in Summ. lib. 2. cap. 4.* ubi demonstrat, in EUCHARISTIA contineri omnia Sacrificia populi Judaici, videlicet *Holocaustum*, *Victimam placabilem*, & *Hostiam Pacificam*, quæ Deo offerebantur in gratiarum actionem. Quapropter didici à Sacerdote meo amicissimo, pium esse in elevatione Hostiæ, & Sanguinis in Missa, mentem quoque elevare, & dicere: *Suscipe, ò Sanctissima Trinitas, hanc pretiosissimam Hostiam, & Sanguinem in honorem, & gloriam tuam, in satisfactionem peccatorum nostrorum, in gratiarum actionem pro beneficiis à tua Pietate datis, & dandis; & in suffragium Animarum Purgatorii.* Nonnulli demum adverterunt, EUCHARISTIÆ nomine aliquando *SS. Patres Basilium, Nazianzenum, & Cyprianum* enunciasse Sacramenta tùm Baptismi, tùm Confirmationis, ut notat Eminentiss. Cardinalis Biancatius in suis eruditissimis Dissertationibus *De Sacro Viat. ic. pag. 149.* & Hierolex. Macri *in Verb. Eucharistia*.

## DECISIONIS II

Ad Januarii Quæsitum secundum

## ARGUMENTUM

**Declarantur nomina**, quibus à SS. Patribus consuevit nuncupari Sanctissima EUCHARISTIA, tùm ut Sacrificium, videlicet, Missa, Hostia, Oblatio, Collecta, Dominicum, Agenda, Liturgia, Mystagogia, Latria, Anaphora, Dipnon, Telajon, & Telete. Tùm ut Sacramentum, hoc est, Mysterium, Corpus, & Sanguis Christi, Communio, Synaxis, Corban, Eulogia, Reliquia, Confirmatio, & Viaticum.

*SUMMARIUM.*

1. *Eucharistia consideratur vel ut Sacrificium, vel ut Sacramentum.*
2. *Eucharistia, ut Sacrificium, pluribus nominibus nuncupatur, ut hic.*
3. *Eucharistia, ut Sacramentum, quot, & quibus nominibus explicetur.*

QUÆ-

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*Quot, & quibus nominibus nuncupetur EUCHARISTIA?*

RESponsum fuit sub hac distinctione. Sanctissima EUCHARISTIA consideratur vel ut *Sacrificium*, vel ut *Sacramentum*. Quatenus Sacrificium est, vocatur sequentibus nominibus. Primò *Missa*, de cujus nominis significatione, & antiquitate Sperellus *in Parenesi Teleturg. cap.* 2. & Emin. Cardin. Bona *in Rerum liturgicar. lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. & nos infra *Anno* 1690. *Mense Martio quæst.* 3. Secundò nuncupatur *Hostia*, quæ in lege veteri figurabatur tàm in Victima placabili, & pacifica, quàm in holocausto, ut dictum est supra, & ostendit Eminentiss. Card. Toletus *in Summ. lib.* 2. *cap.* 4. Tertiò appellatur *Oblatio*; siquidem continet in se Agnum Mysticum, Christum Dominum, qui oblatus est æterno Patri, Agnum quidem sine macula. Pamelius *ad libr. Tertullian. de cultu fæmin. cap.* 11. Quarto *Collecta*, quia colligitur in unum populus, ut sacrificio intersit, juxta illud *Levit.* 23. & *Deut.* 16. Quintò *Dominicum*, nam maxima, & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione, & præcepto in Ecclesia peragitur. S. Cyprian. *Epist.* 63. *ad Cæcil.* S. August. *Epist.* 86. *versus finem*, & in Martyrol. *Rom.* 8. *Cal. Januar.* Sextò *Agenda*, sic enim agere præcepit Dominus in sui memoriam, ut ex Concil. Carthaginen. ex S. August. & aliis, ostendit Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 3. *sub num.* 2. Septimò *Liturgia*, idest Publicum munus. Octavò *Mystagogia*, videlicet Secreta actio. Nonò *Latria*, idest Cultus Dei. Decimò *Anaphora*, hoc est Supplicatio, & invocatio. Undecimò *Prosphora* idem ac oblatio. Duodecimò *Oeconomia* nempè Dispensatio, ut eam vocat S. Epiphanius *Hæres.* 75. Decimò tertiò appellatur *Immolatio*, quia Romani sacrificantes Victimas Idolis suis, eas aspergebant Sale, & Farre asso, quod dicebatur *Mola*, à quo verbo dictum est *Immolare*, & *Immolatio*. Ita P. Ant. Foresti *in Mappamundo tom.* 2. *libr.* 15. *cap.* 9. *pag.* 108. Demùm *Hierurgia*, idest Actio sacra. *Eulogia*, idest Benedictio. *Agathon* hoc est Bonum. *Dipnon* scilicet Cœna. *Telaion*, idest Perfectio. Et *Telete*, nempè Sacrificium mysteriorum plenum, maximum, & honoratissimum, ut pluribus auctoritatibus Sanctorum Patrum comprobat Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 3. *per totum.*

Quatenus verò Sanctissima EUCHARISTIA est Sacramentum, nuncupatur. Primò *Mysterium*, ob profunditatem mysteriorum in ea contentorum. Secundò *Corpus*, *&* *Sanguis Christi*, qui sub speciebus panis, & vini verè, & realiter continetur. Tertiò *Communio*, quia commercium cum Christo habemus, & carnem ipsius, & Divinitatem percipimus. S. Damascen. *lib.* 4. *de Fide orthodoxa cap.* 14. Quartò *Synaxis*, idest Adunatio, quia fideles simul aduuabantur ad communicandum, & christiana charitate in unione cordium vivebant, ideoque ante communionem ad invicem osculabantur, ut ex SS. Patribus notat Gratian. *Disceptat. Forens. cap.* 412. *num.* 17. Bzov. *de Sign. Eccl. Dei lib.* 14. *cap.* 5. & Emin. Card. Bona *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 21. *sub num.* 6. Quintò dicebatur *Corban*, quod verbum Arabum est, significans *Donum*, juxta illud *Marc.* 7. 11. *Corban quodcunque ex me tibi proderit.* Videatur Macer *in Hierolex. Verb. Corban.* Sextò *Eulogia* pariter significans munus. Eminen. Cardin. Brancatius *de Sacro Viatico pag.* 151. Septimò *Reliquiæ*, quia post Missam relinquitur, & conservatur in Tabernaculo ex Divo Clemente Papa. Macer *in Hierolexic. Verb. Reliquia*, ubi notat, quod in Euchologio Græco Eucharistia dicitur ἅγια λείψανα, idest *Sanctæ Reliquiæ*, & à Sancto Germano vocatur θεῖα λείψανα, hoc est *Divinæ Reliquiæ*. Octavò appellabatur *Confirmatio*, quia tempore persecutionum dabatur fidelibus, ut ea refecti confirmarentur in fidei confessione, & in martyrii perpessione. Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 4. Tandem nominatur *Viaticum*, quia est nobis, in hujus peregrinationis, & mortalis vi-

tæ via ad cœlestem Hierusalem properantibus, mirificum alimentum, & robur, maximè imminente morte. Laiman *lib 5 tract 4. cap 1 num 6.* Francisc. de Lugo *lib. 4. in princ.* ubi alia nomina enumerat Emin Card. Bona *d. lib 1 Rer. Liturg. cap* 3 & Macer *in Hierolexic Verb Eucharistia*

## DECISIONIS III

Ad Januarii primum Casum

### ARGUMENTUM

Pro resolutione Casus *An Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare pro communicando moribundo*, ostenditur, quod in initio Ecclesiæ, & successivis temporibus, non nisi jejuni Sacerdotes celebrabant, & fideles pariter jejuni communicabant, quamvis Missæ essent Vespertinæ, vel nocturnæ. Abusum celebrandi, vel communicandi absque jejunio, semper ab Ecclesia damnatum, vel repressum, exceptis novem casibus, qui hic exponuntur. Inter hos definitur, non intrare casum suprascritum Parochi non jejuni, immò eumdem Parochum esse puniendum ab Episcopo comprobatur vel suspensione a Divinis, vel Carcere, aut alia pœna arbitraria.

### SUMMARIUM

1 *Eucharistia data à Christo Apostolis non jejunis*
2 *Jejunium ab Ecclesia semper requisitum in recipienda Eucharistia*
3 *Missæ antiquitus nocturnæ, & vespertinæ*
4 *Primicerius S. Marci Venetiarum cantat Missam in nocte Nativitatis Domini, sed adhuc jejunus*
5 *Abusus celebrandi, vel communicandi absque jejunio semper repressus ab Ecclesia*
6 *Eucharistia absque jejunio sumi potest in novem casibus*
7 *Parochum non jejunum posse celebrare pro communicando moribundo alii asserunt, alii negant. Sed negativa est verior num 8*
9 *Parochus, qui non servat Eucharistiam pro infirmis, est puniendus ab Episcopo pœna suspensionis à divinis. Ac etiam pœna carceris. num 10. Vel pecuniaria. num 11*

### PRIMUS CASUS

*Ob generalem Communionem à Parocho post Missam factam, nulla remansit Hostia consecrata. Sequenti mane Parochus cassiæ diarium sumpserat, cum de Parochiano in mortis articulo constituto monetur. Quæritur, an non jejunus possit celebrare, & consecrare ad communicandum moribundum prædictum?*

Rectores Animarum hujus Patavinæ Diœcesis, quorum plures versatissimi sunt in Ecclesiastica Historia, in lectione Sanctorum Patrum, & in antiquis Ecclesiæ Ritibus, pro majori explicatione præsentis casus præmiserunt quatuor.

*Primum* quod quamvis Christus Dominus de hoc mundo discessurus ad Patrem, post esum Agni, & communem cum discipulis cœnam, adimpletis legalibus ceremoniis, ac fine imposito antiquis Sacrificiis, novum pretiosi Corporis, & Sanguinis sui instituerit Sacramentum, illudque Apostolis non jejunis fuerit impertitus, nihilominus Ecclesia, 1 ejusdem magisterio edocta præcepit, ut hoc Sacrosanctum Mysterium nonnisi à Sacerdotibus jejunis celebraretur, & à fidelibus jejunis naturali abstinentia, & (ut loquitur Tertullian *de jejun cap 6*) Virgine adhuc Saliva, tantùm exciperetur. 2 De quo præcepto, & ejus observantia, in ipsis Ecclesiæ incunabulis, & successivis temporibus inviolabiliter servata,

vata, testes sunt SS. Gregor. Nazianzen. *Orat.* 40. Basilius *hom.* 2. *de Jejun.* August. *epist.* 118. *c.* 10. 6. *ad Januar.* Chrysost. *Hom.* 27. *in Epist.* 1. *ad Cor.* & *epist.* 125. & alii plurimi relati ab Eminentiss. Card. Brancatio *in Dissertat. de Sacro Viatico*, & Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 21. & consonant textus in *can. Sacramentor.* 49. *de consecr. dist.* 1. *in can. Liquido* 54. *de consecr. dist.* 2. & docet S. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 8. & Scotus *in* 4. *sent. dist.* 8. *q.* 3.

3 *Secundum Præmissum.* Et quamvis in primordiis ecclesiæ Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ut plurimum, tempore noctis celebraretur, pro securiori accessu fidelium tempore persecutionum, & essent in usu Missæ Vespertinæ, ad paulatim extinguendum ritum Synagogæ, quæ sacrificia mane, & vespere offerre consueverat, ut latius infra in Mense Martio ad Primum Casum, nihilominus Sacerdotes celebrantes semper erant jejuni, ut constat ex S. August. *epist.* 86. *ad Casulanum*, & ex pluribus SS. Patribus deducit Emin. Cardin. Bona *d. lib.* 1. *Rerum liturgicar. cap.* 21. ubi advertit, per plura sæcula fuisse in usu nonnullas Missas nocturnas, præsertim in Sabbato Sancto, de quo S. Hier. *in Matth. cap.* 25. & Tertullian. *lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 4. & ideo in Oratione illius Missæ, in Præfatione, & in Communicantes dicitur *Sacratissimam noctem*, quia celebrabatur media nocte, & ulterius in Quadragesima, & in Vigiliis quatuor temporum Missa dicebatur hora Vespertina, protracto semper jejunio usque ad ipsam, quæ *statio sera* appellatur à Tertulliano *lib. de Jejun.* & habetur in *cap. Solent. de Consecrat. dist.* 1. prout etiam in Nocte Nativitatis Domini jejunium servabatur usque ad ejusdem noctis medietatem, in qua Missa celebrabatur *Cap. Nocte Sancta de consecr. ead. dist.* 1. quod adhuc servatur Venetiis in Basilica Ducali S. Marci, in qua circa secundam horam noctis cantatur prima Missa Nativitatis Domini à Primicerio adhuc jejuno, & in aliis Provinciis, &

4 de aliis Missis nocturnis refert eruditissimus Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. & 7. ubi notat quod post sæculum duodecimum tantummodo Missæ in diebus quadragesimæ, & jejuniorum cœperunt dici hora nona, & subinde tum universali usu, tum à Rubricis Missalis, & à Constitutione 4. B. Pii Quinti in Bullario (quæ incipit *Sanctissimus*) statutum est, ne deinceps Missæ celebrentur post meridiem, prohibitis omnino Missis Vespertinis, & Nocturnis.

5 *Tertium præmissum.* Verum tamen est, quod priscis illis temporibus vel ex aliqua honesta intentione, vel hæreticorum vafritie, aut incuria Episcoporum in pluribus Provinciis irrepserat abusus, ut aliquando non jejuni celebrarent, vel communicarent, ut de feria quinta in Cœna Domini narrat S. August. *d. Epist.* 118. Socrates *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 21. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 19. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. At ab Ecclesia fuit semper repressus, & damnatus hujusmodi abusus, contra quem prodiere plures canones in pluribus Conciliis, de quibus apud Eminentissimos Cardinales Bonam *d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 2. Brancatium *de Sacro Viatico pag.* 147. & de Laurea *in Epitome Canonum Verb. Eucharistia sub rubric. Eucharistia à quib. & qua dispositione.* Et de Lugo *de SS. Eucharistia disp.* 15. *à n.* 22. & *seqq.*

6 *Quartum* tandem *præmissum* continet casus novem, in quibus licitum est sine naturali jejunio sumere sanctissimam Eucharistiam. *Primus* est, si Sacerdos celebrans post assumptam Hostiam, vel Vinum consecratum repererit, illam, vel istum non fuisse materiam aptam, debet enim iterum consecrare, Hostiam triticeam, Vinumque verum, & licet non jejunus sumere, ut præcipit Rubrica Missalis, *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus* § 3. *n.* 5. ubi hæc redditur ratio. *Quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod à jejunis sumatur. Secundus casus* est ille, quem narrat eadem Rubrica Missalis § 10. *num.* 3. his Verbis. *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa. Si post consecrationem corporis tantum, vel ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa*

per

*per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum*. Et docuit S. *Thom 3 par q 83 art 6 ad 4* Sed, deficientibus Sacerdotibus, an laicus possit sumere Hostiam, & Sanguinem de calice in prædicto casu disputabitur infra in Mense Augusto Decis. 39 *Tertius* est *casus* si Sacerdos oblitus, se non esse jejunum, Missam inchoaverit, nam si recordetur post consecrationem, debet perficere Missam, & se communicare. Tamburin *In Metod le exp d commun cap 2. num 33* ubi id admittit, etiamsi in memoriam veniat cibus sumptus ante consecrationem, quando esset imminens scandalum, vel infamia ex doctrina Præpos. *in 3 par q 80 art 8. dub 2 n 49 Quartus* est, si post assumptam ablutionem videat in patena fragmentum, consecratum sive magnum, sive parvum, nam debet illud assumere vel in altari, vel in sacristia, tam ante, quàm post exutas vestes sacras, etiam si relictum fuisset ab alio Sacerdote. Sylvest *Verb Eucharistia 3 § 8* Marchin *de ord tract 3 par 3 cap 3 num. 19.* quem citat, & declarat Tamburin. *d cap 2. num 38. & 39 Quintus* si sit periculum irreverentiæ erga Sacramentum, puta quia hæreticus, vel sacrilegus sit in ipsum positurus manum, nam potest assumi à non jejuno Card de Lugo *disp 14. de Euchar num 3* Tamburin *ubi supra cap 1 num 76 & cap 2 num. 41* Qui *in tract de triplici Jure lib 4 cap 5 § 1 n 6.* addit, quod in tali casu posset laicus sumere è calice Sanguinem Domini *Sextus*, si particula Hostiæ consecratæ inhæret fundo calicis post assumptum sanguinem; vel palato infirmi communicati; siquidem per assumptionem vini potest fieri deglutibilis, quamvis vinum prius descendat in stomachum; nam parva illa mora censetur moraliter eadem comestio. Card de Lugo *disp 15 n. 79* Tamburin. *d cap 2. num 42 & 43 Septimus*, ob metum mortis cadentem in constantem virum, nisi Sacerdos celebret non jejunus, dummodo non sit illatus metus in contemptum Religionis, sed ut aliquis Vir potens audiat Missam Tamburin. citans Ochagaviam, & de Lugo *d. cap. 2. num 45 Octavus*, si ex justa aliqua causa Papa dispenset, prout Julium Tertium dispensasse cum Carolo V Imperatore, quod propter stomachi languorem potuisset refici sacra Eucharistia etiam non jejunus cum Bulla ann. 1554 19 Martii ex Famiano Strada *lib 1 Decad. 1 de Bello Belgico*, notat Tamburin *d cap 2. num 46* & refert Emin Card Brancatius *de Sacro Viatico pag. 147* Tandem *Nonus* casus est, articulus, vel periculum mortis; nam ait Rituale Romanum in *Rubric de Commun Infirmor Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis*, Rationem hujus Indulgentiæ reddit Emin Card. Brancatius *d dissertatione de Sacro Viatico pag. 146.* his Verbis *Pia Mater Ecclesia nobis in patriam redditurus, ut in fortitudine hujus cibi ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus, sacrum hoc Corpus, ac cæleste Viaticum (ne casus aliquis opportunum subsidium Christianis militibus, extremis horis cum Dæmone confligentibus, aliquando præripere possit) non jejunis etiam exhiberi mandavit, unitò magis existimans consonaneum, ut quis non jejunus Christi Corpus assumat, quàm (ne irreverentiam aliquam infirmus committat) absque hujusmodi Pharmaco salutari decedat* Hanc autem permissionem in usu fuisse etiam in primordiis Ecclesiæ constat ex eo, quod adultis, qui baptizabantur in periculo mortis, etiam pransis dabatur Sacra Synaxis una cum baptismo S Jo Chrysostom *Epist 125 ad Cyriac* Severus Alexandrinus *libro de Baptismo*, & Macer in *Hierolexic Verb Baptismus* Quomodo autem sit in praxi accipiendum periculum, seu articulus mortis ad effectum communicandi non jejunum docet Card. de Lugo *cit disp 15 de Euchar à num 72. & seqq* Tamburin. *dict. cap 5 §. 10.* & Gobat *in Experiment Theolog tract 4. num 182 & seqq* quos legere studiosum non pigeat

His ita præmissis deventum fuit ad resolutionem propositi casus, videlicet:

An Pa-

*An Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare ad communicandum Moribundum prædictum.*

7 RElatus fuit ingens numerus Doctorum asserentium, & negantium, posse Sacerdotem in casu proposito celebrare, quorum nomina scribunt Diana *part. 2. tract. 14. res. 66* Item *par. 3 tract. 4 res. 33* Item *par. 5 tract. 3 res. 35* Quæ resident in Coordinato *tom. 2 tract. 1 res. 130. 131 & 132* & Franciscus de Lugo *lib. 4 cap. 7 quæst. 7 num. 78* Rationes affirmantium sunt, quia Præceptum communionis in articulo mortis est Juris Divini, quod debet prævalere Præcepto Ecclesiastico de jejunio. Quia sicut Ecclesia dispensat cum ipso infirmo à jejunio, ita censetur dispensare cum Sacerdote, ut possit communicare infirmum; & sicut Sacerdos quilibet in mortis articulo constitutus potest non jejunus celebrare, ut seipsum communicet, ita pro communicando alio; siquidem ex lege charitatis quod pro nobis facimus, pro proximo facere debemus; & hanc opinionem præter cæteros tenet *Quartus in Rubric. Missal. part. 3 tit. 9. sect. 1 dub. 7* Fundamenta illorum, qui negant, hæc sunt. Esse contra reverentiam tanti Sacramenti celebrare sine jejunio, cum hoc non liceat nisi in casibus ab Ecclesia expressis. Quod si admitteremus licere sine jejunio litare, dicendum esset, fore licitum celebrare sine vestibus, sine lumine, sine altari, quod esset magnum absurdum. Quod hoc Sacramentum non est absolutè, & simpliciter necessarium ad salutem, & ejus Præceptum non obligat infirmum, quando non adest habilis minister, à quo illud recipiat, & hanc opinionem præter plures allegatos à Diana, *& a Quarto ubi supra*, amplexi sunt Azor *part. 1 lib. 10 cap. 30 quæst. 2. § sed ut constat* Barbosa *de offic. Paroch. cap. 20. num. 40* Emin. Card. de Lugo *de Eucharistia disp. 15 num. 68* Et Pignatell. *tom. 3 consult. 39 num. 2.* Quamvis utramque opinionem admittant novissimè Gobat *tract. 4. num. 334* Pax Jordan. *lib. 3. tit. 3. num. 34.* & Bissus *in Hierurgia Sacra littera S. n. 29. § 3 & 4. tom. 2 pag. 428*

8 Mihi tamen videtur omninò tenenda opinio negativa tàm in Civitatibus, quàm in Castellis, in quibus frequentes sunt Ecclesiæ tàm Sæculares, quam Regulares, ad quas haberi potest recursus, & inde deferri Sanctissima Eucharistia pro communicando moribundo; & idem videtur sentiendum in Villis, quæ parum inter se distant; sicut enim dimidium horæ ad minus requiritur, ut Sacerdos se præparet ad Missam, & celebret pro consecranda hostia, ita per unius horæ spatium, seu parum plus posset properare ad viciniorem Parochialem, ad Sacramentum Venerabile obtinendum; & ad domum infirmi deportandum. Quod si tempus non sufficiat, satis erit infirmo, sacram Synaxim spiritualiter, & in Voto suscipere. Siquidem, ut ait Gloss. *super illud 1 Cor. 11 Qui manducat, & bibit indignè &c.* Duo sunt modi manducandi; Unus Sacramentalis, & alius Spiritualis, & de hoc spirituali ita differit S. Thom. *3 par. quæst. 80. art. 1. ad 3* videlicet. *Effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum habeat in Voto, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aquæ, ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc Sacramentum antequam sacramentaliter sumant, propter desiderium sumendi hoc Sacramentum.* Et quod sufficiat moribundo, ubi non potest habere Sacramentum Eucharistiæ in re, suscipere illud in Voto, eruditè demonstrat Emin. Card. de Lauræa *de Eucharist. disp. 25 à num. 10 usque 24.*

9 Non est autem ommittendum, quod prædictus Parochus esset de Jure punibilis ab Episcopo ob nimiam negligentiam, quia sciens non remansisse in Pixide particulas consecratas, omisit celebrare, & consecrare, antequam medicinam sumeret, & hæc dicitur negligentia magna, quæ non solum est culpa *l. Magna negligentia, ff. de verb. signific.* sed etiam culpa lata, quæ æquiparatur dolo, *l. Lata culpa ubi gloss. in Verb. nimia ff. de Custodia*

*stodia exhiberi rer.* Idcircò Parochum negligentem in exhibendis Sacramentis populo suo esse punibilem, scripserant Grienzon. *cons.* 171. *per totum*, & Diaz *in Pract. Criminal. cap.* 45. *ubi in addit. in fine* subdit, vidisse in similibus negligentiis imponi pœnam suspensionis à divinis, & reclusionis ad tempus, idest carceris. Et quidem justè, siquidem ubi pœna non est statuta à Jure, imponitur arbitrio Judicis, *l. Hodie ff. de Pœnis* Charthar *decis. criminal.* 90. *num.* 13. & inter pœnas arbitrarias circa clericos primum gradum obtinet suspensio ab officio, 10 idem Chartar. *decis.* 66. *num.* 129. Quo verò ad carcerem facit doctrina Menochii *de arbitr. Jud. casu* 571. *num.* 6. 7. *&* 8. dicentis, ex negligentia non esse judicem puniendum pœna corporali, in negligentia concernente res humanas, secus si agatur de spiritualibus, & respicientibus religionem, & salutem animarum. Et quod pœna arbitraria possit extendi etiam ad corporis afflictivam, excepta morte naturali, docent ex criminalistis Jul. Clar. *§. fin. quæst.* 85. *num.* 10. Giurba *cons.* 14. *num.* 15. & ibi Card. Tuscus *liter. P. concl.* 236. *num.* 37. *&* 40. & confert ad prædicta Monald. *vol.* 2. *cons.* 32. *num.* 35. ubi plura cumulat circa pœnas Prælati negligentis.

11 Et absque scrupulo posset puniri saltem pœna pecuniaria, qua plectuntur Parochi negligentes in subministrando pueris pabulo doctrinæ christianæ, sumpto argumento de pane doctrinali ad panem Sacramentalem. Chartar. *decis.* 68. *n.* 7.

Hinc in Synodo diœcesana Eminentiss. Cardinalis Caroli Barberini anno 1685. *cap.* 9. *num.* 2. præcipitur, *ut conserventur sacræ particulæ, ea copia, ut fidelibus communicari volentibus, & maximè infirmis nunquam desint; alioquin Parochi, quorum culpa defecerint, severè puniantur.* Illa autem dicitur *punitio severa*, quæ fit cum aliquo rigore, etsi justo. Alberic. à Rosate *in suo Dictionar. Verb. Severitas*, *ubi Archidiac.*

## DECISIONIS IV.

Ad Januarii secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Sacerdotem mortali culpa detentum, qui pluribus personis EUCHARISTIAM ministrat, mortaliter peccare ostenditur, ratione, auctoritate Doctorum, & indignatione Divina in Ozam, cujus percussionis plures, & elegantes causæ referuntur. Deterrentur Sacerdotes in peccato EUCHARISTIAM ministrantes revelatione S. Birgittæ, & aliis exemplis, ex optimis Auctoribus hic relatis.

### SUMMARIUM

1 *Eucharistiam ministrare in mortali non est mortale. Contrarium verius num.* 2.
3 *Oza qua de causa percussus a Domino?*
4 *S. Birgittæ revelatio de malis Sacerdotibus.*
5 *Diaconi impudici exemplum ex S. Gregorio Turronen.*
6 *S. Eudosiæ Martyris exemplum de Eucharistia.*
7 *Pagani tangentes Eucharistiam, ab ea combusti.*

### SECUNDUS CASUS

*Sacerdos mortali culpa detentus Eucharistiam ministrat pluribus personis. Quæritur, an mortaliter peccet?*

Alios DD. affirmare, & alios negare dictum fuit. Nomina eorum, qui negant, esse peccatum mortale ministrare 1 Sacram Eucharistiam à Sacerdote mortali culpa detento, referuntur à Franc. de Lugo *de Sacram. lib.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 5. *num.* 39. & à Diana coordinato *tom.* 2. *tract.* 2. *res.* 15. desumpta ex *Part.* 2. *tract.* 14. *res.* 23. quibus adstipulatus est Barbosa *de Parocho cap.* 20. *num.* 17. Horum ratio est, quia hæc administratio non est actio causativa

fativa gratiæ per fe loquendo, & miniftrans non cenfetur Minifter Dei ad juftificationem proximè ficut in aliis Sacramentis, fed tantum eft, veluti applicans activa paffivis. Et hanc opinionem tutam in praxi vocat Gobat, etfi probabiliorem putet contrariam *in fua Theolog. Experim. tract. 4. num. 387. & 388.* Tamburin. *de exped. Comm. cap. 1. § 7. num. 59.* Et Biffus *in Hierurgia facra Verb. Eucharift. à num. 174. § 4. & § 5.* Affirmantium nomina pariter referuntur ab eodem Franc.

2 de Lugo *ubi fupra num. 40.* inter quos Angelicus Doctor *in 4. dift. 5. quæft. 2. art. 2. in quæft. 4. ad 2.* ubi tenet, Sacerdotem miniftrantem aliis Eucharifiam in peccato mortali peccare mortaliter, ea ratione quia hoc Auguftiffimum Sacramentum nunquam nifi à miniftris Ecclefiæ miniftratur, & quicunque in mortali exiftens, exhibet fe miniftrum Ecclefiæ, peccat mortaliter. Ultra quod negari non poteft, graviffimam indecentiam committi ab eo, qui in fordidiffimo ftatu peccati, & in inimicitia cum Deo, audet contrectare manibus Sacrofanctum Chrifti Corpus, ut confiderat Emin. Card. de Lugo *de Sacramentis in com. difp. 8. num. 155.* Et ideò cum hac opinione eft nobis tranfeundum, quàm amplexi funt Poffevin. *de Offic. Curat. cap. 5. n. 39.* Coroninus *Controv. celebr. lib. 2. controv. 4. num. 173.* Volpi *in Refolut. Moral. refol. 59. num. 7. & refol. 140. num. 19.* Layman *lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 7.* Bufembaum *lib. 6. tract. 1. c. 1. dub. 2. § 6.* Caramuel *in Theol. Fundament. num. 745.* Bonacina *de Sacram. Euch. difp. 4. quæft. 5. pun. 2. num. 1.* Reginald. *lib. 29. num. 56.* Sylveft. *Verb. Euchariftia 3. num. 4.* Sotus *in 4. dift. 13. art. 3.* Et præter Valentiam, Suarezium, Connichium, Villalob. & Filliuc. Bordonus *Variar. refolutionum part. 2. ref. 64. à num. 22. & feqq.* ubi acriter Dianam impugnat, atque juribus, auctoritatibus, & rationibus probat, Sacerdotem miniftrantem in peccato mortali Sacram Euchariftiam, peccare mortaliter.

3 Confirmatur hæc opinio punitione Ozæ, qui indignus tetigit Arcam Veteris Teftamenti: nam *Iratus eft indignatione Domínus contra Ozam, & percuffit eum fuper temeritate, qui mortuus eft ibi juxta arcam Dei. 2. Reg. 6. 7.* licet enim Sacri Interpretes varii fint in affignanda caufa hujus punitionis, Alii enim dicunt, punitum Ozam, quia more gentilium pofuit Arcam in curru, cum à Levitis effet portanda. Alii quia non erat veftitus Ephod; Alii, quod illam tetigit nuda manu; quod non licebat, fed mediante Velo, quo cooperiebatur, ut videre eft apud Abulenf. *de loco quæft. 10.* & apud Jofeph. *Antiq. Judaic. lib. 7.* Communior tamen opinio eft, quod Oza nocte præcedenti carnalem copulam exercuerit, & ideò immundus Arcam tetigerit, quod neque Sacerdotibus Gentilium licebat ex Macrob. *lib. 1. Saturn. c. 23.* & Menoch. *in Stromis par. 2. cap. 70.* Igitur eo magis puniendus Sacerdos novæ legis, qui mortali culpa detentus miniftrat Sacram Euchariftiam, quæ in Arca figurabatur, Sperell. *in Parænefi Teletug. cap. 35. n. 4.*

Et ad tollendam vanam fiduciam illorum, qui admittunt excufationes futiles in peccatis, referendam cenfui lamentationem, quam Redemptor nofter legitur feciffe cum S. Birgitta de Sacerdotibus in peccato mortali exiftentibus, expreffam his verbis *lib. 4. Revelat. cap. 133. num. 4.* „Audite, ò exercitus meus, & „omnes Angeli, Elegi Sacerdotes præ om„nibus Angelis, & juftis, & dedi eis „folis poteftatem, ut CORPUS „MEUM TRACTARENT. „Si enim voluiffem, potuiffem benè ele„giffe Angelum aliquem ad tale officium, „fed tantum dilexi Sacerdotes, ut eis „tantum honorem concederem, & con„ftitui eos, ut ftarent ante me quafi in „feptem ordinibus. Deberent enim effe „patientes quafi oves. Stabiles quafi mu„rus boni fundamenti. Animofi qua„fi milites. Sapientes quafi ferpentes. „Pudici quafi Virgo. Mundi quafi An„gelus. Ardentes amore quafi fponfa „ad cubile viri fui. Nunc autem aver„terunt fe peffime, funt enim feri qua„fi lupi rapaces, qui in fame, & cupi„ditate fua nulli cedunt, nulli deferunt „honorem, nihil erubefcunt. Secun-

„dò instabiles quasi lapis in muro infir-„mo, quia diffidunt de fundamento, „idest de Deo quod non possit eis dare „necessaria, vel non velit sustentare eos. „Tertiò sunt in tenebris, quasi fures, „ambulantes in tenebris vitiorum; nec „sunt audaces quasi milites ad pugnan-„dum pro honore Dei, vel ad aggre-„diendum opus virile. Quartò stant qua-„si Asinus, qui caput inclinat ad ter-„ram: sic ipsi stolidi, & insipientes, „semper terrena meditantur, & præsen-„tia, & nunquam futura. Quintò im-„pudici sunt quasi Meretrices, proce-„dunt ad me in habitu meretricio, om-„nia membra habent ad luxuriandum. „Sextò sunt quasi picæ deformiter macu-„lati; omnes, qui accedunt ad eos de-„turpantur. Septimò sunt abominabi-„les quasi vomitus, & leviùs, & meliùs, „esset mihi accedere ad vomitum, quàm „ad delectationem habendam cum eis. „Ita autem abominabiles sunt, ut omnis „exercitus cœli abominetur eos. *Et pau-„lò inferius sub n. 5. subdit.* Ergo dedi eis „tractare CORPUS MEUM, quod „nullus vestrum, si jacerem ante vos, „auderet contingere. Ideo (*concludit in „fine*) sicut Proditores, non sicut Sacer-„dotes judicabuntur, si se non emenda-„verint.

*Utinam omnes Sacerdotes frequenter, & cordatè meditarentur hujus Verba revelationis.*

5 AT devotos, & pudicos Ecclesiæ Ministros non tædeat observare sequentem narrationem Gregorii Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86.* Re-„colo (Ipse ait) quod in adolescentia „mea gestum audivi. Dies passionis erat „Polycarpi Martyris Magni, & in Ri-„comagensi Vico Civitatis Arvernæ ejus „solemnia celebrabantur. Lecta igitur „passione, cum reliquis lectionibus, quas „Canon Sacerdotalis invexit, tempus ad „sacrificium offerendum advenit: acce-„ptaque turre diaconus (*Turris erat Vas „in figura turris formatum, in quo de-„ferebatur processionaliter Eucharistia. Ma-„cer in Hierolex. Verb. Turris*) in qua „ministerium Dominici Corporis habe-„batur, ferre cœpit ad ostium, ingres-„susque templum, ut eam Altari su-„perponeret, elapsa de manu ejus, fere-„batur in aera, & sic ad ipsam aram ac-„cedens, nunquam eam manus Diaconi „potuit adsequi, quod non alia credimus „actum de causa, nisi quia pollutus erat „in conscientia, sæpiùs enim ab eodem „adulteria ferebantur admissa. En igi-tur, an liceat absque peccato ministrare Sacram Synaxim. Memorentur Sacerdotes verba Divi Joan Chrysost. *Hom. 83. in Matth. Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem tractat?* Et illa, quæ habentur *in lect. 6. Breviar.* in Dominica infra octavam Corporis Christi. *Quo* (scilicet non oportet) *solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem?* Observetur Verus Ecclesiasticus Josephi Mansii *lib. 3. cap. 4.* ubi probat, in Judam non introisse diabolum, quando turabatur, sed quando indignè recepit Eucharistiam. *Post buccellam introivit in eum Satanas. Jo. 13.*

6 Tandem legatur Vita S. Eudoxiæ Martyris, quam ponit Calendis Martii Hieronym. *à Basilica Petri* Congreg. Oratorii Neapolit. *in suis Ephemerid. sacris*. Item *in p. 5. Metamorphos. Sacr. Cassigat. 85.* & reperietur, qualiter à Diogene iniquo Judice Idololatra, in Civitate Heliopoli, Imperante Trajano, cùm damnata fuisset Eudocia Martyr ad verbera, dum quatuor milites eam vestibus exuebant, ab ejus pectore cecidit Sacra Particula EUCHARISTIÆ, quam eo tempore fidelibus deferendam concedebat Ecclesia, ut summentes illam, fortiores redderentur in tormentis. Genuflexa statim Eudocia & adorare, & sumere sacram Synaxim conabatur, ae unus militum velocior eam arripuit, exclamante Eudocia, *cave, cave, ne tangas: Deus est, Dominus omnium, tremendus, colendus, metuendus.* Irridebant illam Pagani; & Diogenes Judex, Hostiam Sacram sibi tradi à milite jubet, quam cum porrectam manu reciperet, ad instar

ftar pulveris tormentarii exarsit EUCHARISTIA in violentas flammas, quibus ipsi quatuor milites ceciderunt extincti, consumptaque evasit manus, & brachium Judicis, repleantis præ dolore per humum, & ejulantis. Huic tremendæ punitioni consimilis est illa, quàm refert Emin. Card. Bona *Rer. liturg. lib. 2. cap. 17. sub num. 4.* ex S. Cyprian. *lib. de Lapsis*, his Verbis. *Cum quædam mulier arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Refert etiam Arsdekim. *in Theolog. Tripart. tom. 1. tract. 2. cap. 4. n. 4.* Vereantur itaque Sacerdotes (si qui sunt, quod non est credendum, culpa maculati mortali) tangere, & dispensare populo Sacra Mysteria.

## DECISIONIS V.

Ad Januarii casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM

Recensentur rationes ad suadendas Moniales, ut frequenter Sacram Eucharistiam sumant. Illæ, quæ ob nimium timorem abstinent, motivis decem, & octo confortantur. Illæ autem, quæ ob indevotionem, & tepidam vitam rarò communicant, aliis tredecim arguuntur.

### SUMMARIUM

1 *Moniales ex nimio timore, vel humilitate abstinentes à frequentia Eucharistiæ, quibus rationibus suadendæ?*
2 *Amor præferendus timori erga SS. Eucharistiam.*
3 *Materia Eucharistiæ cur non aurum, margaritæ, vel lapides pretiosi?*
4 *Christiani in primitiva Ecclesia communicabant quotidiè.*
5 *Matronæ Romanæ vescentes carnibus Cervi, sanæ vivebant.*
6 *Mathildæ Ducissæ monita duo data à Greg. VII.*
7 *S. Catharina Senensis quotidiè communicabat.*
8 *S. Bonaventura ab Angelo communicatus.*
9 *S. Petrus Cælestinus divinitùs monitus, ut quotidie celebret.*
10 *Hieronymus à Basilica Petri laudatus.*
11 *Exempla plurimorum, quibus cœlitus fuit delata Communio.*
12 *Jo. Bonifacius Bagatta Cler. Reg. Theatinus commendatus.*
13 *Tepidorum in vita spirituali quæ sint mala?*
14 *Cor hominis requiritur à diabolo.*
15 *Tepidorum Religiosorum punitiones, ac terrores.*
16 *Tepidis Religiosis quæ auxilia danda?*

## CASUS PRUDENTIALIS.

*Quibus argumentis suadendæ sint ad frequentiam Sanctissimæ Communionis Eucharisticæ Moniales illæ, quas rarò eam sumere, vel difficiles ad frequenter sumendam, reperit Confessarius?*

Doctissimi hujus Cleri cum distinctione responderunt Casui huic. Vel enim Moniales rarò communicant, & sunt difficiles ad frequentiam communionis ex motivo timoris, ob summam reverentiam erga hoc Divinum Sacramentum, & ob profundam humilitatem? Vel ob libertinam vitam, videlicet, quia negligenter vivunt, neque perfectioni student Religiosæ?

1 Moniales primi generis suadendas esse dixerunt sequentibus rationibus, argumentis, & exemplis.

Primò Timorem ipsarum erga Deum esse quidem bonum, atque earum humilitatem esse laudabilem; ex hac etenim, & ex illo provenit reverentia debita Sanctissimæ Eucharistiæ, sed amorem esse

2 præferendum timori, ut docet S. Thom. *3. par. quæst. 80. art. 10. ad 3.* ubi eleganter advertit, quod, cum dixisset ob humilitatem Petrus ad JESUM, *exi à me Domine, quia homo peccator sum. Luc. 5. 8.* Respondit JESUS, *Noli timere*, sua-

 dens

dens in Petro animabus fidelibus, & humilibus, ut præferant amorem timori, & confidenter accedant ad ipsum.

Secundò. Hinc laudabilis quidem fuit reverentia Centurionis, eiusque humilitas dicentis, *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: sed laudabilior videtur amor, & fiducia Zachæi, qui cum audiisset, Dominum velle ad ejus domum venire, *Festinans descendit, & excepit eum gaudens*. Luc. 19. 6.

Tertiò. Ideircò docendæ sunt, atque instruendæ moniales timidæ, sed humiles, & devotæ, quod earum amantissimus Sponsus CHRISTUS summopere desideravit ab initio suæ Incarnationis pascere divina carne sua animas fideles. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Luc. 22. 15. Et hoc jam desiderare in præsenti circa ipsas, quas propterea vocat, & invitat ad frequentem sumptionem sui pretiosissimi corporis dicens: *Venite, comedite panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis*. Prov. 9. 5.

Quartò. Et hanc esse causam, ob quam CHRISTUS Dominus communem materiam, Panem scilicet, & Vinum, in suum Corpus, & Sanguinem selegit transubstantiandam, non autem margaritas, aurum, vel lapides pretiosos, prout videbatur convenire tanti mysterii dignitati. Licet enim celebraverit in *Cœnaculo strato magno*. Luc. 22. 12. & in calice ex Agathe, ut notat Victorell. *in addit. ad Aphorism.* Emanuelis Sà, *Verb. Calix*. Vel potius in Calice Argenteo, qui in Cathedrali Valentiæ servatur. Baron. *Ann. 34. num. 63.* Card. Bona *Rerum liturgicar. lib. 1. cap. 25.* Barrad. *tom. 4. lib. 2. cap. 11.* & Menoch. *in Stromat. centur. 6. cap. 38.* Nihilominus pro materia elegit Panem, & Vinum, ut facilis esset ipsa materia ad inveniendam, consecrandam, & animabus justis porrigendam per manus Sacerdotum, quibus etiam liberam reliquit facultatem consecrandi absque restrictione quantitatis materiæ, ut magis nos certiores faceret, desiderare, quod omnes fideles frequenter Eucharistiam sumant, S. Thom. 3. *par. quæst. 74. art. 3. in corp.* juxta vaticinium illud: *Venite, & emite absque argento*. Isa. 55. 1.

Quintò. Sicut enim Rex generosissimus, qui Regnum suum percurreret, ut donis ditaret plebem, Cives, atque nobiles, lætaretur valdè videns eosdem ad se properare. Ita DEI FILIUS, qui habet in femore suo scriptum *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Apoc. 19. 16. concessione suipsius in Eucharistia locupletes facit sensus corporis nostri, tamquam plebem, illos aptos reddens æternæ beatitudini. Sanctificat inferiores potentias tanquam cives per suam gratiam, & illustrat potentias superiores, intellectum scilicet, & Voluntatem, gradum nobilium obtinentes, easque charismatum donis condecorat, *Ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Joan. 10. 10. Hæc autem omnia elargitur immenso amore, & charitate, & accedentes rem gratissimam faciunt illi, qui *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Ps. 110. 4.

Sextò. Imò amantissimus Dominus fecit se in Eucharistia similem matri, vocanti ad se pueros sum per ostensionem mamillarum, juxta illud: *Mamilla Regum* (idest Angelorum) *lactaberis*. Isa. 60. 16. Et illud: *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*. Psal. 77. 25. Et ideò ut diximus dulcè clamat, & amanter invitat: *Venite comedite panem meum & bibite Vinum, quod miscui vobis*. Prov. 9. 5.

Septimò. Sed frequenter sumere oportet Sanctissimam Eucharistiam, ut peccata evitemus, sic suadentibus Doctoribus Sacris, relatis ab Angelico 3. *p. quæst. 80. art. 10. in corp.* Idcircò primitivi Christiani sanctè vivebant, quia quotidie communicabant, *Erant enim perseverantes in communicatione fractionis panis*. Act. 2. 42. Et eos consulere monemur ab oraculo Divino in illis verbis: *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*. Jerem. 6. 16. Inter Indos dicuntur esse aves incorruptibiles, quæ aromatibus herbis vescuntur. Ita anima fidelis

fidelis præservatur à putredine peccati, quæ pascitur Eucharistico cibo *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Jo 6.58.

Octavò Hortandæ sunt etiam moniales ex nimio timore, & reverentia abstinentes à communione Altaris hac vulgari, sed valida ratione, quod sicut ex defectu cibi corporalis deficiunt vires corporis, ita ex neglectu spiritualis alimoniæ animæ virtutes debilitantur. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Psal. 101. Apes diu vivunt, quia cibo saluberrimo nutriuntur, nempe melle. *Arist. de longit. vitæ cap. 3.* Igitur frequenter communicent, ut vires habeant ad vitam spiritualem servandam.

Nonò Quod si dicant, pluribus agravatas esse infirmitatibus spiritualibus, addat Confessarius id, quod testabatur S. Ignatius Martyr *Epist. 14. ad Ephes.* scilicet, *Eucharistiam esse medicamentum purgans vitia, & omnia mala expellens.*

Decimò iterum iisdem considerandum proponat, militiam esse vitam hominis super terram. *Job 7.1.* At panem Eucharisticum esse mysticum gladium ad pugnandum, quem in spiritu vidit Gedeon Dux exercitus *Jud. 7.* & de eo dicitur *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Psal. 22.6.* Et jure quidem valet ad debellandos inimicos spirituales, tum quia continet ipsum CHRISTUM, *cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra.* Matth. 28. 18. tum etiam quia repræsentat ejus Sanctissimam Passionem, per quam attriti sunt dæmones, & ad ejus memoriam contremiscunt.

Undecimò Et equidem ad tuendam animæ, & corporis puritatem, quam præsertim decet Virgines sacras, necessaria est Eucharistiæ frequens sumptio, quæ est *Panis electorum, & Vinum germinans Virgines.* Zacchar. 9. 17. ut disertè probat S. Thom. *3. part. quæst. 79. art. 6. & opuscul. 48. cap. 7.*

Duodecimò Narret Confessarius his 5 monialibus, quod scribit Plinius *libr. 8. cap. 32.* videlicet, Romæ *quasdam Principes fœminas, omnibus diebus matutinis carnim Cervi degustare solitas, longo ævo caruisse febribus.* Ostendat deinde CHRISTUM Dominum assimilari Cervo à Sponsa. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Cant. 2. 9. ideoque moniales vescantur sæpe sua pretiosa carne, ut liberentur à febre culparum. *Hoc enim Sacramentum est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.* Concil. Trident. *sess. 13. cap. 2.*

Decimò Tertio Seriis, gravibusque verbis ulterius exponat, esse diaboli astutiam, dum fidelium animæ suggerit, abstinere diu à Communione, sub reverentiæ prætextu, juxta præceptum S. Cyrilli Alexandrini *lib. 4. in Joan. cap. 17.* scribentis *Caveamus, ne loca liquet damnosam religionem diabolus nobis prætendat.* Siquidem errat, qui *non mundiciam animi, sed intervalla temporis longioris, meritum putat,* ut docebat S. Joan. Chrysost. *Hom. 5. in Ep. 1. ad Timoth.*

Decimò Quarto Confessarius doceat 6 Moniales suas id, quod Gregorius Papa Septimus scripsisse Mathildæ Ducissæ refert Cardin. Baron. *anno 1074. num. 12. & 13.* videlicet, duo prodesse ad perfectionem christianam acquirendam, frequentiam scilicet sanctissimæ Communionis, & devotionem erga DEIPARAM.

Decimò Quinto iisdem narret, qualiter 7 Sancta Catharina Senensis quotidie ex Divini Sponsi monitu communicabat. S. Antonin. *3. part. Hist. tit. 23. cap. 14. § 8.* & aliquando ad os illius Sacratissimam Hostiam fuisse miraculosè allatam.

Decimò Sexto Sanctum quoque Bona- 8 venturam, dum in juvenili ætate abstineret præ nimia reverentia, & timore à Sacræ Synaxis sumptione, eam fuisse sibi ab Angelo oblatam, & ad frequenter sumendam exhortatum. *Sur. in ejus Vita tom. 3. die 13. Jul. Et in Chron. S. Franc. par. 2. lib. 2. cap. 2.* Prout etiam S. Petrus Cœlestinus cum statuisset præ humilitate abstinere à frequenti celebratione Missæ, monitus fuit cœlesti quadam Visione, ut quotidie celebraret, Ribadeneira *in ejus Vita in extravag. die 19. Maii.*

Deci-

Decimo Septimò, Legat Confessarius Sacras Ephemerides, idest Vitas Sanctorum extravagantes conscriptas à supradicto Hieronymo *Basilica Petri* (qui olim nobilis Aulicus Eminentissimi Præsulis nostri, pius nunc est Presbyter Congregationis Oratorii Neapolis) & inveniet exempla plurima, eaque pulcherrima, narranda prædictis Monialibus devotis, sed timore perterritis, ut eas suadeat ad communicandum frequenter, nam *die 5. Januarii num.* 13 Sanctus Gerlacus Eremita fuit ab Angelo communicatus. Beatæ Ivettæ, cum quidam Sacerdos recusasset illam communicare, apparuit S. Joannes Evangelista, qui Missam celebravit, & ei Sacratissimam ministravit Eucharistiam. *Die 13 Januarii num.* 28. Beata Veronica Monialis Mediolanensis pluries ab Angelis, bis à CHRISTO Domino fuit sacra Communione refecta. *Dicta die 13 Januarii num.* 8. S. Apollonius Abbas hortabatur suos Monachos, ut frequentissimè Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini sumerent. *Die 25 Januarii num.* 12. Beata Joanna de Valois, filia Ludovici XI. soror Caroli VIII. & Uxor Ludovici XII. Regum Franciæ devotissima erat Sanctissimæ Communionis. *Die 14. Februarii num.* 5. Sanctus Lodanus Peregrinus communicatus fuit ab Angelis. *Die 12. Februarii num.* 2. B. Juliana Priorissa Montis Cornelii, Leodii, vocabat EUCHARISTIAM delicias gutturis sui. *Die 5. Aprilis num.* 5. Ven. Ida Virgo Lovaniensis tanto desiderio expetebat communicari, ne sibi frangeretur pectoris vena. *Die 13. Aprilis num.* 7. Et tanta exultabat lætitia in conspectu Sacratissimæ Hostiæ, ut freneticа reputaretur. *ibid. num.* 13. Et aliquando, cum repetisset apertum Tabernaculum impetu amoris acta Pixidem extraxit, in qua Sanctissimum Corpus CHRISTI servabatur, & adoratione facta, non cessabat Pixidem osculari, ad suas genas admovere, & stringere ad pectus. *ibid. num.* 17. Cumque semel accederet ad communionem, & perterrita à consideratione Majestatis Divinæ, & propriæ suæ indignitatis, vellet recedere, apparuit illi Deipara, ac Evangelista Joannes, illamque associantes ad accipiendum sacrum CHRISTI Corpus duxerunt. *ibidem num.* 23.

Decimo Octavò. Tandem Confessarius legat Admiranda orbis Christiani per Joannem Bonifacium Bagattam Clericum Regularem Theatinum collecta (opus utique admirandum ob nimiam lectionem, eruditionem, & quasi infinitorum prodigiorum exempla prodigiosum) & in eis *tom. 2. lib. 3. cap. 3. § 4.* reperiet, plures Sanctas, & devotas Virgines, ex humilitate non audentes accedere ad Sacram Eucharistiam sumendam, fuisse tum ab Angelis, tum à CHRISTO Domino eadem refectas, ex quibus exemplis abundè honari, & confortari poterunt Moniales hisce temporibus ad frequentiam Venerabilis Sacramenti, ob eximiam, & ineffabilem benignitatem Salvatoris, qui illud instituit, non ut clausum servaretur in Pixide, sed ut ab animabus puris, & devotis reciperetur, se quibus oblectare posset, juxta illud: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Prov. 8. 31.

Moniales verò secundi generis, quæ rarò communicant, eò quia libertinam vitam ducunt, negligenter vivunt, & non satagunt religiosæ perfectionis, suadendas esse ad frequentiam Sanctissimæ Communionis, dictum fuit, sequentibus rationibus.

Primò quia Monialis tepida Deum inhonorat, & ei displicet, undè dicitur causare vomitum, & nauseam Altissimo juxta illud Apoc. 3. 16. *Quia tepidus es, ego incipiam te evomere ex ore meo.*

Secundò quia obtenebrat pulchritudinem, & splendorem totius Communitatis, & Monasterii, est enim Monialis indevota tanquam filius inobediens, sponsa infidelis, & miles Indisciplinatus, qui militarem ordinem perturbat.

Tertiò, quia privat se ipsam donis, & Charismatibus cælestibus, & se præcipitat in Cordis duritiem, & finalem impœnitentiam, rem quidem miserrimam, juxtà illud: *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. 17.

Quartò,

Quartò, quia Monialis vitæ tepidæ, & & indevotæ dat scandalum aliis, & præcipuè adolescentulis, quæ de facili imitantur ejus exemplum. Scriptum est autem: *Væ homini illi, per quem scandalum venit* Matth. 18. 7.

Quintò, ideircò ei inculcandum, quod *arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Matth. 7. 14. Undè S. Teresia *in Advent.* 14. *pag.* 319. *epist. par.* 1. ait: *Amo più, e cammino con più rettitudine, perche il Camino è stretto.* Ideò tantùm abest ut liceat tepide vivere, quod imò oporteat, *pro justitia agonizare, & usque ad mortem certare pro Justitia*. Ecclesiastic. 4. 33. Siquidem, ut ait Apostolus 2. *Timoth.* 2. 5. *Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit.*

Sextò ulterius innuendum esse hujusmodi Moniali, quòd Deus postulet cor ejus, dicens: *Fili præbe mihi Cor tuum?* Proverb. 13. 26. Diabolus autem conatur sibi illud arripere. Hinc S. Antonius Abbas cum invenisset diabolum insidiantem inter suos Monachos, & interrogasset, quid prætenderet ab illis? Respondit diabolus: *Prætendo medium lunæ, oculum bovis, & quartam partem vitæ*, & evanuit. Orans autem S. Abbas intellexit, quòd diabolus prætendebat cor Monachorum expressum à diabolo supradictis Verbis, quæ denotant has tres literas C. O. R. Undè quidem Poeta cecinit:

*Dimidium sphæræ, sphæram cum Principe Romæ*
*Postulat à nobis divinus conditor Orbis.*

Ut refert Episcopus Osmen. *in* 1. *partem Epistolar. S. Teresiæ, in adnotat. ad Admonit.* 18. *num.* 8. 9. & 10. *pag.* 328.

Septimò, addendum, quòd Patres Eremi, teste Cassiano *lib.* 10. *Monastic. Instit. cap.* 1. docebant, tepiditatem vitæ esse Dæmonium Meridianum, de quo in Psal. 90. tum quia tentat in viridi ætate, tum quia transformatum in Angelum Lucis impedit, ne Religiosa tepida cognoscat periculum vitæ suæ, ut tradit Aretius *tom.* 7. *pag.* 656.

Octavò, subinde oportet admonere Moniales tepidas, & se subtrahentes à frequentia SS. Communionis, manifestum esse signum, cùm infirmus cibum respuit; & esse scriptum, quod *Anima saturata calcabit favum.* Proverb. 27. & cùm Deus punire voluit Hæbreos *misit saturitatem in Animas illorum*. Psal. 105. 15. idest morbum saturantem, ut notat Genebrard.

Nonò terrendas hujusmodi Moniales, & revocandas esse à tepiditate prædicta, quia eam sequitur violatio Castitatis; undè scriptum est: *In lapide luteo lapidatus est piger.* Ecclesi. 22. 1. unde Sanctus Bonaventura ait: *Lapis luteus potest dici peccatum immundum, ad quod Accidia fecit Hominem pronum*, ac etiam Poeta cecinit:

*Quæritur Egistus quare sit factus adulter?*
*In promptu causa est: desidiosus erat.*

Quapropter etiam in Paradiso voluptatis injunctum fuit Adæ; ut *operaretur*, Genes. 2. 15. quia Religio Paradisus est, & Religiosa debet operari, & à desidia, & tepiditate cavere, quod etiam comprobatur ex eo, quia super Altare Domini Panes propositionis debebant esse Calidi, 1. Reg. 21. 6.

Decimò: Ideircò Confessarius debet efficaciter hortari tepidas Moniales, ut fervorem, & calorem Spiritus assumant, & se disponant accedere frequenter ad sacram Mensam; alias timeant, ne pereant, cùm scriptum sit: *Qui elongant se à te peribunt* Psal. 72. 27. Et Petrus cecidit, ac Magistrum negavit, quia in ejus passione (cujus memoriale est Eucharistia) *sequebatur eum à longè*. Luc. 22. 54.

Undecimò addendum per Confessarios, ut prædictæ Moniales tepidæ expectent senectutem, pro devotione habenda, siquidem *Qui convertentur ad Vesperam famem patientur, ut Canes*. Psal. 58. 7. Et Virgines fatuæ; quia tardaverunt ornare lampades suas Oleo fervoris, & devotionis, audierunt sponsum dicentem sibi: *Nescio vos* Matth. 25. 12. Ideòque; *Hodie si vocem Domini audieritis nolite obdurare Corda vestra*, Psal. 94. 8.

Duodecimò addenda sunt exempla, quibus Sancti Patres animadverterunt in Religiosos tepidos, nam Sanctus Pacomius Abbas prohibuit exequias super Monacho tepido defuncto, ut in ejus vita *cap.* 39. Filius, qui obtinuit à Matre, ut tali-

ne telonionem ingrederetur, dicendo *velle salvare Animam meam*, cùm declinasset à fervore spiritus, habuit Visionem, in qua raptus antè Dei tribunal judicandus, & condemnandus, vidit Matrem suam, & vacivit eam sibi exprobrantem, *ità salvasti Animam tuam?* Ruffin *de Vitis Patrum lum* 213 Alius Monachus tepiditate spiritus correptus cùm parùm post obiisset, visus fuit ab ejus Magistro orante, quòd trahebatur per flumen igneum Menoch *Hyst Sacr p* 3 § 235 Qui § 303 subdit, Sanctam Birgittam virginem Scotam vidisse Satanam jacentem propè Monialem, quæ desidia, & torpore in Religione vivebat, ex Sur *in ejus Vita Kal Februar* Et Sanctus Ignatius Religiosum tepidè operantem redarguit dicens *Sic pro Deo operaris?* Philagia *Trattenment* 30. *pag* 396

16 Decimò Tertiò ultra monita, & exempla hucusque adducta prudentis Confessarii intererit proponere auxilia, quibus Moniales tepidæ, & indevotæ fervorem acquirant, & devotionem Hæc erunt, ut suscipiant voluntarias pœnitentias, quotidianas aliquas mortificationes, vel in comedendo, vel in silentio servando, vel à collocutoriis abstinendo, ex quibus paulatim accendetur in earum cordibus amor, & fiducia erga Deum, & devotio erga SS Eucharistiam, quam frequentantes ex obedientia ipsius Confessarii, florebunt sicut Palma; & tamquam Sponsæ dilectæ, die, ac nocte, desiderabunt Angelorum pane saturari, juxtà illud. *In Lectulo meo quæsivi quem diligit Anima mea* Cantic 3 1, *tenui illum, & non dimittam*, & repletæ amore divino, quæ priùs tepidæ erant, frequenter exclamabunt *O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo de Cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes* Antiph *ad Magn in pr Vesp in fest Corpor Christi*

Ultimò, ubi reperiretur aliqua Monialis ita contumax, ut hortatu non posset rationibus, & exemplis ad frequentiam Sanctissimæ Communionis eidem esset notificanda obligatio, quàm ex præcepto tenet, vi professionis, ut fusiùs probatur infra in *Decis* 49

## DECISIONIS VI

### Ad Februarii Quæsitum primum

### ARGUMENTUM

Traditur definitio Sacramenti EUCHARISTIÆ, circa quam tria referuntur. *Unum* Theologicè, an essentia hujus Sacramenti consistat in Corpore Christi? An in speciebus consecratis? An in his, & illo simul? *Alterum*, Historicè quo referuntur sexdecim errores, ex tot hæresiarchis proditi contra hoc Venerabile Sacramentum, ab initio Ecclesiæ usque ad præsens *Tertium* Methodicè, quo exarantur argumenta concludenter probantia, veram, & realem præsentiam Christi Domini in EUCHARISTIA.

### SUMMARIUM

1 *Eucharistiæ Sacramenti definitio*
2 *Essentia Sacramenti Eucharistiæ in quo consistat?*
3 *Opiniones tres circa essentiam Sacramenti Eucharistiæ*
4 *Errores hæreticales sexdecim circa SS. Eucharistiam*
5 *Judas Iscariotes primus hæreticus contra Eucharistiam*
6 *Argumenta probantia veritatem SS Eucharistiæ*

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quid sit Sacramentum* EUCHARISTIÆ?

1 Responsum fuit, Sacramentum Eucharistiæ *esse signum sensibile Corporis, & Sanguinis Christi, veraciter contentis sub speciebus Panis, & Vini, post Con-*

secra-

*secrationem factam à Sacerdote, sub certis verbis, cum debita intentione prolatis ex institutione divina, significantibus Corpus Christi sub eis realiter contineri.* Quæ quidem definitio est Scoti *in 4. dist. 8. q. 1. sub A.* quam referunt Mastrius *ibid. disput. 3. q. 1. num. 1.* & Eminentiss. Card. de Laurea *in 4. lib. sent. tom. 1. disput. 17. num. 6.*

Circa quam definitionem tria reperi notabilia ab eruditissimo Clero Patavino in responsionibus deprompta. *Primum* spectans ad Theologos speculativos. *Secundum* ad Ecclesiasticos Historicos. *Tertium* ad Missionarios Apostolicos.

2 *Primum notabile* spectans ad speculativos Theologos fuit, in quo verè, & propriè consistat essentia Sacramenti Eucharistiæ? Cùm enim ad hoc Sacramentum perficiendum multa concurrant, scilicet Consecratio, Corpus, & Sanguis Christi, Species consecratæ, & Usus, sive sumptio Sacramenti, disputant Theologi, in quibus ex istis omnibus essentia Sacramenti Eucharistiæ propriè, & intrinsecè consistat? Et quidem relictis opinionibus Novatorum, qui docuerunt consistere vel in sola Consecratione, vel in sola Sumptione ad tradita per Mastrium *in Theologia Moral. disp. 18. num. 4.* Castrum *de Heresib. verb. Eucharistia Heres. 11.* & Eminentiss. Bellarmin. *lib. 4. de*

3 *Eucharistia.* Tres sunt Opiniones Catholicorum circa præsentem quæstionem, ut notat Less. *in Opusc. posthum. de Sacramento Eucharistiæ quæst. 73. art. 1. num. 7.* & Colleg. Salmanticen. *tom. 10. de Sacramen. in genere tract. 4. cap. 1. dub. 2. num. 13.* Prima est, quod essentia hujus Sacramenti consistit in Corpore Christi, quod continetur in recto sub Eucharistia, ut videtur sentire Thomas Valdensis *tom. 2. de Sacrament. cap. 21.* Suar. *lib. 1. cap. 1. de Sacrament. defens. quæst. 8. art. 6. §. Ad septimum.* Card. de Lugo *de Sacrament. Euchar. disp. 2. sect. 3. num. 36.* & Colleg. Salmantic. *ibid. dub. 2. num. 15. & 16.* ubi has rationes, & auctoritates cumulat: 1. Quia communiter loquendo, cum dicimus Sacramentum Eucharistiæ, intelligimus Corpus Christi. 2. Ex Verbis Domini, qui ait *Panis, quem ego dabo*, idest Sacramentum Eucharistiæ, *caro mea est.* 3. Quia Corpus Christi est res, & Sacramentum simul. Ergo est Sacramentum Eucharistiæ: valet enim argumentum à propositione de prædicto copulato ad quamlibet ejus partem: ut Petrus est albus, & Musicus. Ergo Petrus est albus. Petrus est Musicus. 4. Quia idem est Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium, sed hoc in Missa est Corpus, & Sanguis Christi. Ergo idem est Sacramentum. Cæterum hæc opinio communiter reprobatur, eo quia cum de ratione Sacramenti sit esse signum sensibile, Corpus, & Sanguis Christi (ut in Eucharistia existunt) non sunt signa sensibilia, & visibilia.

Secunda opinio est Scotistarum docentium, essentiam Sacramenti Eucharistiæ consistere in recto, in speciebus consecratis panis, & vini, connotantibus tamen Corpus, & Sanguinem Christi sub ipsis contenta in obliquo. Hoc probant 1. Ex Ecclesia, quæ in Sequentia Missæ ait: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Fractio autem est specierum, non autem corporis Domini sub eis contenti, nam sequitur Ecclesia dicere: *Signi tantùm fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.* Ergo ipsæ species consecratæ habent essentiam Sacramenti, & in ipsis consistit Essentia hujus Sacramenti. 2. Ex collecta Missæ post communionem incipiente *Purificent nos &c.* in qua dicitur *Sacramenta, quæ sumpsimus* in numero plurali, ob pluralitatem specierum, in quibus Eucharistiæ Sacramentum consistit. 3. Ex *cap.* Ego Berengarius *de consecr. dist. 2.* (sumpto ex actis Synodi Romanæ sub Nicolao Papa Secundo) in quo firmatur, *Panem, & Vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse.* Ergo Sacramentum est in speciebus Panis, & Vini consecratis. 4. Ex *cap. Cum Marthæ 6. §. Distinguendum est. De Celebrat. Missar.* ubi Innocentius Papa Tertius docet, tria in hoc Sacramento esse distinguenda dicens:

C

cens: *Primum est Sacramentum, & non res* (Ideſt ſpecies conſecratæ) *Secundum eſt Sacramentum, & res* (Videlicet ſpecies prædictæ, nec non Corpus, & Sanguis Chriſti) *Tertium eſt res, & non Sacramentum* (hoc eſt ipſum Corpus, & Sanguis Chriſti) & ideo ibi ſubdit Gloſ. in *Verb. Tertium in fine. Primum eſt tantum Sacramentum ſignans. Secundum eſt ſignans, & ſignatum. Tertium eſt ſignatum tantum.* Ergo eſſentia Sacramenti ſtat in recto in ſpeciebus conſecratis, nempè primariò, ſecundariò autem, ſeu in obliquo in ipſo Corpore, & Sanguine Domini ſub ipſis contento. Ita Maſtrius *in 4. ſent. d. diſp. 3 num. 18. & in Theolog. Moral. d. diſp. 18. n. 7.* ac Emin. Card. de Laurea *d. tom. 1. in 4. ſent. diſp. 1. q. 1. a. 2. d. num. 28.* ubi etiam allegat verba Concilii Lateranenſis, in quo dicitur, *Cujus corpus, & ſanguis in Sacramento Altaris continetur,* & ideircò concludit, quod ſpecies panis, & vini conſecratæ conſtituunt eſſentialiter Sacramentum Euchariſtiæ.

Tertia eſt opinio recentiorum doctorum, Sacramentum Euchariſtiæ propriè eſſe compoſitum ex ſpeciebus, & Corpore Chriſti, ſicut homo eſt ipſum compoſitum ex anima, & corpore, & Chriſtus ex Deo, & homine. Hoc autem probant 1. Quia S. Irenæus *lib. 4. contra hæreſes cap. 34.* expreſsè docet, Euchariſtiam conſtare *duabus rebus, terrena, & cœleſti:* per terrenam intelligit ſpecies panis, & vini; per cœleſtem Corpus Chriſti. 2. *Ex Can. Hoc eſt. De Conſecr. diſt. 2.* in quo habetur, Sacrificium Eccleſiæ *conſtare duobus, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inviſibili corpore, & ſanguine Domini,* ſicut Chriſti perſona conſtat Deo, & homine. 3. Ex Sanctis Patribus Juſtino, Ambroſio, Theodoreto, & aliis, qui comparant Euchariſtiam cum Verbo Incarnato, quòd ſicut in Chriſto ſunt duæ naturæ, divina, & humana, ex quibus unus eſt Chriſtus: ita in hoc Sacramento ſint duæ naturæ, ſcilicet Corpus Chriſti, & ſpecies externæ, ex quibus unum conſtet Sacramentum. 4. Quia inter Corpus Chriſti, & ſpecies conſecratas intervenit aliqua Unio, nam ex illis fit quid unum; ſicut ex ſpeciebus, & ſubſtantia panis, in cujus locum Chriſtus ſucceſſit, quid unum fiebat, quamvis illa Unio ſit ſublimior. Atqui hoc unum non eſt aliud quam hoc Sacramentum, quia hoc compoſitum ex ſpeciebus, & Corpore Domini eſt unum ſignum efficax gratiæ. Ergo eſt unum Sacramentum. 5. Sacramentum Euchariſtiæ abſolutè eſt adorandum adoratione latriæ ex Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 5.* Ergo ſi ſolæ ſpecies haberent eſſentiam Sacramenti, ipſæ jure proprio expeterent latriam, quæ tamen eis non ſi per accidens, & ſecundum quid debetur. Ita Leſſius *de Sacrament. Euchariſt. d. quæſt. 72. art. 1. num. 7. & 8.* ubi citat S. Thom. *in 4. d. ſt. 8 quæſt. 1. art. 1.* Victoriam *quæſt. 152.* & Alanum *lib. 1. de Euchariſt. cap. 3. & ſeqq.* Emin. Card. de Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 1. ſect. 3. num. 39.* & ibi Suarez *diſp. 42. ſect. 2. & 3.* Valentia *3. part. diſp. 6. quæſt. 1.* Coninch *quæſt. 73. art. 1.* & Vaſquez *diſp. 167. cap. 5.* Utramque opinionem poteſt amplecti. Hæc ultima videtur magis adæquata; ſiquidem ſpecies conſecratæ ſunt ſignum externum, & ſenſibile. Caro autem Chriſti eſt cibus animæ proveniens non ratione ſpecierum, ſed ratione Corporis Chriſti ſub eis latentis, ut noviſſimè notant Hermet. *Theologiæ part. 7. tr. ſt. de Euchariſtia cap. 1. con. 13.* Layman *lib. 5. tract. 4. num. 1. & 2.* & noviſſimè Aquinas *De Sacramentis part. 4. cap. 1. num. 32.*

*Secundum notabile* ex reſponſis noſtri Clen collectum, ſpectans ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam continet ſexdecim ſequentes errores, quos evomuit Infernus, & ejus miſerrimi habitatores, hæretici ſcilicet, & Hæreſiarchæ, à principio Eccleſiæ, uſque ad præſens, qui fuerunt.

I. Judas Iſcariotes hæreticorum primus, qui non credidit Chriſti Domini realem præſentiam in Euchariſtia, & fuit unus ex illis, qui auditis ejus verbis *Caro mea verè eſt cibus &c.* ſcandalizati ſunt, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Joan. 6. 60. ubi ſubdit Evangeliſta, Redemptorem ſtatim dixiſſe: *ſed ſunt quidam ex vobis, qui* non

*non credunt: sciebat enim ab initio JESUS qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum*. Et ideò Judam conspirasse cum aliis ad oppugnandam Eucharisticam veritatem docent S Joann Chrysost *Hom* 46. & D. August *tract* 27 *uterque in dict. cap* 6 Joan ut refert Sebastian Salelles *de Materiis Tribunal.* *S Inquisitionis tom* 2. *lib* 3 *cap* 5. *Reg* 213 *num* 8. ubi notat, quo possint Auctore gloriari omnes sectatores hæreticorum, impugnantium realitatem Corporis Christi in Eucharistia

II. Montanistæ, qui & Cataphrygæ hæretici, à quibus miscebatur Sanguis infantis anniculi in Farina ad conficiendas Hostias consecrandas, ut ex D August. *Hæres.* 26 & ex S. Epiphan. *Hæres.* 48 docet Emin. Card Baron. *anno* 173 *num* 33

III. Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus, qui ajebat, Sanguinem Christi consecratum in Eucharistia esse corruptibilem Emin Card Baronius, *anno* 265. *num* 5 & 6

IV Manichæi, qui (ut erant impudicissimi) effundebant humanum semen in farinam, ex qua Panem pro Eucharistia efformabant, negantes transubstantiationem ejusdem Panis in carnem Christi, ut tradunt S Cyrill *Catech* 6 & S August *de Hæres num.* 46.

V. Donatistæ pariter negantes præsentiam Christi in venerabili Eucharistiæ Sacramento, quod impie tradebant canibus, ut scribit S. Optatus Milevitan. *lib* 2. *contra Parmen.* subdens, ab ipsis canib accensis rabie eosdem hæreticos quasi latrones, & reos Sancti Corporis, dente vindice, laniatos fuisse, quod notat etiam Emin. Card Bona *Rerum liturgicar lib* 2. *cap* 17 *num* 6

VI Nestoriani, qui sicut duas personas esse in Christo docebant, divinam unam, humanam alteram, ità in Sacramento Eucharistiæ dicebant esse solam Humanitatem Christi, absque Divinitate, ut ex Prateol *Verb Nestorius*, & Gualter *cap* 8 *sæculi quarti* colligit idem Salell. *Regul* 244. *num* 123 & 124 subdens ibidem quòd ipsi Nestoriani tenebant, Eucharistiam esse sumendam in utraque specie, & in Pane fermentato tàm ab Adultis, quàm à Parvulis.

VII Tatianistæ, qui Sacramentum Eucharisticum in sola Aqua conficiebant, & ideò vocabantur hydro-parastatæ. Teodoret *Hæretic. Fabul lib* 1. & Emin. Card. Baron. *Anno* 174 *num* 10.

VIII Mahometani, ex impio Mahometa provenientes, qui negant realitatem Carnis Christi in Eucharistia, & ex eis impius Averroes, qui sugillabat Christianos, tanquam Deum suum manducantes. Prateol *Verb Mahomet* & Salell *d. lib.* 3. *cap* 31 *reg* 273 *num* 125

IX. Photius Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus, & ejus sectatores, qui docuerunt, inter alios errores, Sanctissimam Eucharistiam non posse confici in Pane Azymo, non esse miscendam Aquam in Calice, Laicos esse communicandos sub utraque specie, Corpus Christi non esse consecrandum, nisi in Feria 5 Cœnæ Domini, ipsum esse dandum Pueris statim post Baptismum, & Homines malos non recipere Carnem Christi, ut latius scribit Prateol *Verb Græci*, Alphons de Castro *Verb Eucharistia Hæres* 7 13 & Salell *Reg* 262. *à num* 314. *usque ad* 324.

X. Illuminati Hæretici, qui oculos claudebant, dum elevaretur SS Eucharistia, & docebant, licitum esse etiam non jejunis communicare, & illum plùs gratiæ accipere, qui majorem Hostiam, minùs verò, qui minorem deglutiret. Gualter *cap* 28 *sæculi* 17 & Salell *dict lib.* 3. *cap.* 19. *Reg.* 315 *num.* 464 467. 484

XI Arrabonarii, quorum alii vocati sunt Metamorphistæ, Tropistæ, & Energici, qui omnes negabant verum Corpus Christi contineri in SS Eucharistia, sed nobis dari in Tropo, & figura, seu Energia, & Virtute, tanquam Pignus, & Arrhabonem investituræ Paradisi Prateol. *Verb Arrabonarii num* 65 Gualter *sæculo* 16 *cap* 96 & 98 Salell *Reg* 296 *num* 756. & *seqq*

XII Œcolampadius natione Germanus, Sanctæ Brigittæ quondam Monachus, deindè Lutheri discipulus, & tandem Antilutheranus, qui docebat illa verba: *Hoc est Corpus meum*, importare

*Hoc significat Corpus meum: & Hoc est figura Corporis mei.* Prateol. *in verb. Joannes Oecolampadius.* Salell. *Reg.* 290 *num.* 304.

XIII. Martinus Lutherus, qui docuit esse quidem in Eucharistia verum Christi Corpus, sed tantùm secundùm usum, idest, eo dumtaxat tempore, quo manducatur, & sumitur, non autem per existentiam permanentem, & ideo post celebratam Missam non esse servandam Eucharistiam in Altari. Alphons. de Castro *verb. Eucharistia Heres.* 22. Prateol. & Gualter. quos citat Salell. *Reg.* 288. *num.* 89. 90. *&* 91. ubi subdit eumdem Lutherum docuisse, sumendam esse Eucharistiam sub utraque specie Panis, & Vini etiam à Laicis, & non esse necessariam Confessionem Sacramentalem ante Communionem, sed solam Fidem communicantium.

XIV. Theodorus Beza, qui docebat in defectu Panis, & Vini posse confici Eucharistiam ex quovis alio cibo, & potu. Gualter. *secul.* 16. *cap.* 26. Prateol. *verb. Bezanitæ*, Salell. *Reg.* 293. *num.* 658. *& seqq.* ubi notat, Theodorum Bezam fuisse Natione Burgundum, Legumque licentiatum, de quo etiam habetur in Vita Sancti Francisci Salesii *lib.* 1. *cap.* 12. *prope finem*, quod ipse Sanctus Franciscus Genevæ disputavit de Fide cum eodem Theodoro Beza, qui fassus fuit suos errores, sed ne dimitteret juvenculam concubinam, quam adamabat, & tenebat, recusavit Catholicam Veritatem amplecti, quamvis esset annorum Septuaginta, & propterea eum tandem Diabolus rapuit in Orcum.

XV. Monasterienses, & ipsi Hæretici Anti-Lutherani progeniti à quodam Joanne Bocheldi Leidense Sutore, à quo acceperunt, quòd forma consecrandi Eucharistiam hæc esse debebat: *Accipe, Ede, Memento Domini.* Ità Prateol. *Verb. Monasterienses, & Verbo Joannes de Leiden.*

XVI. Ex ultimò Calvinistæ, qui à Joanne Calvino eorum Magistro didicerunt, in SS. Eucharistia non esse pretiosissimum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi: eam tamen esse conficiendam ex Pane fermentato; cujus transubstantiationem inficiabantur, denegantes Eucharistiæ adorationem, & vocantes Lutherum Idololatram, eò quia dixerat, Eucharistiam esse adorabile Sacramentum, præter alias Blasphemias contra Sanctissimam Eucharistiam, & Missæ Sacrificium, quas fusè narrat ex scriptis ejusdem Calvini Salell. *dicto lib.* 3. *cap.* 28. *Reg.* 292. *à num.* 620. *& seqq.* Ex quibus omnibus fideles colligere possunt quantus fuerit Amor Christi Domini in genus humanum, dum non recusaverit relinquere suum pretiosissimum Corpus, & Sanguinem in Venerabili Eucharistiæ Sacramento, quamvis sciret tot Dæmones, quot sunt Heretici, & scelesti Homines, inturrecturos in ipsum, ac blasphemus, injuriisque illum affecturos.

*Tertium notabile* pertinens ad Missionarios Apostolicos concernit argumenta, 6 quibus probatur vera, & realis præsentia Christi Domini, ejusque Carnis, & Sanguinis in Eucharistia, & sunt sequentia. *Primum*: Verba ipsius Christi Matth. *cap.* 26. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Sicut enim verè, & realiter traditum fuit Corpus Christi, & verus ejus sanguis effusus, non autem figuraliter, sic in Eucharistia verè, & realiter continetur ejus Corpus, & Sanguis, non autem sub figura, ut volunt Hæretici. Exemplo conversionis Aquæ in Vinum factæ à Christo in Cana Galilææ, & similitudine probi, & prudentis Patris, qui si promisisset, se relicturum filio aurum summam, & in ultimo testamento traderet scrinium ipsi filio cum his verbis: *hoc est aurum, quod tibi promisi*: nemo dubitaret illic verum aurum contineri, & non figuraliter tantùm. Sic cum Christus promiserit, se relicturum Discipulis Corpus suum manducandum, quando postea ipsum illis in Cœna exhibuit dicens: *Accipite, & Comedite hoc est Corpus meum*, de reali corpore, non autem figurato loquutus fuit. *Secundum*, ex Verbis Pauli Apostoli, qui 1. *Cor.* 10. ait: *Calix Benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & Panis, quem frangimus, nonne*

*minus participatio Corporis Christi est?* & iterum: *Quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Quomodo ergo reus erit Corporis Domini indignè manducans, qui non manducat Corpus Domini, sed tantùm ejus figuram? *Tertium.* Testimonia Sanctorum Patrum, qui in primitiva Ecclesia apertè locuti sunt, in Eucharistia esse verè, & realiter Corpus, & Sanguinem Christi, siquidem ipsimet Hæretici fatentur, credendum esse scriptis SS. Patrum, qui sex primis sæculis floruerunt. Rich. Arsdekim *tom. 1. tract. 1. cap. 10. quæst. 7. De ord. success. Pontificum Romanor. 6. & 7. sæculo pag. mihi 73.* Ideò S. Cyprian. *serm. de Cœna Dom.* ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus est, omnipotentia Verbi effectus est caro.* Quid quæso clariùs dici potest? Sanctus Hilar. *lib. 8. de Trinit.* scribit: *De Veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus.* S. August. *serm. in Psal. 33.* ait: *Ferebatur in manibus suis; Quomodo hoc intelligatur in David, sed ullum hominem non invenimus, in Christo autem invenimus, Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait: Hoc est Corpus meum, ferebat enim illud Corpus in manibus suis.* Concordat Sanctus Joannes Damascenus *de Fide lib. 4. cap. 14.* dicens: *Dominus dixit: hoc est non corporis signum, sed Corpus: non Sanguinis signum, sed Sanguis.* Pariter S. Epiphan. *in 7. Synodo act. 6.* *Nunquam inveries* (inquit) *neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse, sed ipsum Sanguinem.* Eamdem veritatem apertissimis verbis professi sunt S. Ambros. & S. Cyrill. Jerosolimitan. *in lectionib. 2. noct. fer. 4. & 5. infra Octav. Corpor. Christi*, & S. Cyrill. Alexandrin. *in 3. Noct. Octav. ejusdem festi*, adeò ut negare realem existentiam Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia idem sit, ac dicere, supradictos SS. Patres fuisse Hæreticos, & ab Ecclesia separatos. Quod quidem est horrendum dictu, cum imò ipsi fuerint primitivæ Ecclesiæ præcipui Doctores, ac defensores, & absque dubio constet, primitivam Ecclesiam nunquam negasse dictam realem præsentiam, sed illam semper docuisse, & per suos Patres, & Doctores posteris tradendam proposuisse. *Quartum*, & non leve argumentum hujus veritatis sumitur ex illa manifesta accusatione, quam Pagani faciebant contra fideles primitivæ Ecclesiæ, vocando illos *Antropophagos*, sicut comestores carnis humanæ, quia manducabant Christi Carnem, & Sanguinem in SS. Eucharistia, ut scribit Tertullian. qui vixit secundo, circiter, Christi ævo; *lib. 6. Apolog. contra Celsum cap. 7. & 9.* Quomodo igitur pigmì Christiani veræ, & primitivæ Ecclesiæ, fuissent accusati ab Ethnicis, ut *Antropophagi*, si in Eucharistia panem tantum, & vinum manducarent, non autem Carnem, & Sanguinem Domini? Quæ quidem argumenta latiùs enarrant Andr. de Castellanâ *in suo Missionar. Apostolic. par. 4. Inst. 1. §. 5.* & novissimè Rich. Arsdeckim *in Theolog. Tripartita dict. tom. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 3.*

## DECISIONIS VII.

### Ad Februarii Quæsitum secundum.

### ARGUMENTUM.

Continet undecim non inelegantes differentias inter hoc, & alia sex Sacramenta Ecclesiæ, quarum ultima est, EUCHARISTIAM nutrire etiam corpora devotè communicantium; idque pluribus exemplis comprobatur.

### *SUMMARIUM.*

1. *Differentiæ undecim inter Sanctissimam Eucharistiam, & alia Sacramenta.*
2. *Exempla eorum, qui vivebant sola Eucharistia absque alio cibo.*

QUÆ-

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*Per quid differat Eucharistia à cæteris Sacramentis.*

1 UNdecim Differentias collegi ex Responsionibus transmissis. *Prima* ex Materia, & Forma, quæ est omnino diversa à materiis, & formis aliorum Sacramentorum. Eminent. Card. de Lugo *de Sacramen. Eucharist. disp. 1. num. 2.* *Secunda* ratione finis, nam Eucharistia instituta est ad conservandam, & augendam Vitam spiritualem Animæ, non secus, ac cibus materialis conservat vitam naturalem, qui finis non competit ex propria institutione alteri Sacramento: *Concil. Trid. sess. 13. cap. 2.* *Tertia*, Nam cætera Sacramenta materiæ usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrantur; at Eucharistia perficitur sola consecratione ipsius materiæ, & verum Sacramentum esse non desinit, quamvis in Pixide asservetur, *Catechis. Roman. de Sacram. Eucharis. cap. 9.* Less. *de eod. Sacrament. quæst. 78. num. 1.* Eminent. Card. de Laurea *de Euchar. disput. 17. art. 3.* & Mastr. *in Theolog. Moral. disput. 18. num. 4.* *Quarta*, quia in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit Materiæ, atque elementi in aliam naturam mutatio, in Eucharistia vero substantia Panis, & Vini mutatur in Corpus, & Sanguinem Christi. *Cap. Panis est, de consecrat. dist. 4.* *Catech. Roman. d. Cap. 9.* *Quinta*, quia reliqua Sacramenta perficiuntur à Ministro, ut Minister est; sed Sacramentum Eucharistiæ perficitur à Ministro, ut immediatè repræsentat Christi personam; sicut lex Vetus data fuit ab Angelo, ut immediatè repræsentante ipsum Deum: unde Angelus sæpe dicebat: *Ego Dominus*, ut observat Lessius *d. quæst. 78. art. 1.* *Sexta*, quia Eucharistia semper habet effectum suum, idest Corpus Christi; alia autem Sacramenta non semper habent effectum realiter, ut ex Scoto *in 4. dist. 8. quæst. 1.* notat Eminent. Cardin. de Laurea *d. disput. 17. art. 3.* *Septima*, quia Sacramentum Eucharistiæ est fons, & origo gratiæ, continens Christum Dominum, auctorem totius gratiæ, cætera verò Sacramenta sunt veluti rivuli, recipientia ab hoc fonte quidquid boni, & perfectionis habent: *Catech. Roman. de Sacrament. Euchar. cap. 46.* S. Thom. *3. par. q. 79. art. 1.* *Octava*, quia Sacramentum Eucharistiæ adoratur cultu latriæ, non autem reliqua, ut ex SS. Ambr. Chrysost. & August. demonstrat Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 1. num. 3.* & Baldellus *tom. 2. lib. 3. disp. 8. num. 15. 16. & 17.* *Nona*, quia cætera Sacramenta non sunt Sacrificia; at Eucharistia Sacramentum est, & Sacrificium; in ea enim continetur Hostia mundissima, quæ offertur æterno Patri. Canus *de locis Theol. lib. 12. cap. 13. in fin.* *Decima*, quia alia Sacramenta conferunt gratiam in eodem instanti, quo recipiuntur, sed SS. Eucharistiæ Sacramentum diffundit suam gratiam in animam illud recipientem toto tempore, quo species Sacramentales durant in stomacho, eamdem gratiam augendo, ut ex Cajetan. Valent. Suaresio, Aversa, Higueo, & aliis, probabiliùs esse ostendit Emin. Card. de Lugo *de Euch. disp. 12. num. 48. & seqq. usque ad num. 66.* Mastr. *in 4. sent. disp. 3. num. 415.* & in Theolog. Mor. *dict. disput. 18. num. 54.* *Undecima*, quia Eucharistia præter plurimos spirituales effectus, quos operatur in Anima, de quibus infra Mense Octobri, extendit etiam suam Virtutem ad corpora illorum, qui devotè eam sumpserunt, dum plurimi vixerunt longo tempore absque alio cibo, quàm 2 sacra Communione, ut ex sequentibus exemplis.

I. Sanctus Gerasimus Abbas quadraginta dies absque cibo jejunus transibat, contentus sola Eucharistiæ participatione, Bolland. *in Actis SS. Martii tom. 1.*

II. S. Simeon Stilites sæpius absque cibo, & potu quadraginta dies jejunavit, & nisi die Paschæ sumpto Christi Corpore quidquam sumebat, Theodoret. *in Hist. Relig. cap. 26.*

III. S. Catharina Senensis à die Cinerum, usque ad Ascensionem Domini sine cibo perduravit, sola Eucharistiæ Com-

Communione contenta, Fruger *in ejus vita lib. 1. cap. 8. num. 5.* & Blosius in Monili *in append. ad S. Sanctam*. Idcirco de ea sic profitetur, & profert Ecclesia in Missa ejusdem sanctæ post Communionem: *Æternitatem nobis Domine conferat, qua pasti sumus Mensa cœlestis, quæ Beatæ Catharinæ Virginis vitam etiam aluit temporalem.*

IV. S. Rosa Peruana solo Eucharistico cibo satiata integràs, nihil aliud degustando, transigebat hebdomadas. Bertolla *in ejus vit. cap. 22.*

V. De Frone Monaco, non nisi per tres menses comedisse suscepta sola Communione sacramentali, scribitur *in Vitis PP. lib. 8. cap. 32.*

VI. Sancto Liberali Altinensi, cujus ossa Tarvisii honorantur, concessum fuisse, ut Dominico quoque die spirituali alimonia Corporis, & Sanguinis Christi, & sine ullo alio cibo reliquum tempus perageret, refert Petr. de Natal. *lib. 4. cap. 93.*

VII. S. Ebrulphus Abbas octogenarius, in gravem morbum lapsus, dies quadraginta septem vixit nihil prorsus esculenti, aut poculenti sumens præter aquam solam, & Corpus, & Sanguinem Christi. *Sur. tom. 6.*

VIII. Lidwina puella devota intra octo, & viginti annos, nullo corporali cibo refecta, solo Dominici Corporis Sacramento per singulos dies Dominicos accepto, victitabat, corpus attenuatum solis nervis cohærebat, & ossibus, omnes consumptæ vires aderant, *Circa Ann. 1424. Krentius in Wandalia lib. 11. cap. 3.*

IX. B. Catharina Genuensis tempore Quadragesimæ, & Adventus nullo corporali cibo vescebatur, solaque Eucharistia nutrita illis temporibus vivebat. Hocque prodigium fuit in ea viginti tribus annis, tempore Quadragesimæ, & Adventus: reliquo etenim anni tempore cibum corporalem sumebat. *Ejus vita cap. 4. impressa Genuæ ann. 1677.*

X. B. Angela Fulginas tantam fortitudinem, & nutrimentum, ex hoc Sacratissimo reportabat Convivio, ut per duodecim annos continuos nihil corporalis cibi degustarit, plenè satiata hac esca Cœlesti, quam quotidie digno sumebat fervore, ut habetur *in Annal. Minor. anno 1309. num. 14.*

XI. Columba virgo Perusina sola Eucharistia ad multos annos absque cibo vitam mirabiliter conservavit, ex *Krentzio d. lib. 11. cap. 3.*

XII. Nicolaus de Rupe Eremita Saxulæ in Helvetia, relicta Conjuge, & liberis in Eremum secedens, Deo servivit, sine corporali cibo, soli Eucharistia nutritus, annis decem, & novem, ac mensibus sex, *Odoric. Rainald. anno 1480. num. 42.*

XIII. In parte Aquilonari Angliæ, dicta Nortfolckea, fuit devota quædam in Christo puella, dicta vulgariter *Joanna Metles*, idest sine cibo, quia nunquam cibum gustare, vel potum per tempus annorum quindecim reperta est, sed solo Sacramento Dominici Corporis, diebus Dominicis vescebatur, ut refert *Thom. Valden.*

XIV. Anno Domini 1288. comperta est in Germania *in Villa Bykel* puella, quæ absque omni cibo annos triginta vixit, Eucharistiæ sacrosancto Sacramento contenta, & cum aliquando Sacerdos Hostiam non consecratam obtulisset, & ipsa incauta assumpsisset, intra fauces hæsit, adeò, ut glutire non valeret. Mox verò cùm Hostia consecrata oblata fuisset, absque ullo impedimento glutivit. Ità *Majol. dier. Canicul. collat. 4.*

XV. S. Arsenius Constantinopolitanus eò perfectionis, extinctis prope sensibus devenit, ut nullo terrestri pastu indigeret, sed Angelorum pane, & immortali ambrosia pasceretur. *Rader. in Viridar.*

XVI. Soror Dominica de Paradiso toto Quadragesimæ tempore nihil aliud cibi degustavit, nisi Sacram Eucharistiam, qua sola etiam vivebat integris hebdomadibus. Ignat. de Nente *in ejus Vita lib. 2. cap. 8.*

XVII. Ursula Benincasa cœlesti refecta cibo per tres, aut plures dies vivebat absque alio alimento, quam Eucharistico, ut

co, *ut in ejus vita cap.* 35

XVIII Pauper Sacerdos, quem Porta Cardinalis Baronii Mater eleemosynis sustentabat, vixit quadraginta dies nullo alio pastato cibo, nisi Sacrosancto Corpore, & Sanguine Christi, quod in Missæ sacrificio quotidiè assumebat, alendo prædictis eleemosinis plures nepotes pupillos, eosque mendicos Augus. Marinus *Hist. select. cap.* 240

XIX Beata Colleta Monialis ordinis Sanctæ Claræ, ad exemplum Salvatoris jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, solo Eucharistico pane refecta Vvadingus in *Chron. anno* 1406. P. Leonard. à Neapoli in *Chronic. Religionis Seraphicæ par.* 3 *lib.* 3 *cap.* 25. *n.* 103

XX Soror Maria Villana Ordinis Prædicatorum nullo corporali cibo indigebat, nam tribus, quatuorve hebdomadibus jejuna perseverabat, sola Eucharistia refecta, & si ex obedientia cibum sumeret, violenti statim è stomacho reiiceret. Dominic Maria Marches *in ejus Vita*, quem refert Jo. Bonifac. Bagatta *in Admirand. orb. Christian. tom.* 2. *lib.* 3 *c.* 3 § 5 ubi plurima consimilia exempla, quæ brevitatis causâ ommittuntur, à piis lectoribus poterunt videri præter supradicta per eumdem R. P. Bagattam relata.

## DECISIONIS VIII.

Ad Februarii primum Casum

### ARGUMENTUM

Disputatur, an Vir Nobilis habens domi suæ Oratorium privatum ex Indulto Pontificio, possit in eo bis, terve in hebdomada communicari? Ex hac occasione plene explicatur, quæ sint Oratoria Publica, & quæ Privata? Docentur utrorumque conditiones, & prærogativæ? Ostenditur, posse Episcopum ob gravem causam concedere, ut aliquando celebretur Missa extra Ecclesiam exemplo Gauslini Episcopi Patavini anno 980. in Villa Pulverariæ, ubi miraculosè fuit repertum corpus Sancti Fidentii Paduanæ Antistitis. Ostenditur, Oratoria Palatiorum Cardinalium esse Publica, nec non illa Episcoporum, & horum septem Privilegia, à Jure concessa, recensentur. Examinatur, an Regulares possint celebrare in Oratoriis privatis? Et veritas ex optimis Auctoribus hauritur. Tandem enucleantur singulæ Clausulæ Litterarum Apostolicarum, quibus conceditur Personis Nobilibus Oratorium privatum; pro resolutione plurium dubiorum in praxi occurrentium. Deinde proposito casu de communicando Patrono in Oratorio privato respondetur.

### SUMMARIUM

1 *Oratoria alia sunt Publica, alia privata?*
2 *Oratoria sunt publica, si ostium in via publica habeant*
3 *Oratoria publica gaudent Ecclesiastica immunitate, secus privata*
4 *Oratoria privata non dicuntur capatia pollutionis*
5 *Oratoria publica an possint habere januam, per quam habeatur ingressus in domum privatam? Opinio negativa* 6 *Opinio affirmativa* 7
8 *Consuetudo interpretativa litterarum Papæ, & Decretorum S. Congregationis valet, & est attendenda*
9 *Janua lateralis Oratorii publici, si nocet reverentiæ debitæ loco sacro, est muro claudenda*
10 *Ecclesiæ plures Parochiales Urbis, & Diœcesis Patavinæ, præter januam publi-*

*publicam, aliam habent introeuntem in domum Parochi.*

11 *Oratoriis publicis potest Episcopus leges præscribere circa tempus celebrandi.*

12 *Episcopus ob gravem causam potest concedere, ut celebretur Missa extra Ecclesiam.*

13 *Capellæ existentes in Palatiis Civitatum, ubi Magistratus conveniunt, censentur Oratoria privata.*

14 *In Capellis Palatiorum, ubi resident publicè Rectores in Serenissimo Dominio Veneto, celebratur Missa ex generali Indulto Apostolico; ac in Capellis pro carceratis.*

15 *Oratoria privata sunt in quadruplici differentia.*

16 *Oratoria privata Cardinalium admittunt celebrationem quorumcumque Sacerdotum.*

17 *Cardinales circa celebrationem Missæ potiuntur iisdem Privilegiis sicut Episcopi.*

18 *Episcopis septem Privilegia sunt à jure concessa.*

19 *Episcopus potest ubique celebrare cum Altari portatili, non autem Romæ.*

20 *Missam die festo audiens in Oratorio privato Episcopi, satisfacit præcepto; etiam absente Episcopo.*

21 *Regulares olim poterant ubique celebrare in Altari portatili.*

22 *Regularium privilegia circa Oratoria privata, per Conc. Tridentinum supposita sunt arbitrio, & licentiæ Episcopi.*

23 *Oratoria privata sunt prohibita à Conc. Tridentino.*

24 *Sacra Congregatio Concilii anno 1615 jussu Pauli Papæ V. prohibuit Episcopis, ne permitterent celebrationem Missæ in Oratoriis privatis.*

25 *Clausulæ Brevis Apostolici pro Oratorio privato declarantur.*

26 *Innocentius XII. creatus Papa die 12. Julii 1691 vocabatur Antonius Cardinalis Pignatellus Neapolitanus.*

27 *Pontifices Romani cœperunt mutare sibi nomen anno 844. sub Sergio Papa secundùm Platinam, sed verius sub Adriano III. vel Joanne XII.*

28 *Error nominis, vel cognominis in Breve Apostolico non vitiat gratiam; est tamen remittendum Romam pro correctione, nisi error esset in Syllaba.* 29

30 *Error in Breve Oratorii privati circa Diœcesim, non efficit.*

31 *Privilegium Oratorii privati est personale, & illud habens, eo utitur ubique.*

32 *Veneti Nobiles habentes Breve Oratorii privati, eo uti possunt etiam extra Venetias, & dicuntur diœcesani in toto Serenissimo Dominio Veneto.*

33 *Nobilitas ex Privilegio, vel ex Matre tantùm sufficit pro Breve Oratorii privati.*

34 *Oratorium privatum vigore Brevis Papæ est semper approbandum ab Ordinario.*

35 *Oratorium privatum quot muris claudi debeat? & quomodo esse debeat liberum à domesticis usibus?*

36 *Oratorium privatum potest visitari quandocumque pro libito Ordinarii.*

37 *Ordinarius peccat mortaliter approbando Oratorium privatum carens qualitatibus expressis in Indulto Pontificio.*

38 *Appellatio datur à denegata executione Brevis pro Oratorio privato.*

39 *Oratorii privati licentia non expirat per mortem Papæ, vel Episcopi.*

40 *Oratorium privatum habentes, peccant si ultra unam Missam in die faciunt celebrare in eo; prout etiam peccant ipsi celebrantes. Secus de Regularibus, Episcopo annuente.*

41 *Oratoria duo privata possunt esse in eadem domo, in qua habitent duæ familiæ nobiles.*

42 *Breve secundum valet, nondum exspirato primo pro Oratoriis privatis, seu Indulgentiis; si executio deferatur post expirationem primi.*

43 *Approbatus ad celebrandum in Diœcesi, potest celebrare etiam in Oratorio privato.*

44 *Jura Parochialia quænam sint?*

45 *Benedictiones, quæ sunt in Missali, fieri possunt à quocunque Sacerdote. Secus autem quæ sunt in Rituali.*

46 *Oratoriis in privatis, quibus diebus non sit celebrandum?*

47 *Familiæ nomine, quæ personæ veniant, pro celebranda Missa in earum præsentia in Oratorio privato?*

48 *Hospites nobiles qui sint, ut audire possint Missam in Oratorio privato?*

49 *Hospitum nobilium famuli satisfaciunt præcepto, audientes Missam in Oratorio privato, ubi eorum Domini hospitantur.*

50 *Famuli necessarii qui sint, ut possint audire Missam in Oratorio privato domus, die festivo?*

51 *Herculanus, & Castaldus non satisfaciunt præcepto, audiendo Missam in Oratorio privato sui Domini.*

52 *Missam tenetur audire in Oratorio privato Privilegiatus, etsi habeat impedimentum, propter quod non posset ire ad Ecclesiam.*

53 *Bulla Cruciatæ fruens potest habere Oratorium privatum in propria domo, non autem audire Missam, & satisfacere præcepto in alienis Oratoriis privatis.*

54 *Oratorium privatum habens, potest in eo, dum Missa celebratur, recipere sacram Communionem ex devotione à celebrante.*

55 *Celebrans ex universali consuetudine, & ex tacita licentia Episcoporum, & Parochorum, potest communicare adstantes suæ Missæ.*

## PRIMUS CASUS.

VIr Nobilis ex Indulto Pontificio, Oratorium privatum domi suæ habens; cupit, dum Missam audit in eo, communicari unà cum Uxore bis, tervè in hebdomada à Sacerdote celebrante. *Quæritur, an liceat?*

Ad dignoscendum, an liceat administrare Sanctissimam Eucharistiam prædictis nobilibus conjugibus in eorum Oratorio, duo necessaria sunt notanda præmissa.

1 Primum est; quod Oratoria alia sunt *Publica*, alia *Privata*. Illa dicuntur *Publica*, quæ consecrata, vel benedicta sunt pro celebratione Missæ de licentia Episcopi, & quorum ostium est in publica via, itaut ad illa cuilibet fideli sit liber accessus. *cap. Auctoritate d. 4. de Privil. in 6.* 2 Ventriglia *in Praxi for. Eccles. tom. 2. Annot. 19. num. 3. & num. 14.* Barbosa *de Jure Ecclesiastico Univ. lib. 2. cap. 8. num. 11. & seqq.* Cæsar de Panimoll. *dec. 88. Annot. 1. num. 12. & 13.* & Bissus *in Hierurgia tom. 2. Verb. Oratoria § 1. & 2.* ubi notat, quod hæc publica Oratoria diversis nominibus nuncupantur, videlicet *Oraculum*, *Capella*, *Sacella*, idest *Sacra Cella*, & fusius prosequitur Pignatell. *tom. 6. consult. 98. à num. 1. usque ad num. 31.* qui eruditè ex antiquis Scriptoribus exhaurit denominationem *Basilicarum*, seu insignium Templorum; ad differentiam humilium Capellarum, seu Oratoriorum, de quorum publicitate est præsumendum, (cessante legitimo documento licentiæ Episcopalis) si in ipsis publicè Missæ Sacrificium celebretur, si extet Campanile, & Campana, si habeant dotem, Altare lapideum stabile, aut sit consecratum. Panimoll. *d. decis. 88. Annot. 1. num. 12. & seqq.* Ventriglia *d. Annot. 19. num. 16.* Lotter. *de Re benefic. lib. 1. quæst. 5. num. 66.* & Genuens. *in Praxi Curiæ Archiepisc. Neapol. cap. 17. num. 4.* Quæ sunt observatu digna, cum Oratoria publica gau- 3 deant Ecclesiastica Immunitate. Mar. Ital. *de Immunit. Eccl. cap. 4. § 4.* & Farinacius *eod. tract. num. 267.* & sint capacia pollutionis. Passerin. *de Pollut. Eccles. disp. 2. cap. 5. n. 4.* Secus autem si sint Oratoria privata, quamvis in eis de licentia Papæ celebretur Missa. Passerin. *ibid. dict. num. 4.* & alios concordantes cumulat & Diana *part. 12. tract. 1. resol. 81.* quæ in coordinato est. *tom. 4. tract. 8. resol. 81.* adeo ut luxurians in Oratorio privato non committat Sacrilegium, neque teneatur 4 in confessione hanc loci circumstantiam aperire. Pellizzar. *in Manuali Regular. tom. 2. tract. 5. cap. 3. num. 44.* Barbos. *de Jure Eccl. lib. 2. cap. 8. num. 16.* Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 112.* & Diana

coord.

*cord. d. tom. 4. tract. 2. resol. 63* desumpta *ex par. 9. tract. 1. resol. 70.*

Et quoniam, ut diximus, præcipuum requisitum est Oratorii publici, ut ejus Ostium sit in publica via; itaut quilibet fidelis possit ingredi in ipsum, non est levis controversia, an in hujusmodi publicis Oratoriis possit Episcopus permittere, ut præter ostium in publica Via, habeant aliam januam, ex qua pateat ingressus in domum privatam, & per quam Patroni procedere possint in ipsum Oratorium? Et nonnullis visum est respondendum, quod Episcopus dictam secundam januam non possit concedere; nam eatenus Summus Pontifex permittit Episcopis facultatem approbandi, & licentiam concedendi, ut in Oratoriis, & Capellis privatorum, possit Missa celebrari, quatenus ipsa Oratoria, seu Capellæ habeant ostium quod immediatè respondeat in viam publicam; & nullum habeant aditum, vel prospectum à loco privato, etiamsi in privato solo constructa sint, & parietes non sint cum ædibus privatorum communes, ut ex mente S. Congregationis notat Fagnan. *in cap. Auctoritate num. 24. de Censibus tom. 5. pag. 287.* Immò Nicolius *Lucubrat. Canonic. lib. 5. tit. 33. sub num. 7. limit. 3. pag. 223.* refert Brevis Pontificii declaratorii hæc verba; videlicet *Ut, si Capellæ hujusmodi porta viæ publicæ adjaceat; & in ea nulla alia porta, quæ ad aliquam domum ducat, existat: & quatenus existat, illa omninò claudatur; atque ita à privatis dombus separata sit, ut per eas ad eam accessus, aut prospectus neutiquam pateat.* Quæ verba transcribit etiam Pignatell. *tom. 1. consult. 93. num. 24. in fine.* Et ideò Oratorium publicum non posse habere ostium, per quod ingrediatur in domos privatas dicit *Quartus in Rubr. Missal. par. 3. tit. 10. sect. 1. dub. 3. Vers. Duo secundò.* Passerin. *de Pollut. Eccl. d. disp. 2. cap. 6. num. 3. Vers. Sic etiam.* Et Barbosa *de Jure Ecclesiastico Univ. d. lib. 1. cap. 11. num. 28.* ubi legitur rescriptum S. Congregationis ad Episcopum Columbricen. *diei primæ Julii 1616.* in quo permittendam esse, ait, celebrationem Missæ in Oratorio propè ædes Andreæ Dalmeidæ Catholici Regis Senatoris extructo, *dummodo idem Oratorium, seu Capella publico in loco sita sit, atque ita à privatis domibus separata, ut per eas ad Capellam hujusmodi ingressus nullo modo posset, ad eamque liber accessus è via publica pateat.*

Nihilominus, quamvis in Oratorio publico sit alia janua, ingressum præbens in domum privatam, posse permitti ab Episcopo celebrationem Missæ, si ostium principale sit in via publica, docent Aversa *quæst. 11. de Euchar. sect. 14.* Huttad. *par. 2. resol. Moral. tract. 12. cap. 1. num. 2193.* Bard. *in Quæst. Select. lib. 4. q. 10. § 10.* Quintanadven. *tom. 1. singul. tract. 7. singular. 33. num. 9.* Riccius *decis. 78. num. 5. par. 4.* Alphons. de Leone *de offic. Capellan. quæst. 3. sect. 1. in fin.* Pasqualig. *decis. 173.* Thom. Tamburin. *de Sacrificio Missæ lib. 1. cap. 4. num. 5.* Jordan. Episcopus Traguriens. *tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 161.* Et novissimè Pignatellus *d. tom. 1. consult. 93. num. 27. & 28.* ubi reddit rationem, quia, ingressus privatus, remanente publico non tollit formam Oratorii publici, nam id publicum dicitur, quod est omnium usui destinatum *§. fin. Instit. de rer. divis. l. Riparum, ff. eod. l. Prætor ait, § ff. Ne quid in loco publ.* Bart. *in l. 1. ff. de Publ. jud.* Alciàt. *in l. littus, ff. de Verb. signif.* Et licet Patroni ejusdem Oratorii ingrediantur in ipsum per viam privatam, tamen eo utuntur tanquam publico, cum sit usui publico destinatum, subsistit enim forma publicitatis ob januam in via publica, & denominatio fit à forma. *l. Cum ex aliqua, ff. de acqu. rer. dom. leg. Quæretur, ff. de Statu hom. l. 1. ff. de Verb. signif.* Neque via publica, aut flumen perdunt suam publicitatem, quamvis ad illa pateat ingressus è domibus privatis.

Ad auctoritates autem, & Decreta contraria respondet ipse Pignatellus, esse intelligenda, quando ipsa Oratoria ita conjungerentur domibus privatis, ut janua progrediens ex iisdem noceret reverentiæ, quæ debetur loco sacro, secus si ipsa janua daret ingressum in cortile, atrium, aut viridarium, ut passim servatur in omnibus publicis Oratoriis ædi-

ficatis per nobiles Venetos in hac Diœcesi Patavina, quorum cum ingens sit numerus & omnia præter principalem Januam in via publica, habeant ostium laterale, præbens ingressum in cortilia, seu viridaria Patronorum, constituunt universalem consuetudinem, quæ cum

8 sit interpretativa Decretorum Sacræ Congregationis, & litterarum Papalium est admittenda, & attendenda Rota *par. 9 recent. decis.* 400. *& par.* 10. *decis.* 59. *num* 13 Eminentiss. Card. de Luca *De Jurisdict. disc.* 42. *num.* 5 *& de beneficiis discurs* 27 *num* 17 *Ac etiam de Parochis discurs* 14. *num* 5 videtur enim prohibenda celebratio in prædictis Oratoriis tantummodo, quando Janua esset immediatè conjuncta loco indecenti domus privatæ, & ostenderet decorem Oratorii, seu Ecclesiæ, ut ego reperi in hac Diœcesi Patavina, in visitatione Ecclesiæ Parochialis

9 Villæ Sclavoniæ, in cujus Sacristia erat ostium introducens statim in coquinam Parochi, quod, cum fungerer Visitatoris munere pro Eminentissimo Domino meo Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, mandavi illicò claudi muro. Cæterum ubi salva est reverentia loci sacri, nihil refert, si sit etiam Janua lateralis, præter ostium in via publica, prout experientia docet in pluribus Ecclesiis etiam Parochialibus non solum

10 hujus Diœcesis, sed etiam Urbis Patavinæ, videlicet S. Thomæ, S Firmi, S Cantiani, S Luciæ, S. Julianæ, S Danielis, & consimilibus, è quibus datur aditus ad domum Parochialem, vel immediatè, vel mediante Sacristia Et ab hac opinione non dissentit Passerinus ex adverso allegatus, *d. disp* 2 *cap* 6 *num.* 3 in cujus fine admittit, quod Episcopus possit dare licentiam celebrandi in publico Oratorio, quamvis præter Januam publicam habeat etiam aliud ostium ad privatum ingressum, & citat DD. quibus adstipulantur alii apud Dianam *par.* 9. *tract.* 2 *resolut* 21. quæ in Coordinato est *tom.* 4. *tract* 2. *resol* 23 & ibi Nald. Homobon. & Lezana

11 Porrò non est silentio involvendum, quod in hujusmodi publicis Oratoriis approbandis, potest Episcopus leges præscribere circa modum, personas, & tempus celebrandi Missam in ipsis, & præcipuè quod festivis diebus non celebretur ante Missam Parochialem, ut habetur in Synodo Barberina de anno 1685 *part.* 1 *cap* 10 *num.* 12. & advertit Bissus *d. tom* 2. *Verb Oratoria num* 109. § 2.

Tandem circa celebrationem Missæ in loco publico non est omittendum, concedere concorditer Doctores, quod Episcopus possit licentiam dare celebrandi ex-

12 tra Ecclesiam pro aliqua vice ob justam, & gravem causam, puta tempore Pestis, (quamvis hoc tempore tutius sit petere licentiam ab Apostolica Sede, ut dicam infra in Casu prudentiali mensis Decembris) vel occasione magni concursus populi, quem Ecclesia non caperet, Zerola *in praxi par* 1 *Verb. Missa pag* 226. Valer. *de differ. Utriusque for. d. Verb. diff.* 2. Navar *cons.* 2. *de Privileg. num* 2 Loterius *lib* 1 *quæst* 30. *num.* 15 *in fin* Barbos. *de off. & pot. Episc. part* 2. *alleg.* 23 *à num* 8. *& 9. & in collectan DD. super cap. ult. De Privil. in* 6 *num* 6 Jordan. *d. tom* 1. *lib* 4 *tit* 1 *num.* 121 *&* 122. Thom. Tambur. *de Sacrific. Missæ lib* 1. *cap.* 4. *num.* 7. Cujus facultatis exemplum habemus in lectionibus secundi Nocturni S. Fidentii Episcopi Patavini, cujus festum in hac Diœcesi celebratur *die* 16 *Novembris* ibi enim narratur, quod cum ejus sacrum Corpus jaceret incognitum in Villa Pulverariæ, Gauslinus Episcopus Patavinus Anno 980. accepto nuncio de voce miraculosa Pulverariæ sæpius audita, quæ mandabat sibi referri, ut illuc se conferret, cum clero, & populo, *rus Pulverariæ pervenit, erectoque in loco sibi viso* (per soporem) *altari, offerens Immaculatam hostiam, sensit sub se terram tremere, quo indicio magis confirmatus Sacrum peragit, & ibidem effodit, suique votis compos invenit loculum, & in ejus opertorio has notas. Corpus B. Fidentii Episcopi.*

13 Corollarii loco notandum, Capellas existentes in Palatiis Civitatum, in quibus Magistratus Publici conveniunt pro administranda justitia, esse Oratoria privata,

vata, ut declaravit *Sacra Congreg. Concilii Anno* 1648 apud Dianam *Coordin. tom.* 4. *tract.* 2. *resol.* 17 desumpta *ex part.* 9. *tract.* 1. *resol.* 35 At in Capellis, & Oratoriis Palatiorum, in quibus resident Publici Rectores Urbium, & Arcium nostræ Serenissimæ Reipublicæ Venetæ celebratur Missa, absque ulla limitatione ex Indulto Apostolico, teste Jordano *d. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 158 ac etiam in Capellis pro Publicis carceribus Diana *ubi supra*, & Quartus *d. part.* 3. *tit.* 10. *sect.* 3. *dub.* 3. *in fine*

Secundum Præmissum Oratoria privata dicuntur, quæ non in Via publica, sed in Palatiis, & domibus constructa manent Et hæc sunt in quadruplici differentia, alia enim sunt in Palatiis Cardinalium, alia in Ædibus Episcoporum, alia in Conventibus, seu Grangiis Regularium, & alia in Domibus Nobilium privatorum.

Quod attinet ad Oratoria erecta ad celebrationem Missæ in Palatiis Cardinalium S. R. E. in his celebrare possunt ipsi Cardinales, & in eorum præsentia sui Capellani, ac etiam iisdem Cardinalibus absentibus, & non solum Capellani de familia, sed etiam exteri Sacerdotes, adeout non unica tantùm Missa in die, sed plures à pluribus Sacerdotibus possint celebrari, & qui illis interfuerint, etiam si sint exteri, diebus festis, satisfaciant præcepto, ut eruditè probat Eminentiss. Cardin. Brancatius in sua dissertatione, de hac re composita, *De Privileg. Cappell. Cardinal.* quam posuit etiam Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 40. Et quæ in opere Coordinato habetur *tom.* 9. *tract.* 7. *resol.* 49. quam lectores adire non pigebit, tanquam ornatam juribus, rationibus, & auctoritatibus Doctorum, concludentium Oratoria Cardinalium potiri mixto Privilegio, personali scilicet, & locali; ideoque ibidem tum Cardinales, tum Capellani posse litare per duas horas ante ortum solis, & per duas horas post meridiem; quia Cardinales gaudent omnibus privilegiis, quibus potiuntur Episcopi, imò & amplioribus, Gloss. *in cap. fin. de Privil. in* 6. *Verb. Indulgemus* Manfred. *in tract. de Cardinal. decis.* 224. Villadieg. *de Origin. Cardin. quæst.* 13. *num.* 63. Barbatia *de Præstan. Cardin. quæst.* 3. *part.* 1. *num.* 6. Jacobat. *de Concil. lib.* 1. *fol.* 36. *col.* 2. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. Diana *part.* 5. *per totum tractatum de Potestate, & Privil. Cardin.* positum in Opere Coordinato *d. tom.* 9. *tract.* 7

Quo verò ad Oratoria in Ædibus Episcoporum constructa, sciendum est, Episcopos habere septem Privilegia, sibi à jure concessa, ut notat Gloss. *in cap. fin. de Privileg. in* 6. 1. Quod Episcopi etiam in loco interdicto possunt celebrare, vel coram se facere celebrare Missam, januis clausis, & exclusis excommunicatis, & populis interdictis, *cap. Quod nonnullis* 25 *de Privileg.* 2. Quod Episcopi possunt sibi eligere quemcumque Presbyterum in confessarium, *cap. Ult. de Pœnit. & Remission.* 3. Quod Episcopi non possunt immediatè excommunicari à Judicibus delegatis, sed prius cum reverentia monendi, ab ingressu Ecclesiæ prohibendi, & ab officio suspendendi, *cap.* 2. *de offic. & pot. Jud. deleg.* 4. Quod Episcopi nullam censuram inflictam à Jure incurrunt, nisi sint expressè nominati *cap. Quia periculosum* 4. *De Senten. excom. in* 6. 5. Quod Episcopi non tangunt Evangelia, quando jurant *cap. Ult. de Juram. calumn.* 6. Quod Episcopi in recitatione Divini officii possunt juvari ab aliquo ex suis familiaribus, qui tenetur se conformare cum officio sui Episcopi, absque alia obligatione recitandi juxta proprium ritum, *Clem. Dignum De celebr. Missar.* Et 7. quod Episcopi possunt habere Oratorium privatum in propriis ædibus, & in eo Missam celebrare, vel coram se celebrare facere; etiam in itinere super altare portatili *cap. ult. de Privileg. in* 6. Quod quidem privilegium non esse revocatum à Concilio Tridentino *sess.* 22. *in Decret. de celebr. Missar.* testantur Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 4. Beja *p.* 4. *casu* 33. Barbos. *de off. & pot. Episc. alleg.* 23. *num.* 5. Gavant. *in Man. Verb. Episcopus num.* 8. Ugolin. *de offic. Episc. cap.* 2. § 2. *num.* 4. ubi sic declaratum ait à Sacra Congreg. Novar. *in Sum. Bullar. p.* 1. *Commentar.* 7. *num.* 4. Nicol.

col *Lucubr. Canon. lib. 5. tit. 33. num. 7. limit. 5.* & Jordan *ducl. tom. 5. lib. 4. tit. 1. num. 132.* qui subdit, quod Episcopus celebrans etiam extra propriam Dioecesim in Oratorio privato, vel altare portatili, potest dare Episcopalem benedictionem cum versu: *Sit nomen Domini benedictum*, & non tenetur petere licentiam celebrandi ab

19 Ordinario loci, nisi ex quadam convenientia, ut sibi rescriptum fuit à S. Congregatione anno 1633. dum Venetiis moraretur pro defensione jurium Ecclesiæ suæ Tragurienfis, excepta tamen Urbe Roma, in qua propter reverentiam Papæ non permittitur usus altarium portatilium in privatis domibus absque assensu Sanctitatis Suæ. Antonellus *de loco legati lib. 1. cap. 5. num. 5. & 6.* Et demum aliam prærogativam habet Oratorium privatum in ædibus Episcopi, ut quicunque in eo audiverit Missam diebus festis, satisfaciat præcepto. Diana *part. 9. tract. 1. resol. 3. num. 4.* reperienda in opere

20 Coordinato *tom. 4. tract. 2. resol. 42.* prout decisum fuisse *à S. Congregatione Concilii die 22. Septembris 1640.* testatur Eminent. Card. Brancatius in citata sua eruditissima Dissertatione *num. 47.* apud Dianam *d. p. 6. tract. 8. resol. 40.* Coordinatum autem *tom. 9. tract. 7. resol. 49.* Et in prædicto Oratorio si sit ædificatum, ut semper permaneat, poterit celebrari Missa, etiam absente Episcopo, & non solum ab uno, sed à pluribus Sacerdotibus quacunque die. Pelizzar. *in Man. Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 173.* Franc. de Lugo *de Sacram. libr. 5. cap. 6. quæst. 3. num. 25.* Novar. *in Summa Bullar. part. 1. Comm. 80. n. 4.* Thom. Tamburin. *de Sacrific. Missæ dict. lib. 1. cap. 4. num. 13.* Pasqualig. *decis. 55. n. 3.* Quartus *in Rubric. Missal. par. 3. tit. 10. sect. 2. d. b. 4.* & novissimè Bissus *in Hierurgia tom. 2. d. Verb. Oratorium § 18.* & ratio est, quia hujusmodi privilegium Episcopale non est personale tantùm; sed mixtum, idest personale, & locale: quo convenienseſt, ut non solum tota familia Episcopi, & ejus hospites utantur, sed etiam exteri, ut praxis ubique demonstrat; quidquid docuerit Diana *Coordinatus tom. 4. tract. 2. resol. 6. num. 3.* desumpta *ex part. 4. tract. 4. resol. 55.* Qui tamen Diana admittit supradictam opinionem Pellizzarii, si talis sit consuetudo *in d. tom. 4. tract. 2. resol. 8. num. 4. coordinate*, quæ extat in antiquo *par. 3. tract. 5. resol. 41.*

21 Quo verò ad Oratoria privata respectu Regularium; pro vero est supponendum, antiquitùs concessum fuisse Regularibus, *ut ubicunque fuerint, sine Parochialis Juris præjudicio, cum Altari viatico celebrare*, tum *ex cap. in his 30. de Privileg.* tum ex pluribus Indultis Apostolicis pro diversitate temporum Religiosis institutis per Summos Pontifices concessis, de quibus, ad satietatem, & ultra, testantur omnes scriptores Regulares, quorum plurimos refert Pasqualig. *decis. 174. 175. 176. & 177.* & Diana *coordinatus d. tom. 4. tract. 2. resol. 55. resol. 52. resol. 13. & resol. 24.* quorum Privilegiorum vigore, asserunt Regulares, sibi licitum fore, tenere Oratoria privata pro celebratione Missæ non solum in suis Monasteriis pro infirmis, sed etiam in Grangiis, & domibus ruralibus ad proprium commodum, atque Sacerdotum sæcularium ibi confluentium; & tandem in quocunque decenti, atque honesto loco, ac præcipuè iter agendo, posse, Oratorium construere, & ibi super Altare portatili celebrare, & etiam si inveniuntur, in aliqua domo sæculari, Cesped. *de exempt. Regular. cap. 5. dub. 95. dub. 93. & dub. 94.* Bissus *d. tom. 2. Verb. Oratoria § 19. & Verb. Regulares num. 25.*

22 Cæterum non levis est discordia inter eosdem Regulares, dum quærunt, an supradicta omnia Privilegia, quibus olim gaudebant circa Oratoria privata, sint revocata per Concilium Tridentinum *d. sess. 22. in Decreto de Observ. in celebr. Missar.* Quamvis enim Diana cum multis asseclis negativam sententiam sustineat in Opere Coordinato *d. tom. 4. tract. 2. resol. 15.* Quæ in Veteri est *part. 4. tract. 4. resol. 106. & part. 9. tract. 1. resol. 34.* quæ coordinato *d. tom. 4. tract. 2. resol. 16.* plurimi tamen affirmant, prædicta Privilegia esse revocata, quia Concilium Tridentinum expressè loquitur de sæcularibus, & Regularibus, Novar. *in Man. cap. 25*

*cap. 25. num 82.* Suarez *in 3. part tom 3 disp. 81. sect 3 in fine*. Henriquez *lib. 9 cap 27 num. 2 in gloss. litt S.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1 quæst. 40. art 9. conclus 4.* Barbos *de Episc. allegat 23 num 4.* Loterius *lib 1. quæst. 30. num 15.* Jordan *d tom. 2 lib. 4. tit 1 num. 140.* & Antonell. *de loco legali lib 1 cap. 5 num 7.* Nobis tamen placet, ob singularem, quam in Regulares profitemur, observantiam, eosdem ad concordiam reducere, dicendo; Concilium Tridentinum funditùs non abrogasse Privilegia prædicta, sed Episcopis dedisse facultatem, quatenus sibi bene videatur, prohibere iisdem Regularibus, nè in Oratoriis privatis celebrent, ait enim *Concil d. sess 22. in cit Decret. Nevè patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi*. Igitur possunt uti antiquis privilegiis circa Oratoria privata, nisi ab Episcopis prohibeantur, quibus propterea competit facultas prohibendi. Quartus *in Rubr. Miss. d part 3. tit 10 sect 2. dub 8 Vers. Secunda Sententia*. Diana, hanc distinctionem assequutus *part 6. tract. 8. res. 39.* Quæ coordinata est *dict tom 4 tract 2. resol 23 § 1* & Eminentiss. Card de Lugo *De Sacram Euchar disp 20. num. 52.* In hac autem Diœcesi Patavina hujusmodi prohibitio legitur in Synodalibus Constitutionibus *Par 1 cap 10. § Nullus*. Et bene facerent Episcopi, si visitarent in Conventibus Oratoria privata, in quibus Regulares celebrant Missam.

Hinc est, quod Sacra Congreg Concilii *die 24. Novembris* 1644. respondit Archiepiscopo Calaritano, posse procedere contra Sacerdotes tàm Seculares, quàm Regulares volentes celebrare in Capellis Palatii Civitatis, post edictum prohibitorium ipsius Archiepiscopi, Diana *part. 9 tract 1 resol 35.* posita in Opere Coordinato *tom 4. tract 2. resol. 17*. Et in Civitate Genuensi, cum nonnulli Regulares præsumerent in Oratorio privato Nobilis personæ non solum semel in die, sed plures Missas celebrare (quod etiam vidi eos practicare in hac Patavina Diœcesi in Villa Sermedulæ in Oratorio privato DD. Comitum de Borromeis) & id facerent etiam diebus solemnioribus in Brevi Apostolico exceptis, prætextu suorum Privilegiorum, Archiepiscopus illius Urbis prohibitionem fecit sub pœna interdicti in Oratorium, & suspensionis in Regulares celebrantes, & re delata ad Sacram Rituum Congregationem *die 23. Februarii* 1667. responsum fuit ad favorem Archiepiscopi, ut refert Bulus *in Hierurgia tom 1 in Verb. Altare num 245 § 3* ex quibus comprobatum remanet, Regulares subjectos esse auctoritati Episcopali circa celebrationem Missæ in Oratoriis privatis, & eorum Privilegia nil valere, Episcopo prohibente; quod, quæso, notent Episcopi, decet enim eos ignorare proprias facultates.

Tandem quoad Oratoria privata, constructa in domibus Procerum, & nobilium personarum, sciendum est de Jure fuisse prohibitum, Sacrum facere in domibus privatis, *cap. Tabernaculum*, & *cap. Unicuique de consecr. dist 1* Nisi ex justa causa Episcopus licentiam dedisset, *cap. Missarum ead dist 1. cap. Quidam 18. quæst. 2.* Porrò tum ex Episcoporum nimia Indulgentia, tum ex Privilegiis Apostolicis superabundanter Regularibus concessis, ita excreverat abusus privatorum Oratoriorum, in quibus cum irreverentia sacrificium Missæ celebrabatur, ut Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 22. in Decreto supracitato de observ. & evitan in celebrat Missæ* statuerit, non esse amplius extra publicam Ecclesiam celebrandum, & commiserit Episcopis, ne paterentur in privatis domibus Sacrum fieri. Verùm quia Concilium modestis verbis usum fuit in hac prohibitione, plurimi Episcopi prædictum Decretum Conciliare non exequebantur, immò contra ipsum operabantur, unde Sacra Congregatio Concilii jussu Pauli Papæ Quinti *die 10. Martii* 1615 scripsit litteras Encliticas, relatas à Nicol *Lucubrat. Canonic. d. lib. 5 tit. 33 num. 7.* à No-

23

à Novario in *Summ. Bullar. d. par. 1 Comment. 80 num. 2.* & à Fagnano (tunc Secretario, & scriptore earumdem *in cap. Auctoritate num. 18. De Censibus tom. 5. p. 286.*) per quas declaratum fuit, nulli Episcopo licere, facultatem facere cuicunque personæ, in Oratorio privato audiendi, celebrandivè Missam absque obtentu Apostolici Privilegii. Igitur ab eo tempore citra omnes Episcopi abstinuerunt à prædicta concessione, & personæ nobiles cœperunt recurrere ad Apostolicam Sedem pro Indulto Apostolico privati Oratorii in suis domibus, cujus quidem Indulti nunc frequens est usus, ideoque ipsius clausulæ hic breviter, & summariè sunt ponendæ, exponendæ, atque explicandæ. Itaque Breve Apostolicum Oratorii privati incipit.

24

25

I. *Innocentius Papa Duodecimus.* Sic enim nominatur Summus Pontifex hodie regnans, creatus *die 12. Julii anno* 1691. qui antea vocabatur *Antonius Cardinalis Pignatellus Neapolitanus*, quem Deus successibus fœlicissimis sospitet, continuaque protectione custodiat. Cœpit autem hæc nominis mutatio in *Sergio* hujus nominis *Papa Secundo* circa annum 844. qui cum ante assumptionem ad Pontificatum vocaretur *Osporch*, ob dicti nominis indecentiam, illud mutavit, & se *Sergium* appellavit. Platina *in ejus Vita in princ.* Jacob. Philipp. de Bergom. *in Chronic. lib. 11. ann. 846.* Menochius *de Arbitr. Judic. casu 318. num. 4.* ubi fieri notat hujus nominis mutationem, quam deinde post Sergium amplexi sunt omnes Romani Pontifices, ad denotandum Majestatem, & excellentiam Pontificatus, est enim justum, ut qui omnibus præesse debet, non amplius nomine antiquo appelletur, sed novum nomen habeat, sicut de novo effectus est omnium Dominus, & Dei Vicarius. Concordant Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 1. num. 44.* & Bonacina *de Censuris in Bulla Cænæ tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 7. 8. & 9.* Cæterum P. Antonius Poßest. *in suo Mappamundo tom. 3. in princ. cap. 3. num. 21.* advertit ex Anastas. *Bibliothecar.* supradictam Platinæ narrationem esse fictitiam, & mutationem nominis in Papa fuisse introductam, vel ab Adriano III. vel à Joanne XII.

26

27

II. *Dilecto Filio* (exempli gratia) *Bonifacio Comiti de Borromeis.* Errorem nominis, seu cognominis, non vitiare gratiam, quando constat de persona, cui concessa est; asserunt omnes Doctores. Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 21. num. 37.* Rota *decis. 87. num. 3. decis. 319. num. 1. & decis. 566. num. 3. par. 2. recen.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 27.* Diana *par. 8. tract. 3. resol. 63. & 64.* Quæ in Coordinato sunt *tom. 3. tract. 2. resol. 107. & 108.* Nam Papa intendit gratiam facere petenti, sive sit Petrus, sive sit Paulus, sive Franciscus, Julius *de Dispensat. Matrim. lib. 1. cap. 4. num. 54. 55. & 56.* ubi excipit si petatur dispensatio in forma pauperum, ne detur locus fraudibus in emolumentis officialium Romanæ Curiæ. At hæc doctrina cum grano salis est intelligenda, ut scilicet Breve Apostolicum non sit invalidum; sed ad ejus executionem deveniri non possit, nisi prius remittatur Romam, & ibi error corrigatur. Thom. de Rosa *de Executor. litter. Apostolic. par. 1. cap. 5. num. 269. & 270.* Lotter *lib. 3. quæst. 34. per totum*, & Amygdem *de Stylo Datariæ lib. 1. cap. 10. num. 4.* Nisi error nominis, aut cognominis versaretur in aliqua syllaba, vel littera, ut si impetrantis nomen esset *Antoninus*, seu *Bernardinus*, & in Breve diceretur *Antonius*, vel *Bernardus*, aut vice versa; vel si Orator nominaretur duplici nomine, veluti *Joannes Maria*, *Antonius Maria*, *Joannes Petrus*, & unum tantùm nomen esset scriptum; tunc enim Breve exequendum foret. Lotter & de Rosa *ubi supra*, Corrad. *de dispensationib. lib. 7. cap. 5. num. 8.*

28

29

III. *Civitatis, vel Diœcesis Paduanæ.* Pariter si circa hanc clausulam irrepsisset error, & expressa fuisset alia Civitas, vel Diœcesis, validum esse Breve Oratorii privati asserit Quartus *in Rubric. Miss. d. par. 3. tit. 10. sect. 3. dub. 1. difficult. 1.* cum Diana *par. 1. tract. 10. resol. 36.* jacente *in Coordin. d. tom. 3. tract. 2. resol. 109.* Dummodò tamen sit certitudo circa per-

30

personam impetrantis. Quandoquidem, si dubium esset, cuinam personæ fuisset gratia concessa, in hoc casu opus esset correctione ante executionem, resultante incertitudine circa personam impetrantis; cum enim sint (exempli gratia) Comites de Borromeis Florentini, Mediolanenses, & Paravini, error Civitatis, & Diœcesis incertum facit, cui ex his Comitibus Papa voluerit gratiam facere. Monet. *de Commut ultimar volunt cap 12. conclus. 9 num. 206*. Justus *d lib. 1 cap 4 à num 59 & seqq*. Non inficiamur, quod si post obtentum Breve, Comes de Borromeis Patavinus transferret Florentiam, seu Mediolanum habitationem suam; potiri posset eodem Breve. Tamburin *de Sacrif Missæ lib. prim. cap 4. § 4 num 2*. Bissus *in Hierarg d Verb Oratoria num. 109 § 5*. Ea ratione quia Privilegium est personale, & sequitur personam, quocunque ierit. In Brevibus Apostolicis, quæ impetrantur per Nobiles Venetos pro habendo Oratorio privato, ponuntur hæc Verba: *ut in Civitate, & Diœcesi Venetiarum* illud habere possint. Dubitatum fuit an virtute eorumdem Brevium sit eis permittendum Oratorium privatum in Diœcesi hac Patavina? Et his respondi affirmativè ad favorem DD. de Gritis, & DD. de Sagredis, tum ex supracitata doctrina, quod gratia est personalis, & sequitur personam, quocunque ierit, etiam extra Diœcesim; tum quia totum Dominium Venetum dicitur Diœcesis Nobilium Venetorum, qui idcircò à quocunque Episcopo hujus Serenissimi Dominii possunt absolvi, dispensari, ac etiam ad ordines promoveri. Jordan. *tom. 1 lib 3 tit 3 num 89 & tit 6 num. 66* ex rationibus, & Doctoribus ibi per eum allegatis.

31

IV. *Qui, ut asseris, de Nobili genere procreatus existis*. Deficiente nobilitate corruit Indultum, quia hæc est conditio essentialis, propter quam Papa concedit Oratorium privatum. Felin *in cap. Ad aures de Rescript*. Rota coram Ludovis. *decis 214. num 2*. & coram Merlin *decis 229 num 1*. Tamburin *d lib 1. cap 4 § 4 num 3. 4. 5* & Quartus *d part 3. tit 10. sect 3. dub 2* qui duo Auctores dicunt, non sufficere nobilitatem ex privilegio, neque ex parte Matris tantùm. Sed contrarium esse verius, & utrumque sufficere in præsenti materia Oratorii privati docet Pignatell. *d tom 6 consult 98 num 44. & 45*. Nam dicta clausula non ponitur à Papa taxativè, sed demonstrativè, & de Jure nobiles ex Privilegio admittuntur ad ea, pro quibus requiritur nobilitas sanguinis, ut in praxi observatur in Republica Veneta circa nobiles noviter factos ex Privilegio Serenissimi Magni Consilii, Garzia *de nobilitate gloss 1 § 2 num 50. & gloss 35 num 48*. Tiraquell *eod tract cap 6*. Et qui natus est de Matre nobili dicitur procreatus de parentela, & de genere nobili, quia nobilitas ab ascendentibus provenit in descendentes, *l fin. ff. de Senator*. Rota coram Durano *decis 8 num 7 & part 3 rec decis 220. num 1*. Et in materia favorabili sufficit nobilitas ex Matre, Bald *cons. 283 in fin lib 1*. Rota *decis 375 num 5 part. 4 recent*. Et solum attenditur nobilitas ex Patre, quando requiritur nobilitas absoluta, & in stricta significatione. Rota coram Dunm *decis 294 num 8*. Non est autem necessaria probatio nobilitatis, si nota sit Ordinario, ad quem spectat executio Brevis, quia non committitur ei, ut se judicialiter informet, & sic sufficit, si notum sit fundamentum gratiæ: quod si Nobilis advenisset noviter in Diœcesim Episcopi, tunc esset justificanda nobilitas extrajudicialibus probationibus Pignatell. *d tom 6 cons 98 num 49*.

32

33

V. *Ut in privato domus tuæ solitæ habitationis Oratorio*. Ex hac clausula, si Nobilis mutet habitationem, posse novum Oratorium in nova habitatione construere, & in eo celebrare facere, tam in eadem Civitate, & Diœcesi, quam alibi docent DD. eo quia ut supra notavimus, Privilegium est personale, & sequitur personam. Tamburin *d lib 1. cap 4. § 4. num 6*. prævia tamen approbatione nova Episcopi. Quartus *d part 3 tit 10 sect 3 dub 3*. Pignatell *d tom 6 consult. 98. num 58. 59. & 60* ubi concedit, quod si Nobilis solitus sit habitare diver-

34

fas domos, exempli gratia unam in Urbe, tempore hyemali, aliam ruri tempore æstivo, poterit in utraque domo habere privatum Oratorium, quando Verba Brevis Apostolici non stent restrictivè; & taxativè, sed posita sint demonstrativè; & in dubio stare demonstrativè docet Rota *part. 1 divers. dec. 442. num. 3* & coram Merlino *dec. 328. num. 12.* Card. Parisius *lib. 4. cons. 4. n. 36*

VI *Ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ab omnibus domesticis usibus libero*; idest in formam Capellæ cum Altari, & Sacra Imagine. at quatuor muri non 35 sunt necessarii, sed tres sufficiunt, si prospectus claudatur vel januis ligneis, aut tela. Super fornicem, aut tectum hujusce Oratorii potest tolerari cubiculum, sed per ipsum Oratorium non est tolerandus transitus ad alia cubicula: neque in illo conservandæ res domesticæ, ut docent Quartus *d. part. 3 tit. 10. sect. 3 dub. 4 per totum* Tamburin. *d. lib. 1 c. 4 §. 4 num. 8. & 9* & Pignatell. *d. consult. 98 num. 36 tom. 6.* Qui omnes advertunt, posse ad libitum Patroni dictum Oratorium iterum reduci ad domesticos usus, atque profanos, quia non est locus Sacer, & non gaudet immunitate, neque per carnalem copulam in eo committitur Sacrilegium, ut diximus supra.

VII *Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando*, idest per Episcopum, aut ejus Vicarium, vel alium Visitatorem ab eo delegatum, sive à Vicario Capitulari, Sede Episcopali vacante; ac etiam à Prælato inferiori habente quasi 36 Episcopalem Jurisdictionem, toties, quoties ouiaretur, seu erigeretur novum Oratorium, ac etiam quandocunque sic placeret ipsi Ordinario, ad videndum, an manuteneatur cum debita decentia; semper tamen gratis, & absque procuratione. Tamburin. alios allegans *d. § 4. num. 11. 12. & 13.* Quartus *d. sect. 3 dub. 5* & Pignatell. *d. tom. 6 consult. 98. num. 38.* 37 ubi advertit, Ordinarium peccare mortaliter approbando Oratorium, quod caret qualitatibus expressis in Indulto Pontificio, & licentiam, quam daret, esse nullam.

VIII *Ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura.* Si Oratorium sit decenter ornatum, Episcopus non potest licentiam celebrandi negare, & si illam concesserit, non valet absque justa causa eam revocare, alias in utroque casu datur appellatio, quia Papa non remittit executionem Brevis liberæ voluntati 38 Ordinarii, sed ejus arbitrio, quod significat arbitrium boni Viri, & necessitatem exequendi, & non impediendi, nisi ex causa rationabili. Pignatell. *d. consult. 98 num. 41. & 42.* Tamburin. *d. lib. 1 de Sacrific. Miss. cap. 4 § 4. num. 14. usque 18.* Quartus *dict. sect. 3 dub. 5 difficult. 2.* ubi 39 omnes advertunt per mortem Episcopi minimè expirare dictam licentiam, neque per mortem Papæ cessare gratiam Indulti concessi, etiamsi moreretur ante constructionem Oratorii. Pignatell. *ibid. num. 53 & 54.* Sufficit autem, quocunque modo constet de licentia Ordinarii sivè per litteras, sivè per Decretum, sivè per mandatum, cujus formulam extendit Thomas de Rosa *d. tract. de Executor. litterar. Apostol.* in fine Operis *pag. 491.*

IX *Unam Missam pro unoquoque die.* Et ideò peccarent mortaliter tum Sacerdotes celebrantes, tum Patroni Oratorii permittentes celebrari ultra unam Mis- 40 sam in die, quia esset Sacrum facere in loco inepto, deficiente voluntate Papæ, qui non concedit, nisi unam Missam in die. An autem Regulares virtute suorum Privilegiorum possint eadem die plures Missas in Oratorio privato alicujus viri nobilis celebrare? diximus supra. Negat enim Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 68.* tàm circa ipsos Regulares, quàm circa habentes Bullam Cruciatæ, quamvis contrarium doceant Moralistæ, quos allegat, & sequitur Tamburin. *de Sacrific. Missæ d. lib. 2 cap. 4 § 3. num. 3 & sequentib.* quibus non videtur contradicendum, cessante contradictione, seu prohibitione Episcopi, & concurrente communi observantia, atque consuetudine interpretativa Indultorum Apostolicorum circa celebrationem plurium Missarum in Oratorio privato,

eadem

eadem die, quam absque scrupulo practicant Regulares, ut ego plaries vidi in hac Diœcesi *cap Quod dilecto De consang & affinit* Rota *part 1 divers decis 574 num 3 decis 944 num 6* coram Buratto, & coram Alex Octavo *decis 165 num 20*.

X *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, altera concessa non fuerit* Si tamen domus esset ita ampla, ut in eadem habitarent duæ familiæ nobiles, ut Venetiis sæpè accidit, quælibet familia posset habere suum speciale Indultum, & proprium Oratorium. Pignatell *d tom. 6 consult 98 num. 61 & 62. & seqq ubi num 65* benè advertit, quod locator medietatis domus non posset uti Oratorio existente in parte domus locata, ea enim pars non possidetur à locatore, sed à familia conductrice. Bart. *in l 1 § fin. num. 17 ff Uti possidetis, & cons. 40. num.6 lib.4.* Rota *decis 315 num 2. part 1 divers & part 2. recent decis 208. num 2.* Quod si impetraretur secundum Breve pro Oratorio privato, nondum expirato primo, non esset nullum, quando expectaretur expiratio primi pro usu hujus secundi, quod ex nunc, & non ex tunc censetur datum, *l. 1 § 1 ff de leg 3.* Gloss *in cap Non firmatur De Reg Jur in 6.* & Calder. *cons 2. num.3 de Constitut* Pignatell *ubi supra num.66* Quæ est doctrina notabilis pro Brevibus Indulgentiarum impetratis antequam priora sint expirata.

XI *Per quemcunque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem.* Idest generica approbatione ad celebrandum in Diœcesi, quia non requiritur licentia specialis pro celebratione Missæ habenda in Oratorio privato Tamburin. *d lib 1 cap.4. § 4 num 23* Bissus *dict Verb Oratorium § 12.* & Pignatell. *ead consult 98. num 83. 84.*

XII *Sine tamen quorumcunque jurium Parochialium præjudicio* Jura Parochialia sunt, receptio Decimarum, & oblationum; administratio Sacramentorum, Jus sepulturæ, & similia, quæ in Oratoriis privatis fieri non possunt, absque Episcopi, vel Parochi expressa licentia. Tamburin. *dict cap 4 § 4. num. 24. & 25.* Pignatell. *d consult 98 num. 85* Bissus *d. Verb Oratoria § 13 & in Verb. Missa num. 211 § 15* ubi ex Tonell. *in Sacr. Enchirid. lib 1 cap 2. § 2 num. 14.* ait, non videri licitam in Oratorio privato benedicere candelas, cineres, & palmas, quæ assertio posset fulciri ista Magistrali doctrina Gavanti *in Rubric Missal part 4. tit.19. num.1 & 20.* quam refert Pignatell. *tom. 5. consult 76 num. 11* quod scilicet benedictiones existentes in Missali possunt fieri à quocunque Sacerdote citra præjudicium Jurium Parochialium, quæ verò sunt in Rituali à solo Parocho sunt faciendæ. Cæterum, ut ait Bissus *d § 15.* bonum est abstinere à novitatibus in Oratoriis prædictis.

XIII *Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis D. N. Jesu Christi, nec non aliis solemnioribus festis diebus exceptis* Idest prædictarum festivitatum dies prima tantummodo, non autem secunda, & tertia die festiva. Pro aliis solemnioribus festis diebus, intelliguntur festi dies *Epiphaniæ, Annunciationis, & Assumptionis Deiparæ, SS Apostolorum Petri, & Pauli, ac Omnium Sanctorum*, ex Decreto S Rituum Congregationis Pignatell *d. tom 6. consult 98 num. 75* qui rationem reddit, scilicet ob commemorationem magni beneficii, his diebus festis à Deo recepti, cujus causa convenit, ut fideles Ecclesiam adeant ad gratias agendas. Quoad festum Patronorum servandam esse Diœcesis consuetudinem docent Bardi, & Gavant. apud Tambur *d lib 1 cap.4. §. 4. num 27* & Pignatell *d consult 98 num. 76 & num 77.* subdens, non censeri prohibitum celebrare in Oratorio privato feria quinta, & Sabbato majoris hebdomadæ. Regulares autem non posse his solemnioribus diebus celebrare in Oratorio privato, si Episcopus prohibeat, dicimus supra *ex Decreto S Rituum Congregationis diei 23. Februarii 1667.*

XIV. *In tua, & familiæ tuæ præsentia celebrare facere* Nomine familiæ veniunt omnes, qui attinent ad ipsum Patronum Oratorii, vel ratione *Parentelæ*,

*tela*, idest Agnati, Cognati, & Affines, etiam spurii, si secum in eadem domo convivant, vel ratione *Servitii*, ob quod stipendium habeant, licet non sint ejus commensales, & non dormiant in eadem domo. Cardin. Tuschus *lit. F. conclus. 72. num. 11. 27. & 30.* Pignatell. *d. consult. 98. num. 91. & 92. & 103.* Tamburin. *d. cap. 4. § 4. num. 28. 29. & 30.* Bissus *d. tom. 2. Verb. Oratoria § 15.* & ideò ad hunc effectum dicitur de familia Hortulanus, Factor Villicus, Capellanus, qui ut satisfaciat Præcepto audiendi Missam, celebrando in privato Oratorio, debet esse stipendiatus à Patrono pro hoc munere obeundo, alioquin, si vocetur ob manualem eleemosynam ad litandum, tenetur audire Missam in Ecclesia diebus festis, quod à paucis credo servari. Pignatell. *d. consult. 98. num. 97.* & licet Bissus *d. § 15.* doceat, quod convivens cum ipso Patrono ratione amicitiæ, vel contubernii, si non sit consanguineus, vel stipendiatus, non satisfaciat Præcepto, audiendo Missam in Oratorio privato diebus festis, ego contrarium sentio, quia & is verè est de familia, qui firmiter ibi habitat, puta si sit amicus ibi refugii causa degens, bannitus à sua patria, vel inimicitias habens, quarum causa deseruit propriam habitationem, ut frequenter accidit in hac Civitate Patavina. At Pedissequæ, & famuli ad comitandum Dominos, dum exeunt domo stipendiati, sed non conviventes secum in eadem domo, non satisfacerent Præcepto adstantes, dum Sacerdos litat in Oratorio privato. Trullench. *lib. 1. in Bull. Cruc. § 1. dub. 5. num. 2.* Pignatell. *d. consult. 98. num. 106.* Porrò Missam celebrari posse in Oratorio privato, etiam absente Patrono, si aliquis de familia sit præsens, omnes DD. concedunt, nam ea Verba, *In tua, & familiæ tuæ præsentia* non stant conjunctivè, sed disjunctivè, & sonant *in tua, vel in familiæ tuæ præsentia*. Bissus *d. tom. 2. Hierurg. Verb. Oratoria, § 15. in fine*. Castropal. *part. 4. tract. 25. disp. Unica punct. 6. num. 9.* & Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 99.*

XV. *Nec non ut Hospitum morum Nobilium præsentia*. En duplex conditio, *Hospes ut sit, & Nobilis*. Illi sunt Hospites, qui sunt recepti à Domino ad ejus mensam ex occasione temporanea, etiamsi ut stent ad prandium ea die, vel ad videndam Processionem inde transituram. Gobat *de Sacrament. tract. 5. num. 371.* Bissus *d. Verb. Oratoria § 17.* Nobiles non requiruntur ex genere, sed lato modo ex quacunque causa, ut sunt divites, Doctores, Medici, Advocati, & Cives, dummodo non exerceant ea, quæ sunt contraria nobilitati. Tiraquell. *de Nobilit. cap. 4. & sequen.* Garzias *eod. tract. gloss. 48. § 3.* Pellizzar. *in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. quæst. 13.* & Pignatell. *d. consult. 98. num. 100. 101.* ubi advertit, quod hoc Privilegium non extenditur ad famulos eorundem hospitum, quia ipsi famuli non sunt nobiles, sed hæc ratio me non convincit, siquidem benignitas Pontificis extendit gratiam ad famulos Patroni domi, quamvis non sint nobiles, eò quia sunt necessarii ipsi Patrono, ergo dicendum venit, quod famuli hospitum nobilium, quia sunt necessarii & ipsi suis dominis, ad quem effectum illos secum conducunt, debeant, & ipsi participare de eadem gratia Pontificia, & satisfacere præcepto Missæ, eam audientes in Oratorio privato illius domus, ubi hospitantur, ne sint pejoris conditionis, quàm famuli continui prædictæ domus, ubi enim est eadem ratio, ibi debet esse eadem Juris dispositio, *l. Illud, ff. ad l. Aquiliam*. Thomasett. *Reg. 319.* & quamvis Privilegium sit strictè interpretandum *cap. Porrò, cap. Ex parte, & cap. Petitio, de Privil.* tamen potest extendi, quantum extenditur mens concedentis, Cardin. Mantic. *de tacit. & ambig. tom. 1. tit. 5. num. 13.* Et est credendum, mentem Pontificis esse, dum admittit famulos necessarios Patroni nobilis ad hanc gratiam, admittendos fore etiam famulos necessarios hospitum nobilium, præcipuè si sint Matronæ nobiles, quarum famulas non deceret, recedere ab ipsis, ut in aliqua distanti Ecclesia rurali Missam quærerent audiendam.

XVI. *Volumus autem quod familiares servitiis tuis non necessarii, ibidem Missæ interes-*

*tersistentes, ob obligationem audiendi Missam in Ecclesia diebus festivis de praecepto minimè liberi censentur.* Quatuor sunt circa 50 hanc clausulam notanda. *Primum*, quod illi censentur familiares necessarii, qui non solum sunt necessarii servitio personali Patroni, sed etiam sunt necessarii servitio communi domus, atque adeò nemo excluditur ex iis, qui sunt in aliquo actuali servitio, concernente domum Privilegiati: & cum necessitas, & utilitas in jure aequiparentur, *cap. In causis. De Re judic. & in cap. Post translationem. De Renunciat. Abb. in cap. Ut super. De Reb. Eccl. non alien.* illi omnes dicuntur famuli necessarii, qui sunt utiles in aliquo servitio ipsi Domino, attento statu, & dignitate ejusdem Domini Privilegiati, Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 107. 108.* Et ideò Cubicularii, & Cubiculariae, Secretarius, Auriga, Coquus, Parafrenarii, quibus non convenit deferere proprium Dominum, eumvè solum domi relinquere, reputandi sunt necessarii ejus servitio, & capaces Privilegii audiendi Missam in Oratorio privato illius domus. *Secundum* est, quod qui superflui sunt, vel servitio actuali 51 tunc non necessarii, puta Hortulanus, Custos domus, vulgò *Castaldo*, & si qui similes, tenentur ire ad Ecclesiam, non attenta opinione Homoboni, Pellizzarii, & Castropalai, quos citat, & refutat Tambur. *d. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 34. & 35.* non est enim eorumdem bona ratio, quod his temporibus cessante obligatione audiendi Missam in Parochiali Ecclesia, possit audiri in Oratorio privato, & sic satisfieri praecepto, nam ad praecepti satisfactionem requiritur, ut Missa audiatur in Ecclesia publica, ut publicus cultus Deo reddatur secundùm ritum Sanctae Matris Ecclesiae, & sacros Canones, tum antiquos *in cap. Tabernaculum, de Consecr. dist. 1.* tum Concilii Tridentini *d. sess. 22. in Decreto de Vitan. & observ. in celebr. Miss.* Et ideo eorumdem Homoboni, & Pellizzarii ratiocinationem, Emin. Card. Brancat. *in dissert. de Privil. Capell. Cardin. pag. 30.* vocat falsam, & divinatoriam. *Tertium* est, quod si quis non posset adire Ecclesiam diebus festis de Praecepto, ad Missam audiendam, ob legitimam causam, non teneretur eam audire in privato Oratorio, etiamsi ibi eam posset audire, & non esset ex privilegiatis, praeceptum enim non obligat ad id, per quod adimpleri non potest. Pignatell. *dict. consult. 98. num. 108.* Diana Coordinatus *tom. 4. tract. 2. resol. 42. §. 5.* Quae desumpta est *ex par. 9. tract. 1. res. 3.* 52 *Quartum est*, quod Privilegiatus audire Missam in Oratorio privato, tenetur ibi eam audire, cessante legitimo impedimento accedendi ad Oratorium, puta gravis infirmitatis, quamvis eo impedimento excusaretur accedere ad Ecclesiam publicam, praeceptum enim audiendi Sacrum diebus festis obligat omnes non impeditos, at Privilegiatus, habens Oratorium privatum, non est impeditus respectu privilegii, quod datum est non ad tollendam obligationem audiendi Missam, sed ad facilitandum adimplementum obligationis, ut si Papa mihi concederet, ut jejunare possem comedendo carnes, essem obligatus semel in die carnem, cibumque sumere, & sic jejunare. Nugnes *3. par. quaest. 83. art. 6. dub. 3.* Pignatell. *d. cons. 98. num. 110.* alias rationes adducens contra Suarezium, & Dianam contrarium docentes *in d. §. 5. resol. coord. 42. tom. 4. tract. 2.*

Tandem quia plurimi Regulares allegati per Tamburin. *de Sacrif. Missae dict. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 37.* pro certo supponunt, habentem Bullam Cruciatae posse die festo audire non solum unam, sed plures etiam Missas, non tàm in Oratorio privato propriae domus, quàm alie- 53 nae, advertit Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 109.* suppositum non esse verum: siquidem ad summum Bulla Cruciatae concedit, ut ea fruens possit de licentia Ordinarii, & Commissarii obtinere Oratorium privatum in propria domo, & subdit rationem, quia cum ferè omnes habeant Bullam Cruciatae, etiam homines infimae conditionis, si possent in quibuscumque privatis Oratoriis unam, vel plures Missas diebus festis audire, destrueretur publicus cultus Divinus,

mus, qui litando in publicis Ecclesiis Deo redditur: & ideò Sacra Cong. Concilii *die 4. Novembris 1648.* Interrogata ab Archiepiscopo Calaritano: *An Privilegium Bullæ Cruciatæ pro hujusmodi Oratoriis, & Altaribus, ac Missarum celebratione in dicta Diœcesi possit suffragari? Item, an quatenus dictæ Capellæ sub Decreto S. Concilii, nec non dicto Decreto Pauli V. & litterarum prohibitione comprehendantur, & Bulla Cruciatæ non suffragetur, liceat Archiepiscopo contra Sacerdotes tàm sæculares, quàm Regulares in eisdem Capellis celebrare volentes, post edictum Archiepiscopi publicatum, seu intimatum procedere, & quibus pœnis illos punire?* Respondit: *Privilegium Bullæ Cruciatæ non suffragari: ideò licere Archiepiscopo contra Sacerdotes tàm sæculares, quàm Regulares in eisdem Capellis celebrare volentes, post edictum Archiepiscopi publicatum, procedere etiam ad pœnas Censurarum.* Quam declarationem affert Pignatell. *d. tom. 6. consult. 98. num. 117.* subdens, quod Tridentinum Concilium *d. sess. 22. in Decreto de evit. & observ. in celebr. Miss.* revocat, quoad Oratoria privata, omnia privilegia, & sic etiam Bullam Cruciatæ, quæ licet à Summis Pontificibus prorogetur pro Regnis Hispaniarum, illa prorogatio non addit de novo, sed solùm extendit ad alterius tempus, ut dixit Rota coram Seraphino *decis. 583. num. 2. in fine*, coram Merlin. *decis. 553. num. 21.* & coram Ludovis. *decis. 522. num. 17.* & notat Fagnan. *in cit. cap. Auctoritate n. 10. de Censib.*

His ita enucleatis pro intelligentia Canonum, & Brevium concernentium Oratoria tum publica, tum privata, in quibus Sanctissima Eucharistia, & conficitur, & dispensatur, deveniendo ad resolutionem propositi casus, omnes dixere, *licitum esse Viro nobili, ex indulto Pontificio Oratorium privatum domi suæ habenti, dum Missam audit in eo, unà cum Uxore, bis, terve in hebdomada à Sacerdote celebrante Communionem accipere*, nulla enim est prohibitio vel respectu suscipientium vel respectu loci, vel respectu administrantis.

In suscipientibus nulla est prohibitio, quia non solum licet laicis bis, terve in hebdomada ex devotione communicare; sed etiam quotidiè data debita devotione, & præparatione, de qua infra, sicut in primitiva Ecclesia omnes Christiani faciebant. Emin. Card. Bona *Rerum liturgicar. lib. 2. cap. 17. num. 2.* ubi probat hanc fidelium devotionem quotidiè communicandi perdurasse usque ad initium quinti sæculi; & eam renovari optasse Concil. Trid. *sess. 22. de Sacrific. Miss. c. 6.* tanquam proficuam populo fideli, ut testantur SS. Patres, & probat Grassius *de Arbitr. Confessar. lib. 1. cap. 30.* & latiùs infra in Casu Prudentiali.

Respectu loci nulla est prohibitio, quia cum Papa concesserit huic Viro nobili, ut in propria domo Oratorium habere possit, & in eo Sacrificium Missæ celebrare facere, per consequens concessisse censetur, ut in eo sacram communionem valeat percipere; cui enim conceditur, quod est majus, dicitur etiam concessum, quod est minus. *cap. Ex parte 3. extr. de decim.* Megalla *tom. 2. Promptuar. Verb. Eucharistia Minister num. 17.* Bordonus *Var. Resol. par. 3. resol. 144. num. 17.* & Volpi *resol. 61. num. 20.* Tantò magis quia ex instituto Ecclesiæ, & ex præscripto Ritualis Romani *De communione*, ea est præbenda in Missa, statim post communionem celebrantis; ne fideles priventur illis precibus, quas post Communionem Ecclesia recitari jubet, spectantes tum ad Sacerdotem, tum ad alios fideles, qui sacram Eucharistiam ibi sumpserunt, ut observat Emin. Card. Brancatius *in dissert. de Sacro Viatico p. 157.* Summa Diana *Verb. Communio num. 71. & Hierolexicon Macri in Verb. Communio in princ.* subdens, quod ideircò in Sabbato Sancto non recitatur in Sacrificio Postcommunio, eo namque die non distribuitur Eucharistia. Sed de hoc in Prudentiali casu sequentis Mensis Aprilis.

Respectu postea administrantis non est prohibitio, quia si celebrans est Sacerdos Regularis, huic licita est Eucharistiæ administratio vigore privilegiorum. Portell. *par. 3. casu 39.* Diana Coordinatus *tom. 4. tract. 2. resol. 44.* desumpta ex *part. 4. tract. 4.*

*tract.* 4. *resol.* 14. ac etiam Bordon *d. par.* 3 *resol.* 144. *num.* 16 17 & 18. ubi plurimos DD. allegat sic docentes; licèt enim antiquitus Regulares communicare non possent laicos absque Parochorum licentia, sub excommunicationis pœna, per *Clement. Religiosi. De Privil.* Miranda *in Manual. Prælator. quæst.* 42. *art.* 1. Nihilominus ex subsequentium Privilegiorum concessione dicta facultas fuit Regularibus impertita, excepto die Paschatis, & Viatico. P. Augustin à Virgine Maria *de Privileg. Religiosor. Verb. Eucharistia.* Bordon *d. resol.* 144. *num.* 18 Bissus *in Hierurg. tom.* 2. *Verb. Missa num.* 211 § 16 Tonell *in S. Enchirid. lib.* 1 *cap.* 2. § 2. *num.* 14. Gobat *de Euchar. tract.* 5 *num.* 368 Quartus *in Rubr. Miss. par.* 3 *tit.* 10. *nu.* 1 *dub.* 9 Et Emin. Card. de Lauræa *de Eucharist. disput.* 24. *num.* 77 Quod si celebrans sit Sacerdos sæcularis, etsi stricto jure non possit dispensare Sanctissimam Eucharistiam fidelibus, nisi sint sibi subditi, & habeat in eos jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, Emin. Cardin. de Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 18 *num.* 36 Pignatell *d. tom.* 6 *consult.* 98 *num.* 86 & Layman. *lib.* 5 *tract.* 4 *cap.* 7 *num.* 3 Tamen ex universali Ecclesiæ consuetudine, & ex communi placito Doctorum, quilibet Sacerdos, præcipuè dum celebrat, potest communicare fideles ex tacita licentia Episcoporum, & Parochorum, ac ex eorumdem interpretativa voluntate, quæ in administranda SS. Eucharistia sufficit, excepto (ut diximus) Paschali, ac mortis tempore. Eminentiss. Card. de Lugo *dict. disp.* 18 *num.* 37 & de Lauræa *dict. disp.* 24. *num.* 78 hanc rationem allegantes, scilicet, quia in omnibus, quæ cadunt in commodum, & beneficium Domini, ac Superioris, potest quis uti ejus voluntate interpretativa, nisi alias constet, Dominum esse invitum. At cadit in commodum Episcopi, & Parochorum, quorum interest, fidelis populi devotionem fovere, & sacræ Eucharistiæ pabulo nutriri, si Eucharistia debita cum reverentia piè poscentibus dispensetur. Ergo Simplex Sacerdos licitè illam dispensat ex interpretativo consensu Superiorum; & ita concedunt Barbos. *in collect. DD. ad Concil. Trid. d. sess.* 22. *de Sacrif. Miss. cap.* 6. Bonacina *de Sacram. Euchar. tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 5 *punct.* 1 *num.* 7 Candidus *disquisit.* 47 *art.* 2. *num.* 4. Bordon *Var. resol. part.* 1. *resol.* 20 *num.* 26 Gavant. *in Rubric. Missal. par.* 2. *tit.* 10. *num.* 6 Quartus *ibid. part.* 2. *tit.* 10 *sect.* 3 *dub.* 4 *difficult. prima in fine.* Navar *in Man. cap.* 21 *num.* 52. Mastrius *in Theolog. Moral. disput.* 18 *num.* 72. Bissus *in Hierurg. Verb. Eucharistia num.* 174. § 2. *tom.* 1 *pag.* 405. & in puncto tenuit Beja *part.* 4. *casu* 14. ubi præter supradictas rationes, ulterius consideravit, quod cum Ecclesia reservaverit Parochis communionem suorum Parochianorum tempore Paschali, & causa Viatici tempore mortis; sequitur, aliis temporibus administrationem Eucharistiæ non esse Parochis reservatam, siquidem inclusio unius est exclusio alterius *cap. Nonnè de Præsumpt. l. Cum Prætor ff. de Judic.* Barbos. *Axiom.* 120. Et ulterius *S. Trid. Concil. in sess.* 13 *cap.* 8. agens de Eucharistia dixit, Ministros hujus Sacramenti, quo ad usum, & sumptionem fidelium esse Sacerdotes celebrantes, non autem dixit esse Parochos tantùm.

Tandem; licitam esse in Oratorio privato supradictam Dominici Corporis, dum Missa celebratur, dispensationem, probat Decretum S. Congregationis Concilii die 12. Februarii 1679. De Quotidiana Communione (infra relatum sub casu Prudentiali) in quo S. Congregatio jubet, doceri, Sanctissimam Eucharistiam esse sumendam vel in Ecclesiis, vel in Oratoriis privatis, concessis ex Pontificia dispensatione ad celebrandum, non autem esse deferendam secretò in crumena argentea ad domi existentes, vel lecto cubantes.

## DECISIONIS IX.

### Ad Februarii secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

**Discutitur, an Matrona jejuna, possit hora Vesperarum ex devotione**

votione communicari? Ostenditur, olim fuisse plures species Communionis in Ecclesia, & declaratur, quæ, & qualis sit Communio Papalis? Episcopalis? Sacerdotalis? Diaconalis? Subdiaconalis? & aliorum Clericorum? Traditur quænam esset Communio laicalis? Quæ Imperatorum, & Regum? Quænam Puerorum, ac Peregrinorum, nec non Infirmorum, & Mortuorum? Inquiritur, quid essent Agapes Natalitiæ, & Funerales? Super prædictis omnibus, quidquid ex antiquis, & eruditis Scriptoribus haberi potest, pulchrè, ac compendiose recensetur: & tandem resolvitur, Matronam prædictam posse communicari.

## S V M M A R I V M.

1 *Communionis vocis in primitiva Ecclesia multiplex significatio?*
2 *Communio Papalis quænam sit?*
3 *Papa sumit sanguinem Domini è calice cum fistula aurea.*
4 *Communio etiam sub specie vini die Paschæ dabatur in Ecclesia Patavina viris, & mulieribus sæculo tertio supra millesimum*
5 *Communio Episcopalis quænam esset?*
6 *Forma consecrationis an possit à pluribus simul proferri?*
7 *Communio Sacerdotalis quæ dicatur?*
8 *Dominicani Sacerdotes cur se communicent sinistra manu?*
9 *Communio Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum minorum Clericorum in quo situ Altaris fiebat?*
10 *Communio Laicorum quæ? & ubi dabatur?*
11 *Communio sub utraque specie antiquitùs dabatur omnibus fidelibus in Missa sed extra Missam sub specie panis tantùm.*
12 *Communio olim dabatur viris in manu, mulieribus in sudariolo*
13 *Communionis Laicæ triplex interpretatio.*
14 *Imperatorum, & Regum Communio sub utraque specie ex privilegio Pontificio*
15 *Communio puerorum quæ?*
16 *Peregrinorum Communio quænam olim fuerit?*
17 *Communio infirmorum idem, ac Viaticum*
18 *Communio mortuorum quæ?*
19 *Communio Cathechumenorum erat elargitio panis benedicti*
20 *Eulogiæ quid essent?*
21 *Eulogiarum loco sunt benedictiones comestibilium, de quibus in Rituali Romano.*
22 *Agapes erant Convivia, quæ inter Christianos habebantur*
23 *Laici jejuni communicari possunt etiam post meridiem*
24 *Consuetudo negativa non probatur ex contrariis affirmativa*

## SECUNDUS CASUS.

*Matrona, quæ professioni Monialium festo die adstitit, revertitur ad Ecclesiam Parochialem hora Vesperarum, & cum adhuc sit jejuna, petit communionem. Quæritur, An licitè, & an sit exaudienda?*

1 Occasione petitæ communionis ab hac Matrona, pro intelligentia casus, eruditi quidam de Clero præmiserunt, in Primitiva Ecclesia æquivocum fuisse nomen *Communionis*, alia enim Communio dicebatur respectu Mystici Corporis Christi, & erat commercium inter fideles, & alia dicebatur Communio veri Corporis Christi, & erat distributio, & participatio Eucharistiæ. Hæc *Communio Consecrationis*, illa *Communio benedictionis, & orationis*; utraque autem diversis nominibus nuncupabatur juxta diversos ritus, & cæremonias, quæ tunc erant in usu, ut observant Casalius *de Vete-*

rib

*sub. Sacris Orat. um. Ritib. cap* 21. Macer *in Hierolex. Verb. Communio*, & novissime Emin. Card. Bona *Rerum liturgicar. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 3.

*Communio Confessionis*, in qua dabatur verum Christi Corpus in Eucharistia, quæ aliis, & aliis ritibus administrari solebat, ideò alia erat *Papalis*, alia *Episcopalis*, alia *Sacerdotalis*, *& Diaconalis*, alia *Subdiaconalis*, *& minorum Ordinum*, alia *Laicalis*, *Virorum scilicet*, *& Mulierum seorsim*, alia *Imperatorum*, *& Regum*, alia *Puerorum*, alia *Peregrinorum*, alia *Infirmorum*, & tandem alia *Defunctorum*. Singulæ breviter explicentur.

2 *Papalis Communio* dicitur, quam facit Papa, dum solemniter Missam celebrat, ipse enim non recipit stando ad Altare, Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Christi, sed sedendo in Cathedra sub Throno; (ut ego vidi in Incoronatione utriusque Pontificis Clementis Noni anno 1667. & Clementis Decimi anno 1670.) ad denotandum, quod sicut Salvator consecravit panem, & vinum in cœnaculo; deinde in Calvario Sacrificium consumans, seipsum in conspectu totius populi Deo Patri obtulit; ita Papa, (qui est ejus Vicarius) consecrat super Altare, quod est cœnaculi figura, sed in sublimi Throno communionem sumit ad imitandum Christum in Monte crucifixum, ut ex S. Bonaventura *in expos. Psal.* 21. notat Macer *in Hierolex. Verb. Communio col.* 2. ubi allegat etiam Durand. *lib.* 4. *de Divin. offic. cap.* 54. docentem sic communicare Papam, quia cum sit superior omnium viventium in Ecclesia militanti, perfectius, & sublimius repræsentat ipsum Christum, qui est caput totius Ecclesiæ. Et Innocent. III. *de Myster. Missæ lib.* 4. *cap.* 9. scribentem, quod Romanus Pontifex ideò non communicat, ubi frangit, sed ad Altare frangit, & ad sedem communicat, quia Christus in Emaus coram duobus discipulis fregit, &

3 in Hierusalem coram Apostolis manducavit. Sumit autem Papa Sanguinem Domini è calice cum calamo, seu fistula aurea, quæ appellabatur *Syphon*, ut ex Anastasio Bibliothecario, Duranto, Lindaro, & Angelo Roccâ *in tractatu de communione Summi Pontificis*, demonstrat Macer *in Hierolex. Verb. Syphon* advertens, quod antiquitùs omnes fideles cum *Syphone* exorbebant Sanguinem Domini, ad evitandam effusionem, ideoque in Monasterio Montis Casini ostenditur antiqua fistula, qua utebantur Abbates ad sugendum Dominicum Sanguinem; & in antiquis Carthusianorum Statutis de ea sub his verbis fit mentio. *Ornamenta aurea, vel argentea, præter Calicem, & Calamum, quo Sanguis Domini sumitur in Ecclesia, non habemus.* In libro veteri hujus Ecclesiæ Patavinæ, *De ordine Divinorum officiorum*, In die Paschæ, post Missam solemnem Episcopi pag. 100. sic legitur. *Ite Missa est Alleluia. Et tunc ille, qui ministravit Episcopo, confert Cor-*

4 *pus Christi Viris, & Mulieribus, & Diaconus in sinistra parte Altaris tenens Calicem cum sanguine Christi, confert omnibus sumere volentibus cum quadam Vitrea Virga.* Liber prædictus ex conjecturis fuit scriptus seculo secundo supra millesimum. Porrò in die feriæ quintæ in cœna Domini, Papa communicat seipsum super Altare sine Ministris, & non cum calamo, sed cum calice sumit sanguinem Domini, ad imitandam Christi humilitatem. Macer *d. Verb. Syphon.*

5 *Episcopalis Communio* dicebatur, quam faciebat Episcopus solemniter celebrans pluribus Sacerdotibus sibi adstantibus, & concelebrantibus, de quibus Eminen. Card. Bona *Rerum Liturgic. d. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 4. & ex Innocent. *lib.* 3. *de Myster. Missæ cap.* 19. atque *lib.* 4. *cap.* 25. refert Diana *par.* 8. *tract.* 2. *resol.* 44. posita in Coordinato *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 48. § 5. & in eodem Diana Coordinato *tom.* 4. *tract.* 8. *resol.* 92. *num.* 4. desumpta ex *par.* 12. *tract.* 2. *resol.* 92. quibus in locis disquirit, quid sentiendum, si unus ex Sacerdotibus concelebrantibus proferret formam consecra-

6 tionis priusquam ab Episcopo celebrante ipsa forma enunciaretur? Quam dubitationem trahunt Moralistæ ad *Neomystas*, idest Sacerdotes noviter ordinatos, qui cum Episcopo ordinante

F conce-

concelebrant etiam nostris temporibus, citra quos plura agunt Marchin *de Sacram Ordin. tract 2 par 8 cap 10 num 11* Emin Card. de Lugo *de Eucharistia disp 11 sect 8 per totum* & Diana *par 12 tract 1 resol 89 90. & 91* quæ repetuntur collocatæ in Coordinato *tom 4 tract 8 res pariter 89 90. & 91* Sed de hac infra in primo Quæsito Mensis Aprilis.

7 *Sacerdotalis Communio* est illa, quam Sacerdos stans sumit in medio Altaris, ad differentiam aliorum communicantium, qui genuflexi recipiunt Sacrosanctum Christi Corpus; excepto Diacono in celebratione solemni Pontificis Romani, à quo stans communicatur Emin Card Bona *d. lib. 2 cap 17 in fine*. Et exceptis communicantibus ritu Græco, qui stantes prono capite, & demissis oculis Eucharistiam percipiunt, ut ex S Cyrillo *Catechesi 5.* & S. Chrysostomo *Orat. in Encænia*, probat idem Emin Card Bona *loc cit.*

8 Nec omittendum, quod omnes Sacerdotes se communicant dextera manu, præter Dominicanos, qui de sinistra sumunt sacrum Christi Corpus, non quidem in pœnam hostiæ veneno mixtæ, per Fratrem Bernardum à Monte Pesulano Henrico VII Imperatori traditæ, ut invidi calumniatores scripsere; sed ad magis custodiendum calicem manu dextera; ne versetur, ut notat Macer *in Hierolexic. Verb. Communio col 2.* vel, ut significetur eorum promptitudo ad pugnandum contra hæreticos, & ad vibrandum, dextera non impedita, contra peccatores ensem Sermonis Dei, qui est *efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti Hebr. 4 12.*

9 *Diaconalis, Subdiaconalis, & aliorum Clericorum*, minoribus Ordinibus insignitorum, *Communio* nuncupatur, quam hi omnes faciebant in limine Sanctuarii, sive in Choro, & intra cancellos statim post communionem celebrantis Layman. *lib 5. tract 4 cap 5 num 15* ad differentiam laicorum, qui extra chorum Eucharistiam sumebant, ut Concil Tolet. *4 cap 17 & ex Bracarense 1. cap 31* demonstrat Emin Card de Bona *d lib 2 cap 17 num 8* ubi refert, à S. Ambrosio expulsum è Sanctuario fuisse Theodosium Imperatorem, qui consueverat illud Constantinopoli ingredi, ea monitione, quod Purpura faciebat Imperatorem, non Sacerdotem, & confirmatur *in cap Sacerdotum de consecr dist 2. & in cap 1 De Vita, & honest clericor* & aliis Conciliorum Decretis, allegatis per eumdem Emin Card. Bona *lib 1 cap 20 & lib 2 cap 9.* à quibus prohibitus erat laicis ingressus in Sanctuarium. Itaque omnes ministri Ecclesiastici communionem recipiebant in Missa solemni per manum celebrantis, qui mos adhuc servatur Romæ in insignioribus Basilicis. Eminentiss Card. Bona *d lib 2 cap. 17. in fine*

10 *Laicalis Communio* erat illa Virorum, ac Mulierum sæcularium, non quidem in sola specie Panis consistens, sed quæ fiebat extra Cancellos Altaris, tum sub utraque specie Corporis, & Sanguinis

11 Domini, quando fideles adstabant Sacrificio Missæ; quod & hodie ferè omnes Orientales, & Ecclesia Græca observat Pignatell. *tom 6 consult 41. num. 41.* tum sub unica tantùm specie panis, quando extra Missam erant communicandi; ut eruditè probat Casalius *de Veter Sacris Christian Ritib cap. 19. per totum*, & Eminentiss. Cardin. Bona *Rer Liturgic. dict lib. 2 cap 18* id docens ex SS Patrum, & Conciliorum auctoritate; & demonstrans, fuisse in Usu Communionem laicalem fidelium sub utraque specie à primordiis Ecclesiæ usque ad sæculum duodecimum, ut infra ostendemus Mense Martio in Casu secundo Cæterum consuetudinem Communionis laicæ, sub una tantùm specie panis, servabant primitivi Christiani, dum extra Missam eam recipiebant, quam etiam ad propriam domum asportabant, ut illam ad libitum sumerent, præcipuè fervescentibus persecutionibus, Emin. Card. Baron. *ann 57* Pignatell. *d. tom 6 consult 41 num 43* Siquidem communicare sub unica tantùm specie, nihil derogat perfectioni Sacramenti, ut docet S. Thom. *3 par quæst 80 art 12.* & confirmat Conc. Trid *sess 21 cap 2.* feriens anathemate illos,

los, qui dicerent, ex Dei præcepto, vel ex necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles, utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; salva tamen potestate Summi Pontificis concedendi usum Calicis alicui, vel nationi, vel regno, juxta suam singularem prudentiam, ut *in Decreto super petitione concessionis Calicis sess. 22. in fine*. Denique non ignorandum, quod antiquitùs viris communicantibus dabatur Eucharistia in manibus, ut sibi ori apponerent, mulieribus autem non in manibus, sed in albido sudariolo, quod ipsæ exhibebant, ponebatur. Pignatell. *d. tom. 6 cons. 41. num. 42.* Macer *in Hierolex. Verb. Dominicale*. Cardin. Baron. *Ann. 590. num. 38.* & Mabillon *de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 5. num. 25.* Sanguinis verò sumptio aliquando per traditionem calicis, aliquando cum cochleari, & aliquando cum fistula fiebat, ut plenè deducunt Casalius *ubi supra cap. 14.* Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 17. sub n. 3.* ex pluribus SS. Patrum auctoritatibus; & Macer *in Hierolex. Verb. Fanceps*, *&* *Verb. Sumptorium*.

13 Ex his desumi potest intellectus antiquorum Canonum loquentium de communione laica, ad quam condemnabantur Clerici delinquentes, ut habetur *in cap. Si qui Præsbyteri 1. quæst. 7. can. 5. dist. 84. can. Eas, quas de consecr. dist. 4. & in cap. 2. Conc. Sardicen.* nec non *cap. 18. Conc. Illiberitan.* Est enim triplex opinio Doctorum, *Una*, quod laica communio esset receptio Eucharistiæ sub specie panis tantùm. *Altera*, quod laicè communicare consisteret in recipienda Eucharistia etiam sub utraque specie in Missa, sed non intra Sanctuarium, seu in choro cum cæteris Clericis, at extra cancellos Altaris in pœnam, ubi laici communicabant. *Tertia*, quod laica communio, quæ Clericis delinquentibus, & pœnitentibus concedebatur, esset sola participatio orationum, & assonatio in Ecclesia cum laicis, non autem perceptio Eucharistiæ; quæ, ob summum disciplinæ rigorem, denegabatur antiquitùs etiam in articulo mortis, *cap. Si quis Episcopum 2. quæst. 3.* scilicet iis, qui deliquerant graviter, & præcipuè *Mœchia*, *Idololatria*, *aut homicidio*, etiam si pœnitentiam egissent. Casal. *de Veter. Sacr. Christ. Ritib. in Notabilib. pag. 406.* Macer *in Hierolex. Verb. Communio laica*, Ex Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 18. n. 3. & 4.* Notent Parochi argumentum ad ostendendam populis gravitatem homicidiorum, & adulteriorum, quæ his temporibus sunt frequentia.

14 *Imperatorum*, *& Regum* Communio ita vocatur ob privilegium communicandi sub utraque specie, post prædictam Calicis prohibitionem, nonnullis Regibus, & Imperatoribus per Summos Pontifices concessum, videlicet Imperatoribus Constantinopolitanis, teste Curopalata *cap. 17. n. 44.* in ipsorum coronatione Christianissimo Galliarum Regi, qui Communionem recipit sub utraque specie, quando consecratur cum Sacra Ampulla, & in extremo ejus vitæ per Viaticum ex privilegio Clementis VI. qui illud concessit etiam Federico III. Imperatori, Odoni Duci Burgundiæ anno 1345. ut refert Casalius *de Veter. Sacr. Christ. Ritib. cap. 11. in fine*. Macer *in Hierolexic. d. Verb. Communio*, *col. 3.* Diana *d. part. 8. tract. 1. resol. 24. §. 11.* reposita in Coordinato *tom. 3. tract. 1. resol. 49.* Necnon *in part. 12. tract. 3.* & Miscell. *4. resol. 3.* Quæ reperitur in Coordinato *d. tom. 3. tract. 1. resol. 102. §. 4.* & ibi Cællotius *de Hierarch. Eccles. lib. 5. cap. 17. §. 2.*

15 *Puerorum Communio* dicebatur, quia in primitiva Ecclesia Eucharistia præbebatur etiam pueris Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 4. num. 2.* non solùm grandioribus, & devotam indolem præseferentibus, (ut de se testatur Nicephorus Callistus *lib. 17. cap. 25.* & Gregor. Turonen. *lib. 1. de glor. Martyr. cap. 10.* ubi narrat Historiam filioli, quem pater Judæus projecit in ardentem fornacem, eò quia mixtus cum aliis pueris Christianis Eucharistiam in Ecclesia perceperat,) sed etiam ipsismet infantibus statim post Baptismum sub specie vini; ut fusè demonstrant Macer *in Hierolex. Verb. Baptismus*, *col. 2.* Casalius *de Veterib. Sacr. Christ. Ritib. cap.*

F 2 3 vers.

5 *vers. post Baptismum*, pag. 48. Et Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 18. & cap. 19. num. 1. & 2.* subdens, quod etiam nunc Græci more antiquo dabant Infantibus Eucharistiam sub sola specie Vini, cochlear sanguine intinctum ori ipsorum inserentes, ut lambant, quibus postea matres, vel nutrices ubera præbent, ut sanguinem simul cum lacte deglutiant.

16 *Peregrinorum Communio* quænam fuerit? stillant [illegible] Canonistæ, cum antiquitatum studiosi in explicando, quandoquidem cum hæc Clericis delinquentibus imponeretur in pœnam, ut habetur in *cap. Contumax, dist. 50.* Et in Concil. Agaten. *can. 5.* Ilerden. *can. 16.* nec non in *can. 3. Synodi Regensis* plures plura dixere, nempe quod erat obligatio ad peregrinandum, sæpe enim qui gravia piacula commiserant, peregrinationes pro pœnitentia assumebant, ut passim legitur in actis Sanctorum; & præcipue de S. Guilielmo Duce Aquitaniæ apud Ribadeneiram *tom. 2. die 10. Februarii.* Et de S. Gerlaco apud *Hier. à Basilica Petri die 5. Januarii.* Vel quod Peregrina dicebatur communio, quia hi communicabantur tantummodo in fine vitæ, tanquam ad alium mundum peregrinaturi. Vel quod inter Laicos, & non amplius inter Clericos permanebant in Ecclesia; quasi peregrini, hospites, & advenæ; non autem Cives Sanctorum, & domestici Dei. Vel quod cogebantur communicare ultimo loco una cum Clericis peregrinis, quibus non erat concessum Missam celebrare, si litteras Dimissoriales, aut Testimoniales, quas tunc *Formatas* nuncupabant, non exhibebant. Vel tandem quod peracta pœnitentia reciperentur quidem ad communionem laicam, sed carerent ministerio Ordinum, ad instar Romanorum, qui prius deportati, & extorres, &, qui [illegible] erant, mittebant, retinentes, quæ Juris sunt gentium, *l. 1. § 2. & 4. ff. de leg. 3. & l. 7. ff. de Pœnis*, & restituti in Urbem dicebantur Peregrini, ut scribit Sveton. *in Claudio cap. 26.* ac pluribus auctoribus citatis ostendit Eminent. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 19. num. 5. & 6.* cui adstipulatur Casalius *de Veter. Sacr. Christ. ritib. cap. 21. Vers. Communio Peregrina.* Macer *in Hierolex. eod. Verb.* & alii Eminen. Card. Baronius *Anno 400. num. 67. & 68.* & in eod. Spondan. *num. 11.* qui videntur sentire, nihil aliud fuisse Peregrinam Communionem, quam solum participationem orationum cum fidelibus, aut potius, subtracta administratione redituum Ecclesiasticorum, solam communicationem eleemosynarum. Cabassutius *in Notitia Concilior. ad Concil. Agathen. pag. 264.*

17 *Infirmorum* Communio illa erat, quæ in discrimine Vitæ versantibus tradebatur, & dicebatur *Viaticum*, *Ephodion*, & *benedictio beatica*, ut explicat Macer *in dd. Verbis*, & Casalius *d. cap. 21. Vers. Viaticum*, circa quam communionem advertere licet quod olim infirmis deglutire Sacram Hostiam non valentibus, dabatur Sanguis Christi sub specie vini, *cap. Is, qui pœnitentiam 26. q. 6.* Quod an hisce temporibus fieri possit, disputabitur infra, in secundo Casu mensis Martii.

18 *Mortuorum* tandem erat Communio quia mortui ab aliquibus communicabantur, & cum Eucharistia sepeliebantur. Casalius *de veterib. Sacr. Christ. ritib. cap. 21. vers. Primis temporibus*, præcipue si ab Ecclesia exclusi ob delictum, obiissent ante absolutionem, ut ne crederentur Communioni Ecclesiæ restituti. Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 8. sub num. 6. & cap. 17. num. 6.* Ubi eamen nimia facilitate videtur inducere, errasse Sanctos Patres peculiari instinctu, vel consuetudine consuevisse mortuis Eucharistiam dare, motus duobus exemplis. Uno S. Benedicti relato à S. Gregorio *lib. 2. Dialog. cap. 24.* qui jussit Eucharistiam super pectore defuncti Monachi reponi, & sic sepeliri; ne terra defunctum cadaver projiceret, sicut antea bis acciderat. Altero in vita S. Basilii apud Surium, [illegible] ubi legitur, ante eius obitum Sacram Hostiam in tres partes divisisse; Unamque sumpsisse, alteram reservasse, ut secum sepeliretur, tertiam vero in columba aurea pendente reposuisse. Cæterum [illegible] est cre-

est credendum quod Sancti Patres darent Eucharistiam mortuis; vel consepelirent cum cadaveribus; quamvis aliqui idiotæ, vel superstitiosi homines id facerent, quod fuit ab Ecclesia prohibitum; Siquidem apud Macrum in *Hierolex Verb. Communio col. 1. & Verb. Viaticum col. 3.* Latinus Latinius diligentissimus Rerum Ecclesiasticarum observator docet, S. Basilium reservasse partem Hostiæ consecratæ, sumendam in extremo vitæ suæ spiritu, non autem ut super suo cadavere positam sepulturæ traderetur, & similiter notat, quod aliquando mortui dicebantur recipere communionem, non per immissionem Eucharistiæ in os, sed per reconciliatoriam manuum impositionem super illos, qui pœnitentes quidem obierant, at nondum reconciliati, ut habetur *in cap. Qui recedunt 26. quæst. 6.* quæ reconciliatio post mortem dicebatur *Mortuorum Communio*. Et tale ego crederem fuisse factum S. Benedicti supra relatum, ut scilicet Monachus contumax reconciliaretur, imposita super ejus pectore Eucharistia, non autem ut sacra Hostia cum illo in sepulcro poneretur: potuit enim reponi super pectore defuncti ad eum reconciliandum; deinde statim auferri, & ipsa sacra Hostia ablata, cadaver sepeliri.

Quapropter hujusmodi *Communio Mortuorum* magis referenda est ad secundum genus, quod supra diximus communionis spectans ad Mysticum Christi Corpus, cum enim quis ob gravem culpam privatus, foret tum Sacramentorum perceptione, tum communi conversatione fidelium, & orationibus, si humilis pœnitentiam suscepisset, & quievisset, per solemnem manuum impositionem recipiebatur ad communionem, idest ad consortium, & orationes fidelium, etiamsi ante reconciliationem decessisset, siquidem gratæ erant oblationes, quæ à defuncti parentibus, ejus nomine dabantur, ut ex *can. 12. Concil. Arelatensis II.* demonstrat Cassalius *d. cap. 21. Vers. Primus* [illegible] *Viri* [illegible], & plene differit Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 18. num. 6.*

19 *Cathecumenorum* etiam referenda hic est, quæ olim dabatur iisdem, Communio scilicet Panis benedictus, non tamen consecratus, de quo loquitur S. Augustin. *lib. 2. de Peccator. merit. & remiss. cap. 26.* prout observant Cardin. Bellarm. *lib. 2. de Sacram. in genere cap. 24.* Card. Baronius *Anno 313. num. 65.* Spondan. *ibid.* & Vasquez *tom. 2. in 3. part. disput. 166. cap. 4. num. 52.*

20 Fovebant autem antiqui Christiani Mysticam Communionem, & mutuum inter se consortium præcipuè per *Eulogias*, scilicet munuscula benedicta, quæ in signum Communionis Catholicæ, ad invicem accipiebant, deducta hac formula loquendi ab hebræis qui munus benedictionem appellabant, ut *lib. 1. Reg. cap. 25. Accipe benedictionem, quam attulit ancilla tua*, ubi in textu hebraico est *BERACAH*, in Græco *Eulogia*, quæ voces idem significant. Propriè autem *Eulogiæ* erant partes oblati à fidelibus ad Altare, qui supererant consecrationi, quos benedictos, non autem consecratos, in particulas distinctos in fine Missæ Sacerdotes distribuebant iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant sacram Eucharistiam sumere, Vasquez *disput. 204. cap. 3. num. 22.* Clampinus *de Azym. cap. 4. Clusse 3. §. 3.* & Mabillon. *de Liturg. Gall. lib. 1. cap. 5. num. 26.* Quinvis successu temporis, etiam communicatis illos dabant, ut pluribus textibus conciliaribus citatis, probat Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 19. num. 7.* Emin. Card. Baron. *anno 313. num. 51. & seqq.* P. Macedo *in disquisit. Theolog. de Ritu Azym. & Fermentati cap. 7. à pag. 88. & seqq.* Hieronym. à Basilica Petri *in Vita S.* [illegible] *Abbatis die 17. Januarii num. 9.* & Macer *in Hierolexic. Verb. Eulogia*, ubi hoc nomine quamcumque oblationem, & munus vult esse intelligendum. Concordat Casal. *d. cap. 21. Vers. Communio per Eulogias* addens quod à Matrice Ecclesia panis in Missa benedictus per singulas Parochias mittebatur. Sed cum *Eulogiæ* in desuetudinem ierint, prout etiam oblationes panis, & vini, successerunt oblationes denariorum, quæ adhuc sunt in Villis, & reci-

recipiuntur per Parochos in Missa à suis Parochianis, ad quorum solamen Ecclesia ordinavit benedictiones comestibilium, 21 quæ habentur in Rituali Romano, & in Missali, de quibus multa congerit Gretserus *lib 2. de Benedictionibus*, & novissimè Quartas *in eod tractatu De Benedictionibus tit 3 sect 5 Prælud 2* atque Layman *lib 4 tract 6 cap 7 num 3* ostendit, *Eulogiarum* alias fuisse *Publicas*, quæ scilicet à Ministris Ecclesiæ uti talibus dispensabantur, & de his loquitur ordo antiquus Ecclesiæ Parmensis pag. 98 tempore & pag. 100, dum dicit, quod super Altare ponebatur Panis benedicendus in Missa solemni, & distribuendus populo, ultra Corpus Christi. Alias verò *Privatas*, quas amici inter se mittere solebant in signum amicitiæ, & allegat *Epist 1 S. Paulini Nolani ad Severum*, & *Epist 31 S. Augustini*, quas Lectores vidisse non pigebit.

Tandem antiquorum Christianorum reciproca charitas, & communicatio 22 nutriebatur per *Agapes*, idest Sacra Convivia, quæ post completam Missam, & Sanctissimam Eucharistiam receptam fiebant, primùm in Ecclesia, deindè in privatis domibus. Macedo *in Distrt de Azymo cap 6 in Peregon. de Obl ad Altare cap 7*. Menoch. *in Act. Apostol lib 1 cap 13 num 4*. Quæ erant triplicis generis, aliæ enim erant *Agapes connubiales*, occasione nuptiarum, & ad illas invitabatur Episcopus cum suis Clericis, nec non affines, cognati sponsorum, & alii plurimi, quem morem servari adhuc in Gallia Cisalpina narrat D. Dominicus Laghius Bononiensis *in suo Itinerario anno 1670 ad S. Jacobum Compostellæ cap 4* ubi ait, cum ingressus fuisset Delphinatum, in Parochiali Ecclesia Terræ Susanæ, se interfuisse solemni convivio in celebratione Matrimonii habito à pluribus incolis illius Terræ, cognatis, affinibus, & amicis Sponsorum, qui ejusdem Laghii Missam prius devotè audiverant. Deinde enim ad prandium secum coegerunt. Aliæ autem erant *Agapes Natalitiæ*, dum in festivitatibus Sanctorum Martyrum convivia fiebant in Ecclesiis. Aliæ *Agapes funerales* ob convivia populo exhibita in exequiis defunctorum. De his Agapis habentur textus *in cap. 1 cap 3 & cap 5 dist 42.* & pluribus SS. Patrum allegatis Epistolis de Agapis tractant Emin Card Baronius *in Annum 57.* ubi Spondan *in Epitome num. 39* Emin. Cardin Bona *de rebus Rerum Liturgicar lib. 1 cap. 1 num 4.* & Macer *in Hierolexic. Verb Agape*, ubi postquam notaverit prædicta Agapeja convivia fuisse à Sacris Conciliis sublata, ob deperditam primitivorum Christianorum veram simplicitatem, & introducta varia scandala, subdit, in Orientali Ecclesia adhuc ad præsens Agapes durare; quibus ipse interfuit in Monte Libano anno 1624 dum ibi pro Sanctæ Sedis Apostolicæ negotiis accessisset.

His de antiquitatibus pro ornamento decidendi casus collectis, pro ejus resolutione Parochi dixere, Matronam, petentem Communionem hora Vesperarum, licitè petere, & cum sit jejuna, esse exaudiendam; atque Eucharistia sacra communicandam: omnes enim Moralistæ concorditer docent, nullam esse in Jure prohibitionem, vel restrictionem temporis circa communionem Laicorum; & tantummodò observandam, ne suboriri possit scandalum, quod in præsenti casu cessat, cum, ex supposito, Matrona sit notæ pietatis, & ob impedimentum interessentiæ Monialium festivitati non potuerit citius communionem petere, nec obsit contraria consuetudo; quæ non insurgit ex eo, quod solitum sit apud Parochos communicare laicos ab 24 aurora usque ad meridiem tantùm, quia esset probanda consuetudo negativa, idest non communicandi petentes post meridiem, juxta doctrinam Bart. *in l. 1 §. hoc interdicto num 8 ff De Itinere, actuque priv.* & *in l 2* ubi etiam Bald *C. de servitutib. & aqua* quam canonizavit Rota coram Seraphino *decis 1102. num. 8.* coram Buratto *decis 572. num 13.* & coram Bichio *decis 322. num. 16* Doctores autem concedentes, posse communionem dari jejunis qualibet hora diei sunt Sylvest. *Verb. Eucharistia 3. quæst 1.* & *eodem Verb.* Sà *num 19.*

num. 19. Angelus num 36. Tablena *Verb. Missa num 6.* Azor 1. *part lib* 10. *cap* 25 *quæst* 7 Bonacina *tom* 1 *disp* 4. *de Sacram. Euchar quæst* 7. *punct* 1 *num.* 14. Quintanadven. *in Appendice ad Commun general Jubil. tract* 1 *dub.* 11. *num* 3 Scortia *de Sacrific. Missæ lib.* 4 *cap* 29. *num.* 10. *Colleg. Salmanticen in cursu Theolog moral tom* 1. *tract.* 4. *cap.* 8 *num.* 39 Gobat *in Theol Experim. tract* 4. *num* 48. Bissus *in Hierurgia Sacra Verb. Eucharistia num.* 174 §. 17 Volpi *ead Verb resol* 62. *num.* 8. *& 9* Castropalaus *part.* 4. *tit* 21 *disp Unic punct* 16 *num* 3 Pax Jordan *tom* 1 *lib* 3 *tit* 3. *num.* 36 Coninus *libr* 2. *controv.* 4. *cap* 8. *num.* 175 Tamburin *de Expedit Commun. cap* 6. § 1 *num* 5 Diana *part* 2 *tract.* 14 *resol* 54 *Item part.* 9 *tract* 7 *res.* 43. *& novissimè p* 11. *tract* 7 *resol* 22. in qua confutat Pasqualigum docentem *in Theolog. tom.* 2. *disput.* 109 *sect* 3 *num* 17 exhibitionem communionis, & celebrationem Missæ pari passu ambulare; & sicut non licet celebrare ante Auroram, & post Meridiem, itaque neque debet esse licitum communicare, nam Diana negat paritatem, aliàs, inquit, sicut in die Natalis Domini licitum est ter celebrare, ita liceret ter laicis communicare. Supradictæ Dianæ resolutiones in opere coordinato jacent *tom* 2. *tract* 2. *resol.* 37 *resol.* 41. *& resol.* 47.

## DECISIONIS X.

Ad Februarii casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Agitur de quotidiana Communione, & examinatur, Quomodo, Quando, & cum Quibus personis sit licita? Quid esset in usu ab initio Ecclesiæ? Quid medio tempore? aperitur. Religiosorum Ordinum institutiones; eorumdemque Fundatorum nomina, ac tempora; qui promoverunt frequentiam Eucharisticæ Communionis, referuntur. Contrariæ Theologorum Opiniones circa frequentiam Communionis conciliantur. Decretum Sacræ Congregationis Concilii diei 12 Februarii 1679 circa quotidianam Communionem laicorum ponitur, & perpenditur.

### SUMMARIUM.

1 *Quotidiè omnes Christiani communicabant in primitiva Ecclesia, & hoc usque ad initium quinti sæculi*
2 *Communio quotidiana in primitiva Ecclesia non erat de Præcepto*
3 *Communio ter in anno facta est de Præcepto à S. Fabiano Papa*
4 *Communio annua imperata est anno 1215 in Concil Lateran.*
5 *Communionis frequentia omni tempore apud aliquos fideles conservata, & instaurata à Religiosis Viris*
6 *Ordinum Monasticorum, & aliorum Religiosorum origines.*
7 *Exempla animalium, à quibus venerata fuit Sacra Eucharistia.*
8 *Communio quotidiana expetita ex pluribus rationibus à Jo. Sanct.*
9 *Non concessa ab aliis DD ob plures rationes.*
10 *Communionis frequentia qualiter concedenda ex DD opinionibus.*
11 *Decretum S Congregationis Concilii diei 12. Februarii 1679 circa quotidianam laicorum Communionem.*

## CASUS PRUDENTIALIS

*Expectatur Opinio prudentum Confessariorum circa quotidianam Laicorum Communionem?*

Varii varia dixere; & ex eorum responsis sequentes conclusiones collegi pro casus resolutione.

Prima Conclusio. In Primitiva Ecclesia omnes Christiani quotidiè communicabant, nam, ut habetur *Act* 2. 42. 1

*Erant*

*Erant (fideles) perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quod notat Cabassutius *de Veter Sacr Christ Ritib cap* 18. Et Emin Card Bona *Rerum Liturgic d lib* 2 *cap.* 17 *num.* 2 scribens, quod quotidiana Communio à fidelibus Laicis usque ad medium quinti sæculi observabatur, immo aliqui in pluribus Missis in die audiebant, pluries eadem die communicabant, ut ex *Walfrido Strabone cap* 22 qui vivebat nono sæculo, ideoque ab Alexandro Papa secundo, qui vivebat *Anno* 1060 prohibitum fuit plus, quam semel in die tempore Communionem *cap Sufficit* 53 *de Consecr dist* 2 Sed an Communio quotidiana esset de Præcepto in primitiva Ecclesia? dubitat Diana *part* 8. *tr. 2 resol* 27 ex sicata in Coordinato *tom* 3 *tract* 1 *resol* 52 ubi num 4 quamvis, ait, videatur affirmandum ex decreto S Anacleti Papæ *in cap Episcopus De consecr dist* 1 & *in can Peracta De Consecr dist* 2. ubi dicitur *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim & Apo-*

2 *stoli statuerint, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Nihilominus negativæ cum Bellarmino *lib* 2 *de Missa cap* 19 *ad arg* 8 & Suarezio *in* 3 *part tom* 3 *disp* 60 *sect* 2 inclinat, & supradicto decreto respondet, esse intelligendum tantùm de Clericis, qui ministrabant in Missa, Cabassut. *in notitia Conciliar ad Concil Antiochenum Primum Anno* 341 *Vers Quo ad priorem partem* Non autem de laicis, quos oportebat, præcipuè conjugatos, ob tanti reverentiam Sacramenti, aliquando à Communione abstinere *cap. Omnis homo* 21 *de Consecr dist* 2.

Secunda Conclusio. Refrigescente charitate fidelium, plures cessare cœperunt, non solùm à quotidiana, sed etiam à frequenti Communione, adeò ut à S. Fabiano Papa, vivente in tertio sæculo, statutum fuerit, quod *Etsi non frequen-*

3 *tius, saltem in anno ter laici homines Communicent, in Paschate videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.* Ita legitur in *cap. Etsi* 16. *De consecr dist* 2. Et à Concilio Agathensi *cap.* 18 (celebrato *Anno* 506.) fuit diffinitum Quod *sæculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur Cap sæculares* 19 *De consecr dist* 2. Idem notat Cabassutius *in notitia Concil ad Concilium Agathense can* 18. Hujusmodi præceptum communicandi saltem ter in Anno renovatum fuit in Concilio II Turonensi Anno 813 sub Leone Papa Tertio. Baptaglin *in Hist Univ Conciliar dict Anno* 813. *num.* 2 Emin Card Bona *dict lib.* 2 *cap* 17 *num.* 2 advertens, quod citius in Oriente, eorum, qui sacris mysteriis intererant, communio desiit, nam S. Jo Chrysostomus, S. Athanasius, atque alii Patres Græci sæpè in eorum Homiliis ad Populum de infrequentia communicantium conqueruntur. Demum labente per universum orbem religionis studio, Hæreticorum, Saracenorum, & Imperantium frequentium mutationum causâ, cum magis in dies tepesceret usus communionis, mandatum fuit, *Anno* 1215 in Concilio Lateranensi sub

4 Innocentio III singulis fidelibus, ut cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno peccata sua confiteantur, & in Paschate Sacram Eucharistiam recipiant. *cap. Omnis utriusque sexus* 12. *De Pœnit. & Remission* Refert Cabassutius *in d Not Concil ad Concil 4 Lateran can* 21. Baptaglin *in d Hist Univ Concil d Ann* 1215 *num* 9 *ant* 21, & Odoric Rinald *in Annalib. Eccl d Anno* 1215 *num* 11

5 Tertia Conclusio. Quamvis frigescente mundo Catholico ob bella, hæreses, & dissidia Regum, cessarent in laicis frequentia Communionis Eucharisticæ, ejus tamen amor semper exarsit tum in Religiosis Viris, tum in animabus vitam spiritualem colentibus, quarum nonnulla exempla adduximus in casu Prudentiali Mensis Januarii, & quarum cultores, præter Parochos sæculares, & Episcopos, erant Canonici Regulares Lateranenses à SS Apostolis instituti, & per plures Romanos Pontifices instaurati, nec non Monachi Benedictini, atque Eremitæ S Augustini ab eodem Sancto fundati *Anno* 387 præter

ter alios Religiosos, qui pietate erga Deum, & zelo animarum fervenies operarii extiterunt in Sacramentorum administratione; ad quorum exemplum fundatæ fuerunt postea aliæ Regulares familiæ. Siquidem *Anno* 910 institutus est Ordo Cluniacensium à Bernone Abbate Balmensi Ordinis S Benedicti *Anno* 967 Ordo Camaldulensium à S Romualdo. *Anno* 1030. Ordo Vallisumbrosæ à S Joanne Gualberto *Anno* 1084 Ordo Carthusianus à S Brunone *Anno* 1092. Ordo Cisterciensium à S. Roberto Abbate *Anno* 1120. Ordo Præmonstratensium à S Norberto Nobili Lotharingo *Anno* 1170. Ordo Humiliatorum à Joanne de Meda Comensi, qui postea fuerunt suppressi *anno* 1571 à B. Pio V ob exoneratum sclopum in dorsum Sancti Caroli Borromæi *Anno* 1170 Ordo Carmelitarum fuit collectus in Montem Carmeli ab Almerico Legato Apostolico, & Patriarcha Antiocheno *Anno* 1197 Cruciferorum Ordo, quem cadentem vidimus sub Alexandro VII *Anno* 1658 Ordo Trinitatis pro redemptione captivorum erectus à SS Joanne de Matha, & Felice de Valois *Anno* 1207 Ordo Franciscanorum à S Francisco *Anno* 1208 Ordo Prædicatorum à S Dominico *Anno* 1216 Ordo Servitarum fundatus à septem Mercatoribus Florentinis *Anno* 1218 Ordo Militaris S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum institutus à Petro Rege Aragoniæ, à S Petro Nolasco, & à S. Raymundo de Pennafort *Anno* 1223 Ordo Monialium S Claræ ab eadem sancta sub Regula S. Francisci *Anno* 1269 Ordo Monachorum Silvestrinorum à B Silvestro Abbate *Anno* 1273 Ordo Cœlestinorum à S. Petro de Monte Murone, qui creatus Papa assumpsit nomen Cœlestini Quinti, ex quo dictus est Cœlestinorum Ordo *Anno* 1319 Ordo Olivetanus à B Bernardo, Tolomeo, & Ambrosio Piccolomineo Senensibus *Anno* 1355 Ordo Jesuatorum institutus à B Joanne Colombino Senensi, & extincto à Clemente Nono *Anno* 1373 Ordo Monachorum, & Monialium S. Birgittæ, ab ipsa Sancta erectus, & à Gregorio XI. confirmatus *Anno* 1400. Ordo Minorum observantiæ, dictus Lignipedum, seu Soccolantium institutus à S Bernardino Senensi, reformante Ordinem S. Francisci *Anno* 1404 Congregatio Canonicorum Sæcularium S Georgii in Alga ab Antonio Corrario, & Gabriele Goudulmerio fundata, & à S Laurentio Justiniano aucta, tandem sub Clemente Papa Nono extincta, cujus insigne Monasterium, & Ecclesiam S Mariæ de Vanzo in hac Urbe Patavina Eminentissimus, & Vigilantissimus Cardinalis Gregorius Barbadicus Antistes à Legato Apostolico Venetiarum acquisivit, & suo Seminario, Clericorum Diœcesanorum dicavit, studiisque, linguis, & disciplinis insignivit anno 1669 *Anno* 1406 Mendicantes Fratres S Hieronymi Fesulis, *vulgò Magdalenarum* *Anno* 1408 Canonici Regulares S Salvatoris, alias *Scopetini* à templo dicto de Scopeto Florentiæ, seù *de Candiana* ab insigni Cœnobio in hac Diœcesi Patavina fabricato *Anno* 1420 Moniales Turris Speculorum Romæ fundatæ à S Francisca Romana. *Anno* 1436 Ordo Minimorum à S Francisco de Paula *Anno* 1519 Eremitæ Camaldulenses Montis Coronæ, alias *de Rua*, Fundati à Paulo Justiniano Veneto *Anno* 1524 Clerici Regulares dicti *Theatini* à Joanne Petro Carafa Archiepiscopo Theatino, à S Cajetano Thiæneo Nobili Vicentino, & Sociis, qui Carafa fuit electus Summus Pontifex, & vocatus Paulus Quartus *Anno* 1525 Capuccinorum Ordo fundatus à Fr Matthæo Bascio *Anno* 1531 Congregatio Clericorum Somaschorum instituta à B Hieronymo Æmiliano *Anno* 1534 Instituta Societas JESU à S Ignatio Loyola, approbata *anno* 1540. à Paulo III *Anno* 1562. Ordo Carmelitarum Discalceatorum reformatus à S Teresia, & approbatus à B. Pio Quinto Et *Anno* 1576 Congregatio Oratorii fundata à S Philippo Nerio, & confirmata à Gregorio XIII quæ omnes Religiones, Congregationes, & Regularia instituta, præter alia multa,

 de qui-

de quibus Barbosa *de Jure Eccles. Univers. lib.* 1 *cap.* 41 eorumque Patriarchæ, & fundatores genuerunt innumeros spirituales filios, & filias, à quibus incessanter verbo, opere, & exemplo propagata fuit frequentia Sacramentorum, & præcipuè Communionis Eucharisticæ inter fideles, prout notissimum est cuicunque legenti eorumdem Annalia, Chronicas, & Vitas. Conferunt ad hanc frequentiam comprobandam, quæ adduximus exempla, supra in Casu Prudentiali Mensis Januarii, & in secundo Quæsito Mensis Februarii, sanctarum animarum, quæ sola Communione Eucharistica per plures hebdomadas, menses, & annos vivebant; quibus liceat adjungere obsequia ab irrationabilibus animalibus præstita Hostiæ Sacrosanctæ, relata per R. P. Bagattam *de Admir. orbis Christian. tom. 1. lib. 7 cap.* 3 & signanter de genuflexione, & adoratione præstita à Jumento tridnana inedia macerato, ut confunderentur hæretici, Divo Antonio Patavino prædicante. Ab agnicula, quam habebat S. Franciscus, quæ cum elevaretur Sanctissimum Christi Corpus inter Missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, arguens reverens pecus de irreverentia indevotos homines, & ab Agnello, quem tenebat B. Coleta, qui pariter ad Missam se submittebat in genua, itaut adimpletum esset divinum oraculum Isaiæ 1. 3. *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.*

Quarta Conclusio. Circa quotidianam Communionem duæ sunt contrariæ opiniones, Una Joannis Sancii *in Selectis disp.* 22. ubi pluribus argumentis probare nititur, magis expedire etiam laicis, qui à mortali culpa sint innoxii, quotidie Sacrum Eucharistiam sumere; & movetur ob exhortationes SS. Patrum, ob usum primitivæ Ecclesiæ, ob desiderium Sacri Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6 *Incip. Optaret quidem Sacrosancta Synodus.* Ob fructum Sacramenti, qui ex opere operato datur, ubi non est obex peccati mortalis, nempè augmentum gratiæ, & virtutum. Ac demum, ob auctoritatem Pauli Apostoli, requirentis ad dignè communicandum, munditiam à mortali, ibi *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. *Cor.* 11. 28. Altera est opinio Emin. Cardin. de Lugo *de Sacram. Euchar. tota disput.* 17 in qua deductis, & perpensis utriusque partis argumentis concludit, non expedire omnibus laicis, etsi immunibus à mortali, communicare quotidiè, tum ob reverentiam venerabilis hujus Sacramenti, tum ob utilitatem communicantium, quorum interest, cum fame spirituali, & corde puro accedere ad Sacram Eucharistiam, ideoque opus esse consilio, & obedientia prudentis Confessarii, qua de causa noluit Dominus, ut laici à se sacram Synaxim sumerent, sed à manibus Sacerdotum, *Quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris.* Lugonem sequuntur Suaresius *in 3. part. tom. 3 disp.* 49 *sect.* 4. *Vers. Tertiò dico*, & innumeri, quos numerat Diana Coordin. *tom.* 2 *tract.* 2. *resol.* 36 desumpta *ex part.* 11 *tract.* 7 *resol.* 25.

Quinta Conclusio. Nullus est, cui menstrua Communio consuli non possit. Pauci, quibus communio hebdomadaria sit prohibenda. Paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda. Ita Gobat *in Theol. Experim. tract.* 4 *num.* 62. subdens nihilominus *num.* 63. Cum longè plurimi laici utriusque sexus Sæculares, & Regulares æquè innocentem, aut etiam innocentiorem vitam duxerint, & ducant ac Sacerdotes, quibus nemo sobriè sapiens interdiceret quotidianam celebrationem Sacrificii, ideò non esse interdicendum quotidianum accessum ad Angelicam Mensam usilem laicis, & aliis charactere Sacerdotali non insignitis, si Angelicam vitam ducant. Equidem in Ecclesia S. Thomæ Martyris Congregationis Oratorii hujus Urbis Antenoreæ, eam adolescentem frequentantem, vidi, quotidie plures utriusque sexus fideles communicari, fateor tamen quotidianos commensales prædictos, Viros, & Mulieres, à mundi vanitatibus alienos, & christianis virtutibus præditos fuisse.

Sexta

Sexta Conclusio. Ecclesia Catholica nunquam prohibuit quotidianam Communionem fidelibus, etsi laicis, existentibus in gratia. Vult tamen eos pendere à prudenti Confessarii judicio, & omninò abstinere ab abusibus, quos Sacra Congregatio Concilii damnavit *in Decreto diei 12. Februarii 1679.* quod hic non me tædet transcribere, ut ex ejus lectura Parochi, atque Confessarii veram præsentis Casus resolutionem obtineant.

## DECRETUM

### De quotidiana Communione.

*Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonia pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in Feria sexta Parasceve, & simul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam esse à Jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus irrepsisse, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, immò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; aliique in communione accipiant plures formas, seu particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus considerandа commiserit Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Eadem Sacra Congregatio, prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit.*

*Etsi frequens, quotidianusque Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum, secreta cordium explorantium, judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hæc amplius animadvertent, cum Beatus Apostolus nolit, eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant, tantò magis ob Sanctissimæ Eucharistiæ reverentiam, continentiæ vacandum, puriorique mente ad cælestium epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omninò provideat, ut nemo à sacro convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam*

*præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum nitantur, & cum eis constitutum habeant, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini Judicii formidine discant cœlestem Mensam, in qua Christus est, revereri. Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint, quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in mortem tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguent asserentes, Communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis, sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur; publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formulas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas, nec permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c.*

*Datum Romæ 12. Februarii 1679.*

F Card Columna Præfectus.

*S. Archiepisc Brancatus Episc Viterb Secretarius*

Die 15 Mensis Februarii 1679

*Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. Papæ Cursorem.*

Pro D Mag Cursorum Gregorius Staggius Apost Curs

## DECISIONIS XI.

Ad Martii Quæsitum primum.

### ARGUMENTUM.

Quæritur, quæ sit materia EUCHARISTIÆ pro consecratione Cor-

ne Corporis CHRISTI? Ostenditur, esse Panem Azymum in Ecclesia latina. Fermentatum in Ecclesia Græca. Ne ignoretur ratio, & causa diversitatis, probatur, in utraque Ecclesia consecratum semper fuisse Panem azymum usque ad annum MLIII. quo tempore Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus cæpit consecrare in Pane fermentato. Breviter sed concludenter discutitur acerrima hæc Controversia de fermentato, & azymo Pane. Mendum detegitur asserentium, CHRISTUM Dominum non instituisse EUCHARISTIAM luna decimaquarta Mensis Martii, neque passum, & Crucifixum luna decimaquinta. Veritas aperitur, & firmatur. Orientalium argumenta evacuantur; & Ecclesiam latinam jugiter in Azymo consecrasse perhibetur: idque SS. Evangelistarum, Patrum, Conciliorum, Historiarumque testimoniis stabilitur.

*S U M M A R I U M*

1 *Materia Eucharistiæ quænam sit in consecratione Corporis Christi?*
2 *Materia ejusdem quæ sit inepta?*
3 *Materia dubia Eucharistiæ quæ?*
4 *Materiam dubiam consecrare non licet; & opinio contraria est damnata ab Innocentio XI. anno 1679.*
5 *Panis azymus in Ecclesia latina, & fermentatus in Ecclesia Græca est materia Eucharistiæ, ex Decreto Concilii Florentini sub Eugenio IV. & ex Constitutione 12. Beati Pii Quinti*
6 *Controversia de Azymo, & fermentato inter Ecclesiam latinam, & Græcam cur, quomodo, & quando orta fuerit?*
7 *Azymo in pane Ecclesiam Orientalem per decem prima sæcula Eucharistiam consecrasse probatur septem præcipuis rationibus*
8 *Azymo pane semper usa est Ecclesia Latina in consecratione Eucharistiæ.*
9 *Michael Cerularius Patriarcha Constantinopol. anno 1053. cæpit consecrare Eucharistiam in pane fermentato*
10 *Michaelis Cerularii, error, quod Christus consecraverit in fermentato*
11 *Judei die decimaquarta mensis Martii ad Vesperas comedebant azyma, ablato penitus fermento.*
12 *Phase erat comestio agni cum azymo pane, & lactucis agrestibus die decimaquarta Martii ad Vesperas.*
13 *Azymorum comestio durabat à Vespere diei decimiquarti per septem dies sequentes apud Hebræos*
14 *Dierum legalium, naturalium, & artificialium differentia*
15 *Christus Dominus consecravit Eucharistiam in pane azymo*
16 *Dies festus Paschæ Hebræorum erat decimusquintus mensis Martii*
17 *Dies Mortis Christi fuit decimaquinta mensis Martii, festiva Paschæ*
18 *Judæorum Principes anno, quo occiderunt Christum, distulerunt Pascha ad diem decimamsextam Martii, ex traditione Rabbinorum contra præceptum legis*
19 *Nicolaus de Lyra, seu Lyranus, fuit primum Judeus, & Rabbinus, postea Christianus, & Religiosus Ordinis Seraphici S. Francisci*
20 *Julius Maurocenus primum Judeus, & Rabbinus, scripsit anno 1683. librum contra Hebræos*
21 *Peritis in arte credendum est*
22 *Pentecoste dicitur à Pente, idest quinque, & à Coste, idest, decem, quia quinquies decem dies decurrebant à festo Paschæ ad Pentecostem*
23 *Dominicus Macer laudatus*
24 *Ebionitæ heretici volebant imitari sacrificium*

*crificium Judæorum de Agno, pane azimo, & lactucis agrestibus.*

25 *Fermentum nominatum in Epistolis Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii primi, erat Panis benedictus, seu Eulogiæ, non autem Eucharistia.*

26 *Particulæ consecrandæ, olim appellabantur Oblatæ, hodie Hostiæ. Et cur?*

27 *Honorius Papa III. præcepit, imaginem Crucifixi insigi in Hostiis consecrandis.*

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quænam sit Materia Eucharistiæ in consecratione Corporis CHRISTI?*

1 FUit in responsis dictum, esse *Panem triticeum, Aqua naturali confectum, igne per modum assationis decoctum, azimum in Ecclesia Latina, in Græca autem fermentatum.* Ita ex S. Thom. 3 *part quæst.* 74. *art.* 3. 4. nec non ex Scoto *in* 4. *dist.* 11. *par.* 2. *quæst.* 6. docent Emin. Card. de Laurea *in* 4. *Sent. tom.* 1. *disput.* 18. *art.* 1. Mastrius *in eadem disp.* 3. *quæst.* 3. *art.* 1. & *in Theolog. Moral. disp.* 18. *à num.* 16. *Collegium Salmanticen. in Cursu Theolog. Moral. tom.* 1. *tract.* 4. *de Sacram. in genere cap.* 4. *Punct.* 1. Lessius *in opere Posthum. De Sacram. Euchar. quæst.* 74. *art.* 3. & alii DD. per me allegati in Decisionibus Anni 1687. *De Sacramentis in genere*, ubi docui, esse materiam

2 ineptam, & invalidam pro conficienda Sanctissima Eucharistia Panem ex *Avena, Hordeo, Riso, Castaneis, ex Melica Surga, seu Frumentone, ac ex Farina Amyli*, & ulterius eadem ineptitudine, & invaliditate affici Panem triticeum, si coagulatus sit *aqua rosacea, vel alio liquore* majorem quantitatem aquæ naturalis *superante*, vel si sit compositus cum *multo butyro, adipe, pipere, melle, aut saccaro*, quales sunt vulgò i *bozzoladi, ò focacciette.* Et tandem non esse materiam sufficientem triticeum panem crudum, vel aqua elixum, veluti *pasta cruda, lagana, pultis, & pastilli* [illegible], vulgariter *Macheroni*, ex traditis à Bonacina *tom.* 1. *de Sacram. Euchar. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. à Volpio *in resolut. Moral. resol.* 51. à Laymano *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. à *Summa Diana Verb. Materia Euchar.* & Gobato *in Theolog. experim. tract.* 3. *à num.* 26. qui omnes Auctores ad-

3 vertunt, esse Eucharistiæ materiam dubiam panem *è Zeas* idest (*Spelta*) *Siligine, seu Secala, aut Farre*, vel si cum farina triticea immisceatur aliquid *olei, butyri, mellis, piperis, seu adipis*, vel conficiatur Hostia ex *Tipha, aut cum aqua maris, vel cum cinabrio rubro*, quales sunt hostiæ ad sigillandas litteras, aut etiam *cum aqua rosacea*, ea ratione quia panis triticeus, ut sit materia apta ad consecrandum Corpus CHRISTI, debet esse panis usualis, quo usus est ipse Dominus in consecratione; valde que compositus ex farina triticea, & aqua naturali, & igne coctus igne, ut per eum assetur, vel torreatur, sive in furno, sive sub cineribus, sive in frixorio, aut ferro calido.

4 Ex quibus sequitur, non esse licitum celebrare Missam, seu consecrare Eucharistiam cum materia dubia. Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 1. desumpta *ex par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 95. Alanus *lib.* 1. *de Euchar. cap.* 11. Chapeavil. *De modo administr. Sacram. tempore Pestis cap.* 4. *quæst.* 19. & Suarezius *De Euchar. disp.* 44. *sect.* 1. *Vers. tertio.* Quos benè citat, sed malè deserit, contrarium etiam probabile dicens Gobatus *in sua Theolog. exper. tract.* 3. *num.* 33. & 34. Præcipuè post damnatas propositiones ab Innocentio XI. *die* 2. *Martii* 1679. *Propositione prima*, ut novissimè notat P. Thyrsus Gonzalez *in Fundamen. Theolog. Moral. Dissertatione X. num.* 19. sribdens, *Ministrum Sacramentorum teneri ad apprendam Materiam, & formam certam, graviterque peccare, & sacrilegium committere, si extra casum necessitatis utatur materia, vel forma dubia, aut incerta, omissa certa; etiamsi id faciat sequendo opinionem probabilem speculativè, aut etiam probabiliorem, vel probabilissimam de veritate, & sufficientia illius ad Sacramenti valorem.* Porrò Eucharistiam non esse medium necessarium salutis, saltem in re, habetur ex S. Thom. 3. *par. quæst.* 73. *art.* 3. Ex Scoto *in* 4. *dist.* 8. *Quæst. Unica. D.* & docent inter Scholasti-

lasticos, Gonetus *tom. 5 de Sacram. Euchar. secundùm se disp. 2. art. 4* § 2. Emin. Card de Lauræa *d tom. 1 in 4. sent. disp 25 art 1* & inter Morales Villalob. *in summa tom 1. tract 7 diffic 5 num 5* Reginald *lib 29 num. 8.* & Bonacina, alios cumulans, *tom 1 de Sacramen Euchar. disp 4. quæst 1 punct 3*.

5 Fuit autem dictum, quod Panis, pro materia Eucharistiæ, debet esse azymus in Ecclesia Latina, at fermentatus in Ecclesia Græca, quia etsi in utroque pane validè consecretur Corpus Christi, ut definitum fuit ab Eugenio IV in Concilio Florentino, & ibi habetur *in Litteris Unionis, § Item in Azymo*. Et notant omnes Theologi, inter quos idem Eminen Card. de Lauræa *d. tom 1 dispu 18. num. 20.* & Emin Card de Lugo *De Sacram. Euchar disp 4. num 7.* Gonet. *d tom. 5 De Materia Euchar disp 3. num 7* Mastrius *d. tom. 4. in 4 sent. disp 3 num. 80.* Zoin *Theolog Morali disput 18 num. 17* Nihilominus prohibitum fuit à Beato Pio Quinto *in Constit. XII Incipien Providentia Romani Pontificis*, tàm Latinis consecrare in fermentato, quàm Græcis in azymo, sub quovis prætextu, sub pœna suspensionis à Divinis, à qua, non video, quomodo præservare transgressores possit opinio Moralistarum aliter sentientium, quos allegat, quamvis non sequatur, Diana Coordinatus *tom. 2 tract 1 resol 205 & 206* Quarum prior est in Veteri *par 3 tract 6 resol. 99.* Posterior *part 10. tract 16 resol 40.*

Et quoniam decet Ecclesiasticos ignorare causam, & tempus diversitatis Rituum, quos utraque Ecclesia servat, Occidentalis scilicet, & Latina consecrando Panem Azymum, Orientalis verò, & Græca Panem Fermentatum, referenda hic summatim est Historia, & Controver-

6 sia de Azymo in tribus sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio. *Utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis, Græca, & Latina celebravit in azymo ab initio Christianæ Religionis usque ad tempus Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani, videlicet usque ad annum millesimum Quinquagesimum Tertium, sub Leone Nono Summo Pontifice Romano* Hujus conclusionis propugnator est Emin Cardin Bellarminus *lib 4 de Eucharistia cap 7* cujus hæc sunt Verba. *Hæc controversia circa annum Domini MLIII orta, ut Leo Papa Nonus testatur in Epistola ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum cap 5 tunc enim primùm Græci reprehendere cœperunt Latinos, quod Azymum panem in Sacramentum Eucharistiæ assumerent*. Quod autem ipsa Ec-

7 clesia Græca per prædictum decem sæculorum cursum semper consecraverit in azymo, & abstinuerit à fermentato probatur.

Primò. quia Sancti Patres Græci tenuerunt, & docuerunt, Christum Dominum instituisse Sanctissimam Eucharistiam in azymis (quod inferius demonstrabitur) ac proinde eos fuisse semper sectatos exemplum Christi, qui non adhibuit in consecratione sui Corporis fermentatum panem; ut docent Origenes *tract 35 in Matthæum*. S Jo. Chrysostomus *in eundem Homil 35.* Theophilus *quæst 24 in Exod* Et alii, quos citant Emin Card. Bellarmin. *lib 4. de Eucharistia cap. 8.* Vasquez *disp 172. cap 2.* Hugo Cardinalis *in Comment in Joan cap 13* & novissimè duo Græci eruditi scriptores, Gennadius *in Apologia adversus Marcum Ephesium*, & Arcudius *lib. 3 De Sacram. Eucharistiæ cap 5 & 6*

Secundò probatur ex Verbis S Epiphanii, qui referendo errores Ebionitarum *hæres 30* sic ait: *Baptisma porrò etiam ipsi accipiunt præter hoc, quod quotidie baptizantur, & in aquis se intingunt. Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum per Azymos, idest non fermentatos panes, & alteram Mysterii partem per aquam solam* Si igitur celebrabant Mysteria, idest Sacrificium Missæ, per *Azymos, ad imitationem Sanctorum*, ipsi Ebionitæ, qui in primo sæculo fuerunt Card Baronius, & Spondan *Anno 34* dicendum sequitur, Sanctos Patres Græcos primi, secundi, tertii, & quarti sæculi solitos fuisse consecrare in Azymo, teste S. Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo, qui floruit quarto sæculo sub Valente Gratiano, & Theodosio Augustis Eminen Cardin.

Bellar-

Bellarmin *de Scriptoribus Ecclesiast Anno* 370

Tertiò probatur ex Verbis S Jo. Chrysostomi *in epist* 1 *ad Corinth cap* 5 sic dicentis *Primum autem dicamus, quamobrem ex omnibus finibus fermentum expellitur Quodnam hoc enigma? Oportet ut omnem malitiam fidelis abjiciat, ut enim Judæus perit, cum apud eum vetus invenitur fermentum, sic apud nosis, in quo inveniatur malitia* Ex hac fermenti detestatione S. Jo Chrysostomum in azymis consecrasse, & apud alios SS Patres Græcos eumdem ritum Azymorum in usu fuisse, tenet Theophylactus *Commentar in Matth cap* 26 Marc c 14. Luc *cap* 22. *& in Epist* 1. *ad Corinth cap* 5 & Arcudius *d lib* 3 *de Sacram. Euchar cap* 5 *& 6.*

Quartò probatur ex communi sententia gravissimorum Virorum, (quos citat P Macedo *in Disquisitione de Azymo cap* 13 Et Emin Card. Bona *Rer liturgic lib* 2. *cap* 23 *num* 1.) attestantium Armenos à tempore S. Sylvestri Papæ semper confecisse in azymo, quod corroboratur tum ex Metaphraste apud Surium *die* 30. *Mensis Septembris*, tum ex *Epistola prima Gregorii Papæ VII lib* 8. *Epistol* sic dicentis ad Episcopos Armenos *Quia cognovimus Ecclesiam vestram Azyma sacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis, quasi de hæresi reprehendi* Porrò in Synodo Trullana, quæ celebrata fuit *Anno* 707 *in Canone* 32. Armeni reprehenduntur, quia solum vinum sine aquæ admixtione in Sacro Altaris ministerio adhibebant, nulla autem nota iisdem infertur, quod in azymis conficerent Ergo validum resultat argumentum, quod Ecclesia Orientalis, cujus Episcopi Græci dicto anno, fuerant ad Synodum convocati in Trullo, idest Costantinopoli, in Imperialis Palatii secretario, supernè fornicato, ritum panis azymi retinebat, & nequaquam in fermentato SS Eucharistiam consecrabat, alias redarguissent Armenos non solum, quod sine aqua consecrarent, sed etiam quod fermentatum Panem non adhiberent.

Quintò pariter probatur ex insigni illa molestia, quam Photius Patriarcha Constantinopolitanus anno 867 intulit Nicolao Papæ, & toti Latinæ Ecclesiæ, illam criminando, quod Sabbato jejunaret, quod Præsbyteris nuptias prohiberet; quod iisdem, ne infantes in fronte Sacro Chrysmate signarent, vetaret, & alia, de quibus Emin. Card Baronius *d anno* 867 sed inter cætera, quod permitteret in Paschate Agnum assum benedicendum in Altari poni, nihil autem Photius locutus fuit de pane azymo, in quo Occidentalis Ecclesia consecrabat, unde desumitur concludens argumentum, quod eadem Ecclesia Orientalis non erat in hoc ritu difformis à Latina, alioquin si hanc suggillabat, quod more Judæorum admitteret Agnum assum in Altari, quomodo eam Photius non esset criminatus, quod etiam azymum panem consecraret, nisi omnes Græci eumdem ritum panis azymi tunc retinuissent? Ita erudito calamo P. Macedo *d. Disquis. de Azymo cap* 3 *pag.* 36 *Vers. Adhibeamus*

Sextò idem probatur, quia Mihael Cerularius dicto anno 1053 aliive Græci Patres, contra quos disputarunt Legati Apostolici, missi à Leone Nono Constantinopolim, super prætenso ritu fermentati, nunquam allegarent antiquam, seu immemorabilem consuetudinem, quod quidem fecissent, si panis fermentatus in anteactis sæculis fuisset in usu, ut constat ex Opusculo Humberti Cardinalis adversus eosdem Græcos *in Bibliothec Patrum tom.* 11 Quod neque fecerant in Concilio Florentino tempore Eugenii Quarti, in quo disputarunt de sufficientia panis fermentati pro consecratione, non autem de immemorabili consuetudine ab initio Orientalis Ecclesiæ, & priscorum Patrum ejusdem.

Septimò Quia cum Nestorius Hæresiarcha anno 428. docuisset, esse consecrandum in fermentato, ut diximus supra *Decis* 6 *pag* 17 Statim Oecumenica Concilia Orientalia ejus doctrinam damnarunt, ut docet Salelles *lib* 3 *cap* 9 *Regul* 244 *num* 127 quod non fecissent, si Ecclesia Orientalis solita fuisset conficere Eucharistiam in pane fermentato.

Quod autem Occidentalis, & Latina Ecclesia ab initio, & semper servaverit ritum

ritum azymi panis, in consecratione Divinæ Eucharistiæ pariter probarat.

Primò ob exemplum CHRISTI DOMINI, de quo infra, & traditionem Apostolorum, à quibus hunc ritum, præcipuè ab Apostolorum Principe fuit edocta, ut benè Leo Nonus *in epist. 1. cap. 5. contra eundem Michaelem Cerularium* deducit his verbis. *Ecce jam post mille, ac fermè viginti à Passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda; quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & institutio, seu qua glorificavit Deum mors pretiosa illius Senis, cui specialiter Christus Dei vivi dicit: Beatus es Simon Bar-jona.* Et in eadem Epistola cap. 6. *Non ergo perpendistis, quanta imprudentia dicatur Patri, qui est in Cælis, abscondisse à Principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis Sacrificii, per dispensationem Unigeniti Filii sui, cui per semetipsum revelare dignatus est illud ineffabile arcanum invisibilis Divinitatis ejusdem Filii sui.* Fatetur apertè in his verbis Romanus Pontifex, Ecclesiam Romanam servare ritum panis azymi in Sacrificio Missæ, receptum ab Apostolorum Principe Petro. Idem professus est Gregorius VII *in lib. 8. Epist. Pontific. epist. 1.* & Innocentius III *lib. 4. de Myster. Missæ cap. 4.* ibi: *Non fermentatum, sed Azymum consecramus; nam secundùm Apostolum Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Quare Humbertus Cardinalis in supradicto Opusculo subdit: *Vestra duplicitas suo fermentato contenta, Romanæ, & Latinæ simplicitati Azymum extorquere desinat*, & mox: *Primi scilicet Ecclesiæ ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Non hæc dixissent Romani Pontifices, & eorum Legatus in faciem totius Ecclesiæ Orientalis, si semper, atque semper Ecclesia Occidentalis ritum azymi Panis, ab Apostolis acceptum, non custodisset.

Secundò probatur ex eo, quod per decem integra sæcula, à principio scilicet Ecclesiæ usque ad motam controversiam de Fermentato per Michaelem Cerularium, nullus ex tot, & tantis Doctoribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis annotavit, Ecclesiam Latinam in fermentato pane consecrasse, sed è contra omnes Sancti scribentes summis laudibus Azyma extulerunt, & fermentum execrati sunt, cum istud malitiam, illud puritatem exprimat; quod quidem non fecissent, nec facere potuissent, si Sanctissimam Eucharistiam consuevissent in pane fermentato consecrare. Extant memoriæ varietatis aliorum rituum, seu cæremoniarum in diversis Ecclesiis, scilicet Ambrosiana, Aquilejensi, Gallicana, Hispanica, Aphricana, de quibus S. Augustin. *in Epist. ad Casulanum. Et lib. 9. Confession.* Sed mutationis panis azymi nullum est testimonium, ea ratione quia concorditer semper, atque semper omnes Ecclesiæ in azymo consecrarunt, sequutæ exemplum Apostolorum, & præceptum Divi Pauli 1. *Cor. 5. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

Tertiò ad probationem majorem sunt referenda hic nonnulla SS. Patrum testimonia. Anno 260. S. Cyprianus Martyr *in Sermone in Cœna Domini*, loquens de SS. Eucharistia ait, inter cætera: *Panis itaque hic Azymus, cibus verus, & sincerus, per speciem, & Sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis, quem quotidiè sumimus, Vita est corporis, ita Panis iste Supersubstantialis Vita est animæ, & Sanitas mentis.* Et paulò post: *Quibus unus est panis, unum est corpus, & omnium est, & anima una uni Christo adhærens, cætera omnia quasi fermentata respuens in unius Azymi sinceritate lætatur.* Et inferius: *Non oportet esse fermentarios novi testamenti ministros; puras, sincerasque mentes sanctum quærit Convivium.* Anno 390. S. Gaudentius, Episcopus Brixiæ ita scripsit *tract. 2. in Exod. Caro etiam Agni cum Azymis panibus, & lactucis agrestibus est edenda, ut cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris fletibus affligamus.* Anno 410. S. Hieronymus *in*

*cap.* 1 *Epist. ad Titum* prope finem inquit: *Si quis Pascha agit non in Azymis sinceritatis, & veritatis, ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ, & nequitiæ, iste attendit fabulis, & umbras sequitur.* Anno 420. S. Augustinus *Serm.* 6 *de Verbis Apostoli cap.* 5 ita subdit: *Celebratur Pascha in veteri populo sicut Nobis, occisione Agni cum azymis.* Notetur *ly sicut Nobis.* Et notans differentiam inter nostrum Pascha, & illud Judæorum, eam tantùm ponit in diversitate Agni, dicens *lib.* 2. *contra litt. Petiliani*: *Aliud est Pascha, quod adhuc illi de ove celebrant: aliud autem quod nos in Corpore, & Sanguine Domini accipimus*, servata scilicet in reliquo azymi panis qualitate. *Et lib.* 32. *cap.* 11 *contra Faustum* Facta comparatione utriusque Paschæ, mysterium explanans subdit: *Azyma verò, quæ rectæ fidei Christianæ sunt, non in fermento veteris vitæ, sed in ipsius fidei veritate, & sinceritate custodiunt.* Anno 600. S. Gregorius Magnus relatus à S. Thom. 3 *par. quæst.* 74. *art.* 4. dicit in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem.* Sed quoniam hodie hoc testimonium in libris S. Gregorii non invenitur, quamvis valdè deferendum sit auctoritati S. Thomæ illum referentis, etiam *lib.* 4. *contra Gent. cap.* 69. *Et in Opusc.* 1 *contra errores Græcor. circa finem cap.* 68 alius locus afferri potest, scilicet *tom.* 2 *Hom.* 23. ibi: *Edent Carnes, & azymos panes*, ubi Sanctus Doctor explicat: *Nolle agnum comedimus, quia modò in Sacramento Dominicum Corpus accipimus, quando adhuc interni effectus consententias non videmus.* Et paulò post: *Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanagloriæ facit.* Anno 835 Rabanus Maurus, natione Germanus, Abbas Fuldensis, & Episcopus Moguntinus *in lib.* 1 *de Institut. Clericor. cap.* 31 loquitur manifestè his verbis: *Ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sacrificari oportet.* Et iterum: *Quod autem Panem sacrificii sine fermento esse oporteat, testatur liber Leviticus, ubi commemoratur, Dominum per Moysem ita præcepisse: omnis, inquit, oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat.* Plurima SS. Patrum loca alia, quibus probari potest antiquas illis temporibus panis fermentati proscriptio ab Eucharistica mensa in Ecclesia Latina, congerit P. Macedo *in citata Disquis. de Azymo cap.* 5 & Ciampinus *eod. tract. cap.* 3 ubi ex professo de sæculo in sæculum adducit testimonia probantia, ab initio Ecclesiæ, per annos mille, semper apud Latinos Eucharistiam fuisse confectam in Azymo Pane.

Quartò confirmatur inveteratus, & semper custoditus ritus azymi Panis in Ecclesia Latina testimonio omnium Doctorum, qui post motam controversiam à Michaele Cerulario, eamdem impugnarunt; omnes enim professi sunt, per omnia evoluta sæcula juxta traditionem Apostolorum, & exemplum Christi, Occidentalem Ecclesiam Eucharistiam in azymo Pane confecrasse, ut videri potest, præter S. Thom. S. Bonavent. & Scotum, apud Abulens. *par.* 2. *defens. in X. capitib.* Franciscum Riberam *lib.* 5. *de Templo cap.* 3 *& seq.* Marcell. Francolin. *De Horis Canonicis cap.* 5 *& seqq.* Card. Bellarmin. *de Sacram. Eucharist. lib.* 4. *à cap.* 4. *ad XII* Suaresium *de Euchar. disp.* 44. Henriqu. *de Sacram. Euch. cap.* 10. & Vasquezium *de eod. Euch. sacr. disp.* 162. Et hæc de prima conclusione.

Secunda conclusio. *Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, & cum eo Nicetas Abbas Pectoratus, aliique Græci, dicto sæculo* 1053 *introduxerunt Panem fermentatum in consecratione Eucharistiæ; falsò opinantes, CHRISTUM DOMINUM consecrasse suum sanctissimum Corpus in pane fermentato, utpotè quia id egerit, non decimaquarta luna in Vespere, quando comedebatur Agnus cum azymis, & lactucis agrestibus, sed luna decima tertia; itaut passus non fuerit luna decimaquinta, quæ erat prima dies solemnis Paschæ azymorum, sed die præcedenti.* Hoc esse fundamentum Ecclesiæ Orientalis, & fuisse motivum Michaelis Cerularii, & sequacium testantur tum Leo Nonus *in Epist.* 6 dicens: *Asserere conantur, fermentatum fuisse panem, quo Dominus*

9

10

*minus Apostolis suis Corporis sui Mysterium in cœna commendavit*. Tum Innocentius Tertius *lib 4 de Myster. Missæ cap* 4 in illis verbis *Græci, in suo pertinaces errore, de fermentato conficiunt, asserentes in Parasceve hanc diem decimam quartam extitisse, in qua verus Agnus est immolatus, ut legis impleretur figura quæ luna 14. primi Mensis Paschalem Agnum jusserat immolari*. Tum etiam S. Thomas qui *in 4 dist* 11 *quæst* 2. *ad* 3 inquit *Græci asserere voluerunt, Dominum in fermentato confecisse. Et quia tres Evangelistæ concorditer dicunt, prima die Azymorum Dominum instituisse hoc Sacramentum, ut tantam insaniam quidam ex eis prorumperunt, ut dicerent, Evangelistas illos falsum scripsisse, & à Joanne fuisse correctos*.

Ut autem manifestè cognoscatur error prædictus, cui Græci innituntur; supponendum est. *Primò*, præceptum fuisse Judæis, ut quolibet primo Mense anni, idest Martio, die decimaquarta ad Vesperas comederent agnum assum, cum pane azymo, & lactucis agrestibus, ablato penitùs fermento per septem dies sequentes, sic enim legitur *Exod cap* 12. *Decima die Mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad Vesperam Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus* Et infra, *Habebitis autem hanc diem in monumentum; & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno Septem diebus azyma comedetis in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent* Et paulò post iterum. *Primo mense, quartadecima die Mensis ad Vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem Mensis ad Vesperam Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris* Has easdem solemnitates præcepit Deus in *Levit cap.* 23 ibi *Mense primo, quartadecima die mensis ad Vesperam, Phase Domini est & quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo* Supponendum *Secundò*, quod in decimaquarta die, hujusce primi mensis incipiebant duæ solemnitates, *Una*, quæ dicebatur *Phase*, & consistebat in comestione agni ad Vesperas, cum azymis, & lactucis agrestibus; & hæc dicebatur comedere Pascha, fiebatque semel in Vespere ipsius diei decimæ quartæ tantùm *Alia* solemnitas erat manducatio azymorum, quæ durabat usque ad diem vigesimam primam ejusdem Mensis inclusivè De prima dicitur. *Lev.* 23 5. *Mense primo, quartadecima die Mensis ad Vesperam, Phase Domini est* Item *Deuteron* 16 6 *Immolabis Phase Vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto* De secunda autem *Levit eod cap* 33 6 *Quintadecima die Mensis hujus solemnitas azymorum Domini est Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque; omne opus servile non facietis in eo* Item *Deut* 16 3 *Non comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem* Supponendum est *tertiò* quod aliter accipiebantur dies legales, aliter dies naturales, & aliter dies artificiales Incipiebant legales dies à Vespera præcedentis diei, usque ad Vesperam subsequentis juxta illud *Levit* 23 32. *A Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra* Eo modo, quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium à prima Vespera usque ad secundam S. Thom. *in 4. dist* 11 *quæst* 2. *art* 2. *quæstiunc* 3 *ad* 3 Dies naturales accipiebantur vel à media nocte antecedenti usque ad mediam noctem subsequentem Sivè ab ortu solis in ortum subsequentem, ut innuit D Thom *ibid.* Dies artificiales condistinguebantur etiam sicut modò contra noctem, ita ut comprehenderent tantùm illud spatium, in quo lux solis apparebat Gonet *tom.* 5 *De Sacram. Euch disp* 2. *num.* 99.

H 2 His

15 His præsuppositis facilè probatur CHRISTUM DOMINUM instituisse SS Eucharistiam in Pane azymo, siquidem id egit die decimaquarta primi Mensis ad Vesperam, quando comedendus erat Agnus, & prohibitum erat fermentum juxta supranotatas scripturas. Id testantur expressè omnes Evangelistæ. Nam S Matthæus 26 17 ait: *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, Ubi vis paremus tibi comedere Pascha.* Sed Pascha comedebatur die decimaquarta primi mensis ad Vesperam, & tunc incipiebat primus dies legalis azymorum. Deinde: *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Et paulò inferiùs: *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & Comedite, Hoc est Corpus meum.* At in hoc Vespere, ut notatum est, panis fermentatus haberi non poterat. Ergo Dominus JESUS consecravit Corpus suum in pane Azymo. Pariter S Marcus Evangelista *cap* 14 12. scribit: *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Et facta præparatione sequitur: *Vespere autem facto, venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus ait JESUS*, se ab uno ex eis esse tradendum. Deinde: *Et manducantibus illis, accepit JESUS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, Hoc est Corpus meum.* Similiter S Evangelista Lucas *cap* 22 7. ita narrat: *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Ergo die decimaquarta Mensis primi ad Vesperam. Sequitur textus: *Et paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Subinde: *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Tandem S Joannes Evangelista notat cœnam paschalem factam à Domino cum discipulis *Ante diem festum Paschæ. Joan.* 13 1. Sed dies festus Paschæ erat dies decimus quintus mensis *ex Exod* 12 *& Levit* 23 supra relatis. Ergo concludentissimè constat, Salvatorem nostrum Sanctissimam Eucharistiam confecisse luna, seu die decimaquarta primi Mensis, post illius diei secundas Vesperas, quæ erant primæ Vesperæ diei decimæquintæ, festivæ, tanquam primæ ex septem diebus azymorum; cumque dicto Vespere lunæ decimæquartæ prohibitus esset Panis fermentatus, totus Panis Azymus fuit in cœna, & in eodem Azymo suum Corpus consecravit. Ita semper tenuit, & tenet Ecclesia Latina, de hac veritate à SS Apostolis edocta, ut tradunt omnes Catholici Scriptores. S Thomas 3 *par quæst* 74 *art* 4 *& in* 4 *Sent dist* 11 *quæst* 2 *ibidem* S Bonaventura *art* 2 *quæst* 1 & Scotus *dist* 11 *quæst* 6. Emin. Card. Bellarmin. *lib* 4 *de Eucharist. cap* 8. Cardin. Baronius *in Annalib. ann. Christi* 34. Salianus *ad Annum Mundi* 4086 *num* 5 & 14. Tornellus *ad Mundi annum* 4084 *num* 8. Et ex Scholasticis modernis Gonet *d.* 16 *f tom* 5 *De Sacram. Euchar d disp* 2 *art* 5. Agadius *De Sacram Eucharistiæ par.* 4 *c* 2. nec non Emin. Card de Lauræa *d tom* 1. *in* 4 *Sent. disput* 18 *art* 2 atque Leonardus Lessius *quæst* 74 *de Sacram. Euchar. art* 4.

16

Cæterum Orientalis Ecclesia, quæ tuetur fermentatum, plurima huic veritati opponit.

17 Primò. Dies ille, quo Dominus est occisus, non fuit festus. Ergo non est occisus luna decimaquinta, sed decimaquarta; & ex hoc sequitur, Redemptorem comedisse Pascha die decimatertia ad Vesperam, quo tempore erat licitus Panis fermentatus. Probant antecedens. 1 Quia Judæi dixerant in Concilio, esse quidem tradendum morti CHRISTUM, sed *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Marc.* 14. 2. Quia diebus festis prohibita erant Judicia, & eo die 15 Mensis Judæi accusarunt, & condemnarunt Christum. 3 Quia in die festo non erat licitum emere, & vendere,

re; sed eodem die mortis Domini Joseph emit Sindonem *Marc.* 15. Et Mulieres paraverunt aromata. *Luc.* 23. Sed respondetur ad Primum, timuisse quidem Judæos in Concilio, ne fieret tumultus in populo, si Christus detineretur in die festo; sed, cum Judas obtulisset, se eum nocte traditurum, cessavit timor, & in die festo morti tradiderunt. Ita Lessius *in opere Posthum De Sacram. Euchar. dict. quæst.* 74. *num.* 20 *in fine*. Ad secundum respondetur, Non constare ex scriptura, actus Judiciales in festo fuisse prohibitos; & quatenus esset prohibitio, Judæi prævaricare legem non timuerunt, parati Innocentem occidere. Gonet *d. disput.* 2. *num.* 114. *ad Quartum*, & Lessius *ubi supra dict. num.* 20 *in fin.* Ad Tertium respondetur, Emptionem, & Venditionem pro operibus misericordiæ non fuisse prohibitam in die festo, prout erat mortuum sepelire, S. Thom. *ubi supra in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. Emin. Cardin. Baron. *ann.* 34. *num.* 33. exemplificans de Thobia *cap.* 2. & de circumcisione, quæ fiebat etiam in die festo. Agudius *dict. tract. de Sacram. Euchar. part.* 4. *cap.* 1. *à num.* 12. *& seqq.*

Secundo obiiciunt Græci, quod Christus non sit mortuus decimaquinta luna Mensis primi; sed decimaquarta, eo quia de Judæis dicitur, quod in die Passionis Domini, ipsi *Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Joan.* 18. 28. Et quod erat *Parasceve Paschæ. Joan.* 19. 14. idest Præparatio, seu Vigilia Paschæ; Et institerunt apud Pilatum, ne remanerent in Cruce corpora Sabbato, *Erat enim magnus dies ille Sabbati. Joan.* 19. 31. Ex quibus inferunt Græci eam diem, qua Christus mortuus est, fuisse decimamquartam, in cujus Vespera Pascha manducandum erat, & incipiebat prohibitio panis fermentati, & per consequens Redemptorem instituisse Eucharistiam antecedenti die ad Vesperam, in qua adhuc erat licitus Panis fermentatus, idest luna decimatertia.

Unica responsione evacuant supradicta objecta Lyranus, Paulus Burgensis, Catherinus, & alii quos citant, sed non sequuntur Lessius *d. quæst.* 74. *num.* 22. & Gonet. *d. disput.* 2. *num.* 111. dicendo quod Judæi ex suorum Rabbinorum doctrina, & dispensatione distulerant commestionem Agni ad Vesperam diei Veneris decimiquinti, itaut prima dies azymorum fuit pro ipsis dies Sabbati, qui propterea dicebatur *Magnus* ob duplicem solemnitatem, & quia erat *Sabbaton*, & quia erat *primus dies Azymorum*; At Salvator noster juxta legem manducavit Pascha in Vespere diei Jovis præcedentis, ut supra probavimus. Hæc responsio non est spernenda, ut infra videbimus.

Cæterum, quia pluribus Doctoribus non arridet, cum eis non videatur innixa solido fundamento, respondent, quod Judæi *non introierunt in Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* intelligentes pro *ly Pasca* non esum Agni, qui fuerat immolatus Vespere antecedenti; sed esum panis azymi, & aliarum victimarum Paschalium, quæ Deo offerebantur singulis illis septem diebus. Agudius *d. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 13. Præterquamquod omnes septem dies Azymorum dicebantur Pascha, ut notat Barrad. *in Itiner. Fidel. Israel lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 23. ubi allegat exemplum Herodis, qui cum carcerasset S. Petrum in diebus azymorum volebat *post Pascha producere eum Populo. Act.* 12. Pariter respondent, quod ea dies mortis Domini dicebatur *Parasceve Paschæ*, idest *dies Veneris secunda Azymorum*, in qua Judæi de more præparabant cibos pro sequenti die Sabbati, & ex hoc vocabulo nihil deducitur, quod demonstret, Sabbatum sequens fuisse primum diem Azymorum, nam omnis sexta feria vocabatur *Parasceves*. Et non sine Mysterio in Evangelio postea vocatur Parasceves Judæorum, *Jo.* 19. 42. ut sciremus esse solitum diem; quo Judæi præparabant necessaria pro sequenti die Sabbati. Tandem institerunt Judæi, ne remanerent in Cruce corpora Sabbato, quia secundum legem suspensi in patibulo eadem die sepeliendi erant. *Deuter.* 21. 23. Dicebatur autem *Magnus dies ille Sabbati*, quia, præter solitam Sabbatinam festivitatem, erat unus ex septem diebus azymis, in quorum singulis victimæ Deo mactaban-

tur,

tur; juxta illud *Deuter* 16. 2. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus* Et 2. *Paralipomen* 35. 8. *Dederant Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora communiter duo millia sexcenta, & boves trecentos. Levitis quinque millia pecorum, & boves quingentos*. Ita supracitati Doctores Lessius *d. quæst.* 74 *num* 22. & 23. Gonet *d.* [illegible] 2 *de Sacram. Euchar num* 114. & [illegible] Card. de Laurea *d. tom.* 1. [illegible] 18. [illegible] 32. Qui [illegible] firmant, [illegible] solem, quod CHRISTUS FILIUS DEI, qui venerat [illegible] *Matth.* 5. 17. [illegible] Pascha cum discipulis suis, non luna [illegible], sed luna decimaquarta post Vesperas illius diei, quando jam [illegible] præceptum legale Panis azymi, & in eo consecravit suum Sacratissimum Corpus.

Ego autem supracitatorum Doctorum opinione [illegible], & eorum sufficientes responsiones amplexus, non eisem difficilis in admittenda sententia, quæ dicit, Judæorum Principes, Rabbinorum traditiones secutos, distulisse agni cœnam legalem ad lunam decimamquintam post Vesperam, idest sero diei Veneris Sancti, in quo passus est FILIUS DEI, & primum festum diem azymorum esse celebratum, eo anno, ab eis luna decimasexta, idest die Sabbati sequentis. Moveor ad hanc sententiam approbandam *Auctoritate*, & *Ratione*. Deśumo *Auctoritatem* ab omnibus Doctoribus, & SS. Patribus, qui eam docuerunt, quos citat Vasquez *disput.* 172. *cap.* 2. & Maldonatus *Matth.* 26. inter quos S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 84. *in Joannem*, & Rupertus *Abb. in Exod.* 19. præcipuè Nicolaus de Lyra; qui primum fuit Rabbinus inter Judæos, antequam ad fidem Christianam converteretur, & ingrederetur Seraphicam Religionem, quam decoravit eruditissimis libris relatis à Cardin. Bellarmin *lib. de Scriptorib. Ecclesiastic. Anno* 1320. cui jungo modernum quemdam alium Rabbinum, sed conversum ad Christianam fidem sub Pontificatu Alexandri VII. vocatum in Judaismo *Samuelem Nahman Venetum*, renatum verò salutari aqua Baptismatis *Julium Mauroçenum*, *Lectorem Linguæ Hebraicæ in Collegio de Propaganda Fide Romano*, qui in Opere suo Italico, typis dato Romæ Anno 1683. cujus Titulus *Via della Fede mostrata à gl' Hebrei Par.* 2. *cap.* 29. *pag.* 544. ita scribit: *Stabilita in questa guisa da Dio la notte del giorno 14. di Nisan, per la celebratione della Pasqua, & il 15. giorno per primo giorno de gl'azzimi festivo, per memoria dell'uscita dall'Egitto de vostri Padri; sentisco, che habbiate havuto il ardire d'opporre alla legge del Signore Iddio quella de i vostri Rabbini* לעולם לא בידוי פסח *lo Badù Pesach Lengholam*, *cioè, che non si celebri mai in eterno la PASQUA, dal primo giorno festivo nella feria seconda, ò Lunedì feria quarta, ò Mercordì feria sesta, ò Venerdì. Sopra la qual finta regola appoggiati alcuni incauti publicorono, che se il Nostro Signore GIESU CHRISTO morì di Venerdì, non morì il giorno di Pasqua. Mà ciò si convincerà dall' Evangelio in un'altro Capitolo*; Et paulò post *pag.* 546. sequitur. *Quando fosse introdotta l'usanza, ò la legge di schivare la Pasqua nelli tre giorni del* ברו *Badù, non si può cavare dalla Scrittura, che è contraria, provandosi, che Israele in Galgala fece di Venerdì la prima Pasqua, secondo, che si raccoglie da Giosuè al cap.* 4. *Vers.* 19. *e cap.* 5. *Vers.* 11. Et paucis interjectis, subdit; *Vanno perciò imaginandosi, che quando era in piedi il secondo Tempio, fosse da i Sanedrim posta la Regola di non fare in certi giorni le feste, e trà le altre quella* לא ברו פסח *lo Badù Pesach, la Pasqua non haversi à fare nel Lunedì, Mercordì, e Venerdì*. His attentis relationibus de Rabbinica traditione transferendi Pascha, primumque festivum diem Azymorum in sequentem diem, quando veniebat in feria sexta, satis mihi videtur probabile, quod, anno Passionis Redemptoris Nostri, Princeps Judæorum, & Pharisæi distulerint primum diem Paschalem ad diem Sabbati, incedentes non secundùm præscriptum legis Mosayeæ, sed secundùm Calendarium Rabbinorum, de quorum numero cum fuerint tum *Lyranus* antiquus, tùm *Maurocenus* iste modernus, & uterque attestetur ita apud Judæos

Judæos servari, iisdem est deferendum, juxta Regulam Juris, standum est peritis in 21 arte. *In in princ ff. de Ventre inspicien.* ubi Gloss. & Bart. *cap. Propofuisti*, & ibi Felin. & omnes scribentes *De Probation.* Menoch. *cons. 311. num. 16.* ubi citat Nevizan *lib. 5 Sylv. Nupt. num. 69.* dicentem, posse recedi à recepta Doctorum opinione ob dictum periti in arte. Concordat Maschard. *de Probation. concl. 1174.* infinitos DD. cumulans, & declarans *num. 20.* Regulam esse infallibilem, quando ad minus periti sint duo, iique boni nominis, ac famæ, ut in casu nostro.

*Ratione* autem moveor ad tenendum, quod Judæi anno, & die Dominicæ Passionis, ideò non introierint Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha post occasum solis ejusdem feriæ sextæ; & sic distulerint primum diem Paschalem ad diem Sabbati sequentis; nam dies Pentecostes eodem anno venit in die Dominica, si autem Pascha, aut primus dies Paschalis, seu Azymorum fuisset celebratus à Judæis feria sexta; festivitas Pentecostes incidisset in diem Sabbatum. Pro intelligentia sciendum; quod Hebræi post Pascha Azymorum habebant aliud solemnissimum Pascha, quod vocabatur *Pentecostes*, post dies quinquaginta à die prima azymorum; nam *Pentecostes* dicitur *à Pente*, idest 22 quinque; & *à coste*, idest decem, quia quinquies decem dies sunt inter festum Resurrectionis, & Pentecostes, computato utroque festo. Gloss. *in Clement. Unica*, *§. Pentecostes De Reliquiis, & Venerat. Sanctor.* Celebrabant Judæi Pentecostem in memoriam legis datæ à Deo per Moysem in Monte Sinai, quinquagesima die post eorum egressum ab Ægypto. *S. Leo Serm. 1. de Pentecost.* Beda *Homil. Vigil. ejusd. festi.* *S. Hier. mens. 12.* Rhabanus *de Instit. Cleric. lib. 2. cap. 41. & S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad Decimum.* Idcircò incipiebat numeratis horum quinquaginta dierum à die secundo Paschæ azymorum inclusivè, & expleto primo die ejusdem Paschæ azymorum, in quo Israel exivit ab Ægypto, in quo quidem secundo die Azymorum offerebatur in templo manipulus Primitiatum, ut his verbis præcipitur *in Levitic. 23. 15.* *Numerabitis ab altero die Sabbati* (idest festi primi Azymorum) *in quo obtulistis manipulum Primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, quinquaginta dies, & sic offeretis Sacrificium novum Domino. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque Sanctissimum; omne opus servile non facietis in eo.* Igitur, videtur dicendum, Judæos, anno quo CHRISTUS passus est, celebrasse Pascha, diemque primum Azymorum, non feria sexta, ut ex præcepto legis tenebantur, sed Sabbato juxta Rabbinorum traditionem, quandoquidem post Sabbatum cœpit prima dies ex quinquaginta, qui denumerandi erant usque ad Pentecostem, & sic eo anno Festum Pentecostes venit die Dominico, de quo dubitare non licet, nam Ecclesia Catholica ab Apostolis edocta semper celebravit, & celebrat Pentecostem die Dominico. Motivum autem Rabbinorum transferendi Pascha in diem Sabbati, quando veniebat in feria sexta, non fuit timor transgrediendi Sabbatum, colligendo spicas pro formando manipulo Primitiarum, offerendo per Sacerdotes Deo in templo; ut innuere videtur Barradas *tom. 4. concordant. Evangelist. lib. 10. cap. 1. Vers. non leve argumentum.* Quia illa collectio spicarum erat à lege permissa, quemadmodum permittebatur in Sabbato mactare victimas pro Sacrificiis, sed quia si celebrabant Pascha azymorum die Lunæ, aut die Mercurii festum *Chepur* scilicet expiationis, quod occurrebat in mense septimo, cadebat in diebus Veneris, & Dominicæ respectivè, & sic Judæi sentiebant nimium incommodum ob prohibitam in dictis diebus ciborum coctionem, & præparationem. Differebant verò Pascha ab Sabbatum, si veniebat feria sexta, ne festum *Scenopegiarum* hoc est *Tabernaculorum* veniret in Sabbato, in quo tenebantur cædere ramos ex arboribus ex Levitico præcepto *cap. 23. 40. ibi. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente; & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Putabant autem hujusmodi cæsuram esse Sabbati prævaricationem. Ita Dominicus Macer, versatissimus in linguis, & plagis 23 Orienta-

Orientalibus, quas adivit missus ab Apostolica Sede, in suo eruditissimo *Hierolexic. Verb. Pentecoste*, cujus verba me delectat transcribere ad majorem Lectoris instructionem

*PENTECOSTES* πεντηκοστὴ, *idest, Quinquagesima, quia hoc solemnissimum Pascha post quinquaginta dies à Pascha Azymorum celebratur, in qua Hebræi traditionem legis à Deo Mosi factam solemniter commemorabant. Appellatur etiam Quinquagesima, Festum Hebdomadum, Festum Messis, Festum Primitiarum. Et penes Hebræos incipiebant prædicti dies quinquaginta à secunda die Azymorum numerari, in qua die spicas metebant, ut Domino offerrent. In eo vero anno, in quo Redemptor noster mortem subierat, dies secunda azymorum in Sabbato acciderat, in qua die cum prohibitum sit Hebræis omne servile opus, ideò in alterum diem, nempè Dominicum Resurrectionis, obtulerunt manipulum spicarum Hebræi; quod non sine providentiæ Divinæ mysterio accurrerat, nam manipulus ille, in altum elevatus (juxta eorum ritum) Christi Resurrectionis Symbolum fuit. Itaque eo anno, cum ab Hebræis principium eorum Quinquagesimæ numerari inciperet à Dominica, sic etiam eorum Pentecostes in Dominica concludebatur, eo prorsùs die, quo supra sacrum Apostolorum Collegium Spiritus Sanctus descenderat. Hoc enim pacto dubium, à multis agitatum, solvitur, quomodo, nimirum, eo anno in die Dominica Hebraicum Pentecostes occurrerat*, apud Bellarmin. *lib.* 3. de Cultu Sanctor. *cap.* 3.

*Melius tamen prædictum dubium, si Rabbinicam observationem admitteremus, resolveretur, qua observatione cavetur in eorum Calendario, ne Azymorum Pascha in die Lunæ, Mercurii, ac Veneris ob sequentes rationes incidat. Non enim de die Lunæ, aut Mercurii celebrant prædictum Pascha, ne scilicet die. CHEPUR in Veneris, aut Dominicæ diebus cadat. CHEPUR siquidem Remissionem significat, quod in septimo mense celebratur, in quo die coquere, aut cibos præparare nequeunt, & jejunare debent à primis Vesperis CHEPUR usque ad sequentes festivas Vesperas, cum apud eos maximus culparum veniæ destinatus sit. Itaque si in Lunæ, vel Mercurii diebus Pascha celebraretur, caderet CHEPUR in Veneris, vel Dominicæ diebus, & sequeretur, quod per biduum abstinere debuissent à cibis, dum in Sabbato, vel antecedenter ad CHEPUR, si caderet in Dominica, vel subsequenter, si idem in die Veneris veniret, cibos præparare, aut coquere nequirent.*

*Subterfugiunt ulterius Pascha in die Veneris (notetur) ne cadens postmodum in Sabbato primus Scenopegiarum dies, prætermittere tenerentur, ramos ex Arboribus cædere, cum sit opus servile, & in Sabbato prohibitum, nam ex cap. 23. Levitic., in prima die Scenopegiæ præscribitur eis talis ramorum cæsura, ut dictum est in dictione HOSANNA.*

*In anno igitur, in quo passus est CHRISTUS, juxta lunarem computum Hebraicum, Pascha venerat in die Veneris, quemadmodum idem Redemptor observaverat, qui Rabbinicas traditiones minime curans, agnum comederat in die Jovis ad Vesperas Paschæ sequentis; sed secundum Rabbinicam observationem incedentes Hebræi Pascha in die Sabbati celebrarunt, ne illud ex adductis observationibus in diem Veneris incideret, & ideò comestio Agni Hebræa ad cœnam Veneris sublata fuit, in quo die, ut JOANNES Evangelista cap. 18. Vers. 8. benè notavit. Ipsi non introierunt in Prætorio, idest in die Veneris, quando nempè CHRISTUS patiebatur, quia in illis Vesperis manducaturi erant Agnum Paschalem, ideòque subdit, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Idemque manifestavit idem Evangelista, quod tale Parasceve Pascha non erat juxta Mosaycam institutionem, & Apostolicam observationem, nam CHRISTUS cum Apostolis pridie, quàm pateretur, id est, in Jovis die ad cœnam, comestionem Agni celebraverat, illa autem posticipata celebratio Hebræorum Rabbinica fuerat.* Paucis omissis sequitur.

*Quæ traditio, si pro vera habeatur, dicendum necesse est, quod manipulus spicarum in die Dominico tunc oblatus fuisset, cum Pascha in die Sabbati celebrata esset. Quæ responsio magis consona videtur,*

*detur; non enim pro divina oblatione prohibitum erat spicas colligere, messemque exercere in die Sabbati, cum in ordine ad sacrificandum permissum quidem sit servile opus in eodem Sabbato, sicut & pro Sacrificio mactare Victimas licitum erat prima igitur opinio absque suppositis fundamentis infulcita remanet*

*In eodem autem die*, (notetur & hoc Divinæ Providentiæ arcanum) *in quo penes Hebræos, propter festum Pentecostes recens frumentum Domino offerebatur, sub eadem frumenti specie CORPUS CHRISTI Divus Petrus sacrificavit, primam enim Missam in hac die intra Cænaculum Sion celebraverat*, Pamellius *tom. 1. Liturg. Eccles. Latinæ*.

Tertia Conclusio. *Tandem ad majorem confirmationem Ritus Panis Azymi semper retenti ab Ecclesia Latina, nec non ab Ecclesia Græca, quousque in ea illum proscripsit Michael Cerularius, duo proponenda, & resolvenda remanent objecta.*

24 Primum est Historia Ebionitarum hæreticorum, qui asserebant, legem Mosaycam unà cum lege CHRISTI esse servandam, & ideò consecrabant Corpus CHRISTI in azymo, ut imitarentur Judæos, quapropter fertur ab Ecclesia constitutum, ut donec dicta Hæresis extingueretur, consecratio fieret in Pane fermentato. Ita S. Thom. *in 4. dist. 11 quæst. 2 art. 2 ad 3 quæst.* S. Bonaventura *in 4. dist. 11 art. 2 quæst. 1 in fin* Scotus *in eod lib 4 dist. 11 quæst. 6 in fine* Et alii, quos citat P. Macedo *in d. Disquis. de Azymo cap. 3 pag. 34* Non leve est objectum, quia magna est auctoritas Scholarum Principum supra relatorum, qui dictam historiam commemorant Cæterum cum de ea apud Historicos tum antiquos, tum modernos nullum reperiatur vestigium, ut testatur idem P. Macedo *d. cap. 3 pag. 35* dicens *Evolvi plurima litterarum monumenta, ut sicubi aliquod fundamentum ejus Historiæ invenire potuissem, illud in medium afferrem, & propalarem, ut eorum* (S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum) *existimationem consulerem, sed nihil invenire potui, quo fidem eorumdem vindicarem.* Non absque causa eam negant sapientissimi Auctores, inter quos Gabriel Vasquez *in d. disput. 172.* Henriquez *de Euchar cap 10.* Card. Baronius *anno 34.* & Lindanus *in Apolog. pro Liturgia Petri*, siquidem mutationem Azymi ajunt factam à Leone Pontifice, sed cum novem habeamus Pontifices hujus nominis, in decem primis Ecclesiæ sæculis, non exprimunt, qualis ipse fuerit, & non est verisimile, mutationem ita solemnem decretam fuisse ab Ecclesia absque Papali, vel Conciliari insigni, & Magistrali Constitutione, quæ vel in Corpore Juris Canonici, aut Conciliorum, aut Bullarii reperiatur. Referunt Platina *in Vita S. Alexandri Primi Papæ, & Martyris*, nec non Ciacconius *in eadem Vita*; atque Polydorus Virgilius *De Rerum Inventorib lib 5 cap* 10. *pag.* 444. quod ipse Sanctus Pontifex præcepit, ut oblatio in Azymo, non autem in fermentato, in omnibus Ecclesiis, conficeretur; cumque creatus fuerit Pontifex S. Alexander anno 118. & hæretici Ebionitæ extiterint in primo sæculo, ut notant Cardin. Baron. *Ann.* 74. & Salelles *lib 3 Reg* 216 *num.* 81 est potius credendum, quod aliqui Episcopi, seu Sacerdotes, vel Græci, vel Latini, ut se exciperent à prædictorum hæreticorum nota, profitentium esse celebrandum in Azymo in continuationem legis Mosaycæ, inceperint consecrare in fermentato versus finem prædicti sæculi primi, quod statim ac Sedes Apostolica intellexit, in principio secundi sæculi, sedente in ipsa Alexandro Primo, promulgaverit Decretum de continuando ritu Panis Azymi in consecratione juxta exemplum CHRISTI, & traditionem Apostolorum; adeout introductio fermentati panis in Mensa Eucharistica facta non fuerit ab Universali Ecclesia, vel à Summo Pontifice in odium Ebionitici erroris, sed à nonnullis Sacerdotibus, seu Episcopis ex bono, sed particulari instinctu, quod facile potuerit accidere, præsertim in longinquis Diœcesibus, & in Armeniæ remotis regionibus, ubi erant Ebionitæ, ut observat Ciampinus *d. tract. de Azymo cap 6 pag.* 142.

Secundum objectum est, quod facit Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturgicar lib 1. cap 23. num.* 8. Ex his, quæ sequuntur in

Vitis Pontificum Romanorum *Melchiadis*, *Siricii*, & *Innocentii Primi*. Nam de Melchiade hæc habentur: *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigentur, quod declaratur fermentum.* Ergo, si oblationes consecratæ dicebantur fermentum, Eucharistia fiebat in fermentato, ipsa enim sola venit appellatione oblationis consecratæ. De Siricio sic: *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Illud declaratum consecratum non videtur esse nisi Eucharistia. Ergo conficiebatur in fermentato. De Innocentio Primo in *epist. ad Decentium cap. 5.* sic: *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quarum Præsbyteri, quia die ipsa propter Plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcircò FERMENTUM à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto; quia non longè portanda sunt SACRAMENTA.* Igitur, si *fermentum*, quod mittebatur à Papa, die Dominico à se confectum, ad Ecclesias Urbis, erat *Sacramentum*, signat Eucharistiam in Pane fermentato. His motus obiectis Emin. Card. Bona *loc. supra cit.* comminiscitur, justem non fuisse ritum Azymi in Ecclesia Latina.

Sed contrarium tenendum est cum Emin. Cardin. Baronio, & Spondano *ad Annum Christi 313.* & aliis, quos citat, & sequitur P. Macedo *in d. Disquis. de Azymo cap. 11.* & Ciampinus *cap. 4. per plures §§ sequentes*, ubi post varias Sapientum hominum interpretationes illius vocis *Fermenti*, eruditè demonstrant, oblationes illas, *Fermentum* appellatas, non fuisse *Sacram EUCHARISTIAM*, sed *Eulogias*, idest Panem simpliciter benedictum, quem Papa mittebat ad Præsbyteros, & Plebem in signum fraternæ charitatis, & unionis, ut illis temporibus erat in usu, & ostendimus supra in explicatione Eulogiarum. Probatur 1. Quia indecens fuisset mittere Sacrum CHRISTI Corpus per Parochias, ad solum finem demonstrandi fraternam charitatem. 2. Tantò magis per manus Acolythorum, quibus numquam fas fuit attingere, vel deferre *SS. EUCHARISTIAM*. 3. Maximè quia ipsi Presbyteri Missam celebrabant, eam consecrabant, & sic populus Eucharistia non indigebat. 4. Nec turbat, quod illud *FERMENTUM* nominetur *OBLATIONES CONSECRATÆ*; nam ex S. Aug. *lib. 12. de Civitate Dei cap. 6.* Omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo, dicitur *OBLATIO*, & *Sacrificium*. Immò ex Turrian. *lib. 5. cap. 4. contra Magdeburgen.* conspersio salis, & aquæ benedictæ appellatur *Oblatio spiritualis*. 5. Etiam in Rituali Romano res, quæ simpliciter benedicuntur, dicuntur consecrari, ut in orationibus pro benedicendis Sacerdotalibus indumentis, Mappis, & Corporalibus; & est mos loquendi antiquus, nam Corporale ab Episcopo benedictum; dicitur consecratum *in cap. Consulto 46. De Consecr. dist. 1.* 6. Immò ex Emin. Card. Baronio *anno 314.* Sacra *EUCHARISTIA* non nominabatur *Sacramentum*, quod est nomen genericum, sed *SACRA MYSTERIA*, vel *COMMUNIO*. 7. Hinc simplicem panem benedictum, & Cathecumenis concessum vocavit Sacramentum S. August. *lib. 2. de Peccator. merit. & remiss. cap. 26.* quod observant Cardin. Bellarm. *lib. 2. de Sacram. in genere cap. 24.* Card. Baronius *Anno 313. num. 65.* Henriquez *lib. 1. de Sacram. cap. 2.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 46. § 6. in fin.* Vasquez *tom. 2. in 3. par. disp. 166. cap. 4. De Ceremon. Baptism. num. 52.* & alii allegati per Ciampinum *in d. cap. 4. cap. 5. cap. 6. & cap. 7.* & per Macedonem *d. Disquis. cap. 6. pag. 103.* Qui in toto opere evacuant reliquas conjecturas compactas per defensores Panis fermentati; in quarum relatione non immoror, sunt enim evidenter æquivocæ, & inconcludentes, quæ de Jure nullam probationem faciunt. Rota *decis. 620. num. 6. & decis. 629. num. 24. part. 4. recent. tom. 3. Concil. allegat. 6. num. 32.*

Tandem, corollarii loco, in hoc primo Quæsito, botandum, Materiam ex Azymo,

Azymo, quâ utitur Ecclesia Latina in consecratione EUCHARISTIÆ, antiquitùs consuevisse appellari OBLA-
26 TAM, quia à fidelibus offerebatur, ut ex cap 1. Concilii Arelatensis V. & ex supradicta responsione Cardinalis Humberti ad Michaelem Cerularium demonstrat Emin. Card. Bona d. lib. 1 cap 23 sub num 10. & 11. advertens ibidem, OBLATAS semper fuisse formæ rotundæ. At hodie communiter denominari HOSTIAM notat Dominic. Macer d. Verb. in Hierolexic. sic dictam ab hoste victo; repræsentat enim Passionem, & mortem REDEMPTORIS, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Diversas verò effigies in HOSTIA fuisse olim impressas, utpote CHRISTI ad columnam alligati, vel è sepulchro emergentis, & resurgentis docet Aloysius Novarin. in Agno Eucharistico
27 cap 69. Honorium autem Papam III præcepisse anno 1220 ut in Hostiis consecrandis imago Crucifixi imprimeretur, subdit Macer in d. Verb. Hostia. Et ita servari nostris temporibus videmus.

## DECISIONIS XII.

### Ad Martii Quæsitum secundum.

### ARGUMENTUM.

Agitur de materia consecrationis Sanguinis Domini. Exponitur, quæ sit materia dubia, quæ inepta, quæ certa? Colliguntur figuræ ex Testamento veteri circa vinum convertendum in Sanguinem Domini. Proponitur, & examinatur solemnis Quæstio, An Aqua posita in calice transeat in naturam Vini? Id firmatur rationibus Philosophicis, & Theologicis, relatis prius Controversistarum variis opinionibus.

### SUMMARIUM.

1 *Materia Sanguinis Christi consecrandi quæ sit?*
2 *Materia inepta pro consecratione sanguinis.*
3 *Romanæ Matronæ non poterant bibere vinum, sed loram tantùm.*
4 *Materia dubia pro consecratione sanguinis, quæ sit?*
5 *Materia sanguinis certa est Vinum ex vitibus.*
6 *Beati in Cœlo num edent, aut bibent?*
7 *Noe ante Diluvium nescivit, quid esset vinum.*
8 *Vinum quod futurum esset materia consecrationis sanguinis antiquitùs figuratum.*
9 *Aqua ebullita cum vino, si excedat ejus quantitatem, facit illud materiam ineptam ad consecrandum.*
10 *Vinum miraculosum est materia apta consecrationis.*
11 *Aqua purissima est miscenda in calice ob plurima mysteria.*
12 *Græci bis miscent aquam in calice, prius frigidam, dein calidam.*
13 *Aqua mixta cum vino in calice an transubstantietur in sanguine Christi? opiniones quinque.*
14 *Aqua, secundùm communiorem opinionem, posita in calice prius convertitur in vinum, deinde in sanguinem Christi.*
15 *Aqua in calice secundùm aliquos immediatè convertitur in sanguinem.*
16 *Utraque opinio probabilis.*
17 *Aquam in calice statim converti in Vinum probatur rationibus Philosophicis.*
18 *Vinum habet magnam activitatem ob abundantiam spirituum ignitorum, quibus constat.*
19 *Agens physicum debilitatur in agendo, & repetitur à contrario.*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*Quæ sit Materia in Consecratione SANGUINIS CHRISTI?*

1 Responsum fuit esse *Vinum ex vitibus defecatum cum admixtione modicissimæ Aquæ in Calice*. Ex quibus verbis desumuntur quatuor Resolutiones, quarum *Prima* excludit materiam consecrandi Sanguinis ineptam. *Secunda* ponit materiam dubiam. *Tertia* firmat materiam certam. *Quarta* declarat tria dubia concernentia admixtionem Aquæ cum Vino in Calice.

2 *Prima Resolutio* excludit materiam ineptam, in qua validè consecrari non potest Sanguis CHRISTI, videlicet 1 *Vinetum*, seu *Aquaticum*, vulgò *Acquarello*, *Acquaticcio*, *Graspia*; in quo major, sive maxima est pars aquæ superinfusa. *cap. Perniciosus* 13 *de celebr. Missar.* Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom. 1 in 4. sent. disput. 18. num. 55.* *Quartus in Rubric. Missal. part. 2. tit. 7 sect. 1 dub. 6.* ratio est, quia hæc vineta verè non sunt vinum; teste *Plinio lib. 14. cap. 10.* ubi ait, *Non possunt dici vina, quæ Græci Deuterias appellant; Cato, & nos loram, maceratis aqua vinaceis, quamvis inter vina operaria numerentur.* Dicitur enim *lora*, quasi *lota*, quia est aqua, cum qua vinaceæ, ablato musto, sunt lotæ. Hinc quamvis Romanorum leges prohiberent bibere

3 vinum Matronis Romanis, licitum iisdem erat potare loram; prout scribit Gellius *lib. 10. cap. 23.* his verbis. *Qui de victu, atque cultu populi Romani scripserunt, Mulieres Romæ, atque in latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod Temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutumque ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loram.* Quod confirmat Varro *de Vita populi Romani* dicens, *Antiquæ mulieres, majores natu, bibebant loram.* 2. Excluditur *Agreste*, & *Acetum*. Illud, quia licet sit in via Vini, adhuc non est Vinum. Istud, nam & si fuerit Vinum, non est amplius tale ob corruptionem, & eo homines non utuntur ad potandum, immò potius ad comedendum. Exemplum habemus in libro Ruth *cap. 2. num. 14.* ubi Booz eidem puellæ Ruth ait: *Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge bucellam tuam in aceto.* 3 Mustum coctum, vel Sapa non est materia apta ad consecrandum, nec etiam mustum in Uvis contentum *cap. Didicimus; & cap. seq. de Consecrat. dist. 2.* quia horum nullum est potabile, & fluidum, ideoque neque Vinum imbibitum in offa panis vulgo *Zuppa*. Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 18. num. 50. 51. & seqq.* Mastrius *in Theolog. mor. disp. 18. num. 18.* & *Collegium Salmanticen. in cursu Theolog. moral. tom. 1. tract. 4. cap. 4. punct. 4.* 4 Excluduntur tandem quæcunque vina, quæ non sint ex vite, nempe Mororum, Malorum granatorum, Cervisia, Hordeo, & aliis succis, ut passim omnes DD. neque etiam *Aquavitæ*, quæ est spiritus lambicatus per ignem ex vino. Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 18. n. 60. Vers. Probatur 2.*

4 Secunda Resolutio ponit materiam dubiam consecrationis Calicis. Talis est Vinum acidum, Vinum congelatum, & Vinum expressum ex Uvis passis. Hæc vina dicuntur materia dubia, quia Vinum congelatum esse materiam sufficientem, at insufficientem Vinum expressum ex Uvis passis tenet ipse Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 18. num. 56. & num. 60.* E contra Vinum ex Uvis passis esse aptam materiam, non etiam Vinum congelatum docent Gonet *d. tom. 5 disp. 3 de Mat. Euchar. art. 2.* Et Gobat *in Theolog. Experim. tract. 3. n. 49. & 55.* Ex his discendum, cum non liceat consecrare in materia dubia, ab iisdem speciebus abstinere oportere.

5 Tertia Resolutio firmat, Quod Vinum ex Vitibus sit materia certa consecrationis Sanguinis Domini: & probatur, non solum *ex cap. Firmiter. De Summa Trinit. & fide Cathol. ex Concil. Florentino, & ex Trident. sess. 13 can. 2.* Sed etiam ex Evangelio *Matth. 26. & Marc. 14.* ubi Salvator statim post consecrationem sui Sanguinis, illum porrigendo discipulis ait: *Non bibam amodo de hoc genimine*

*mine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Ergo materia consecrata à CHRISTO in Calice fuit vinum ex Vite. Sed numquid Beati in Cœlo bibent vinum juxta prædicta Domini verba? & illa apud *S. Lucam cap. 22. Vers. 29. & 30. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo?* Respondetur, quod Beati in cœlo *Non esurient, neque sitient amplius. Isa. 49.* Siquidem *Surget corpus spirituale 1. Cor. 15.* & sic non erit opus alimentis. Quocirca 6 etsi pro indubitato admittant Theologi, quod sensus visus, auditus, & tactus exercebunt actus suos in cœlo, de cæteris sensibus nihil certum habent. *Non est enim Regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Rom. 14. 17.* in quem locum ait *S. Hieronym. Hic manifestè monstratur, quoniam Regnum cœlorum cibum, & potum non habet temporalem, sed illic spiritualiter vivitur.* Igitur edere, & bibere in Regno Dei intelligitur tropologicè, de satietate gloriæ, juxta illud *Satiabor, cum apparuerit gloria tua Psal. 16. 15. Et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ Psal. 35. 9.* Quod benè explicat Emin. Card. de Lauræa *in 4. Sent. tom. 4. disp. 21. de beatitudine corporum art. 8. & Mastrius in Theol. mor. disp. 25. num. 91.*

Quod autem Vinum ex vite futurum esset Materia consecrationis Sanguinis Redemptoris, præfiguratum fuit in Scriptura Sacra, non quidem ante tempora Noe, 7 quia, ut scribit ipse *S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. Ante diluvium nec fuit usus carnium, nec repudium uxorum, nec circumcisio, nec potus vini,* & ideò excusatur Noe ab ebrietate, cum bibisset vinum, nescius potentiæ, & efficaciæ illius. Gobat *in Quinario de Ebrietate tract. 5. cap. 7. num. 14.* Porrò post Noe, legitur quod Melchisedech Rex, & Sacerdos obtulit panem, & vinum. *Gen. 14.* de quo 8 *S. August. Epist. 95. ad Innocent. Papam* sic ait: *Melchisedech prolato Sacramento mensæ Domini, novit æternum ejus Sacerdotium figurare.* Item cum Patriarcha Jacob benediceret filium suum Judæ, dixit *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: lavabit in Vino Stolam suam, & in Sanguine Uvæ pallium suum. Gen. 49. 10.* quod reassumens Tertullian. *lib. 4. advers.* Marcionem inquit: *Stolla, & pallium carnem demonstrat, & vinum Sanguinem, ita & nunc Sanguinem suum in Vino consecravit, qui tunc Vinum in Sanguine figuravit.* Item vaticinans *Isaias 63. 2.* exclamavit: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quod de Vino Calicis Eucharistici exponit S. Cyprianus. Sed & in Sacrificiis legis veteris non solùm offerebatur panis Domino, sed etiam vinum, ut legitur *Levit. 23. 13. Liba quoque vini quarta pars hin. Et num. 15. 5. Et Vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum. & cap. 29.* pluries præcipiuntur cum victimis offerri etiam libamina, idest Vinum, ut observat Julius Maurocenus *in d. Tract. Via della Fede part. 2. cap. 21. pag. 390.* Qui *cap. 51. ad pag. 930.* advertit à Rabbinis prohiberi cuicumque Judæo, ne bibat Vinum Christianorum, quod vocant יין נסך *Jain Hesech* idest Vinum libaminis, aut idololatriæ, in odium tum benedictionis, quam Christiani facere solent super vino, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, tum Sacrificii incruenti Missæ. Subdit autem pag. 934. quod apud Turcas, ubi Judæi habent suos ממונים, *Memunim* idest Gubernatores, & Judices, puniuntur etiam corporaliter, si bibant vinum Christianorum, & narrat de ipsis Judæis hanc lepidam annotationem. *Quando succede trà essi qualche disparere (poiche nella loro usanza, chi più grida, & alza la voce, quello hà più ragione) per vituperarsi uno l'altro, rinfacciandosi i loro misfatti, dice uno all'altro: Che mi puoi dire? Che io habbia fornicato? adulterato? E vero: mà non mi potrai dire, che io habbia bevuto Vino Nesecho. Da qui si comprenda, in che conto sia tenuto trà gli Hebrei chi beve vino de' Christiani, essendo tenuto trà essi per iscommunicato, & Idolatra, Reo di colpa maggio-*

*maggiore, che quella della fornicatione, e dell'adulterio*

Sed revertamur ad ipsam consecrandi Sanguinis Dominici materiam, videlicet Vinum ex Uvis defæcatum, aut etiam Mustum in casu necessitatis: *cap. Omne crimen 7. de Consecr. dist. 2.* Quod quidem Vinum debet esse merum, aut ebullitum in Vinaceis cum aqua non excedente ejusdem Musti quantitatem, nam si aqua excedat, non censetur materia sufficiens *cap. Perniciosus 13. De Celebrat. Missar.* Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 18. num. 66.* ubi concedit, æqualem quantitatem aquæ posse ebulliendam in musto cum Vinaceis apponi. Sed ad evitandos scrupulos aut nulla, aut pauca est aqua in Vino ebulliendo cum Vinaceis ponenda; quod advertere debent tum Parochi, tum Moniales, quibus incumbit, tempore vindemiarum, parare Vinum pro Missæ celebratione.

Sed numquid poterit Missa celebrari cum Vino miraculoso, idest non facto ex Vite, sed producto per miraculum ex aqua, quale fuit illud in Nuptiis Canæ Ga-
10 lileæ? Frequenter Sanctos homines signo Crucis convertisse aquam in Vinum legimus in eorum Vitis, & exempla septuaginta narrat Bagatta *de Admirandis Orbis Christian. tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 1.* inter quæ pluries fitatum esse affirmat cum ipso miraculoso vino, idcirco materiam aptam, & licitam illud fatentur Henriquez *lib. 8. cap. 12. in princ.* Gavantus *in Rubric. Missal. par. 3. tit. 4. num. 1.* & Quartus *eod. tract. p. 3. tit. 4. dub. 11.*

Quarta Resolutio. Est autem admiscenda cum Vino paucissima aqua natu-
11 ralis in Calice, tum ob exemplum Christi, ut habetur ex liturgia S. Jacobi *in tom. 6. Bibliotb. Patr.* ex S. Clemente Papa Primo *in lib. 8. Constit. Apostol. cap. 17. ex Concil. Florentino in Decreto Fidei, & ex Trident. sess. 22. cap. 7.* tum ob plurima mysteria, videlicet ad denotandum, quod ex latere Christi exivit *Sanguis, & Aqua Joan. 19. 34.* & quod per mixtionem aquæ significatus populum (juxta illud *Apoc. 17. 15. Aquæ, quas vidisti, populi sunt*) demonstratur unio populorum, idest Ecclesiæ in Christo, qui repræsentatur in vino, Casal. *de Veter. Sacr. Christ. Ritib. cap. 10. De offertor. litt. D.* Et ideò aqua benedicitur, antequam ponatur in Calice, non autem Vinum, nam Christus non eget benedictione, quemadmodum populus, cujus salus fieri non poterat sine sanguinis Dominici effusione. Item Aqua miscetur Vino in Calice, ut Divinitas, & Humanitas Christi in una persona conjunctæ esse inseparabiliter intelligantur, *cap. 1. & 2. de Consecr. dist. 2.* Durand. *de Divin. offic. lib. 4. cap. 30. à num. 18. & seqq.* Eminen. Card. de Lauræa *d. disput. 18. De Euchar. art. 4.* ubi *num. 79.* advertit cum S. Thom. *3. par. quæst. 74. art. 7.* & Scot. *in 4. dist. 11. q. 6. §. Ad secundum B.* mixtionem Aquæ in Calice non esse de necessitate Sacramenti, neque ex Præcepto Divino, sed tantùm ex Præcepto Ecclesiastico, ut ex Concil. Trid. *dict. sess. 22. cap. 7.* ideoque Sacerdos sponte omittens mixtionem aquæ in Calice validè consecraret, sed reus esset mortalis culpæ; quod si ex oblivione omisisset, & recordaretur ante consecrationem, statim eam ponat, si post consecrationem, non ampliùs eam addat S. Thom. *3. par. quæst. 83. art. 6. ad 2. Rubric. Missalis*, & ad eam Gavant. *d. p. 3. tit. 4. num. 3.*

Græci verò bis aquam miscent in Calice; semel frigidam, cum in prothesi (idest Altariolo) sancta dona præparant, pun-
12 gente Sacerdote panem sancta lancea, & dicente, *Unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit Sanguis & aqua*, & Diacono infundente Vinum, & Aquam. Deinde calidam post consecrationem, immediatè ante Communionem, petente Diacono à Sacerdote, ut Aquam fervidam benedicat; illo verò benedicente his verbis *Benedictus fervor Sanctorum tuorum semper, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.* Tum Diaconus infundit in Calicem dicens: *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto Amen.* Et per eam intelligi volunt, tum fervorem Sancti Spiritus, tum quod Aqua calida exiverit à latere Christi. Ita Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturg. lib. 2. cap. 9. n. 4.* ex Goar. *in notis ad Missam Chrysost. n. 267.* & ex Arcudio *lib. 3. sine concordia cap. 39.*

*cap* 39. & Casalius *cap* 91. *pag.* 374 ubi notat Innocentium Papam Quartum in sua Bulla incipien. *Sub Catholicæ*, quæ in Bullario est XIV. decrevisse, tolerandum hunc morem aquæ calidæ.

*Sed utrum Aqua, quæ ante consecrationem sanguinis miscetur cum Vino in Calice, fiat transubstantiatio in Sanguinem Christi?* insignis est, & antiqua Quæstio, de qua tractant omnes Scholastici, & eorum Principes S. Thom. 3 *par. quæst.* 74. *art.* 8. Scotus *in* 4. *d.* 11 *quæst. ult.* nec non Canonistæ in celebri *cap. Cum Marthæ* 7 *De celebrat. Missar.* Circa quam reperiuntur quinque opiniones. *Una* dicens, Aquam Vino in Calice admixtam converti in aquam, quæ de Christi latere exivit, Vinum verò in sanguinem. *Altera*, ipsam Aquam converti in humorem phlegmaticum Christi, supponendo, Aquam illam, quæ ex ejus latere exivit, non fuisse elementarem aquam, sed Phlegma. *Tertia* tenens, solum vinum converti in sanguinem, Aquam verò in Calice remanere inconversam. *Quarta*, docens, Aquam in Calice prius in Vinum converti, deindè Vinum in sanguinem transubstantiari. *Quinta*, Aquam non converti in Vinum, sed tàm Vinum, quàm Aquam immediatè converti in Sanguinem Christi. Tres primæ opiniones reprobantur, *in d. cap. Cum Marthæ* 7 *& in cap. In quadam* 8. *De celebr. Missar.* Ideò altercatio Doctorum versatur circa quartam, & quintam opinionem. Qui defendunt quartam, quæ etiam est communior, & probabilior, sic argumentantur.

Primò. Solum Vinum est materia consecrationis Calicis. Ergo si Aqua ei mixta in Calice non convertitur in Vinum, non potest consecrari in sanguinem. Antecedens patet tum ex Ecclesia canente, *Fitque Sanguis CHRISTI merum*, tum ex Evangelio *Non bibam amodò de hoc geminine vitis*, tum etiam *ex cap. Firmiter De Summ. Trinit.* nec non ex Decreto Unionis *in Conc. lo Florent. atque ex Concilio Trident. sess.* 13 *can.* 2. quibus in locis definitur, panem transire in Corpus, & vinum in Sanguinem.

Secundò. Si Aqua non converteretur in Vinum, sed maneret in propria substantiâ, & immediatè cum Vino converteretur in Sanguinem Christi, remanerent post consecrationem non solum species vini, sed etiam species aquæ. Sed hoc est contra definitionem Concilii Tridentini *in d. sess.* 13. *can* 2. ubi terminat, post consecrationem remanere solas species panis, & vini. Ergo.

Tertiò. Si Aqua in Calice non converteretur in Vinum, Eugenius Quartus, & Cathechismus Romanus *De Euchar. num.* 17 non præciperent Sacerdotibus, ut miscerent modicam aquam, immò modicissimam. Sed de hoc uterque est sollicitus, igitur ob præconversionem aquæ in vinum.

Quartò. Innocentius III. *in dict. cap. Cum Marthæ*, vocat probabiliorem opinionem dicentem, Aquam prius in Vinum converti, & indè in Sanguinem, & nec verbum facit de opinione contraria, quod scilicet, aqua immediatè in sanguinem convertatur. Ergo.

Quintò. Ex Conciliis, & Canonibus sufficienter deducitur, Aquam misceri cum Vino in Calice non tanquam materiam consecrationis, quæ est solum vinum, sed solùm per modum cujusdam cæremoniæ ad Mysticas significationes, de quibus supra. Ergo debet prius converti in Vinum, quod prædicatur in recto de materia consecrationis, ut & ipsa aqua convertatur in Sanguinem.

Sextò. Sacramentum Eucharistiæ institutum est à Christo in materia Panis, & Vini, de per se apta ad nutriendum corpus, ipsumque alendum, ut ab effectu cibi corporalis in corpore significaretur effectus spiritualis, qui ab hoc Sacramento fit in anima suscipientis. Ita *Eugen IV in cit. Decret. Union.* Sed Vinum valet nutrire corpus. Galen. *lib.* 3 *de Alimen facult. cap.* 40. Grossus *de cib. & pot. q.* 8 Baccius *de Natur. Vini lib.* 3 *cap.* 4. *&* 5. Emin. Brancatius *De potu Chocolat. pag.* 168. Aqua verò non est apta nutrire. Idem Galen. *lib.* 4. *de Usu partium cap.* 5. Ergo Aqua immediatè non potest converti in Sanguinem Christi.

Septimò. Eodem modo asseritur à Con-

Conciliis, & Patribus Vinum esse materiam Eucharistiæ in Calice, ac Panem triticeum esse materiam illius in Hostia. Sed si Hostiæ aliquid admisceatur, quod non sit panis triticeus nullo modo convertitur in Corpus Christi. Ergo neque Aqua admixta Vino, nisi prius convertatur in Vinum.

Octavò. Si Aqua non converteretur in Vinum, sed immediatè converteretur in Sanguinem, sequeretur, Sanguinem existere sub speciebus aquæ, non solum unitæ vino, sed etiam si ipsæ species aquæ separarentur à speciebus Vini. Sequela probatur ex *Concil Trid. sess 13. can 3.* ubi dicitur, *In Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.* Sed hoc non est dicendum, quia ex Conciliis, Sanguis Christi non est nisi sub speciebus Vini. Ergo.

Nonò. Si Aqua immediatè converteretur in Sanguinem, posset apponi in magna quantitate in Calice contra *text in cap. Perniciosus 13. De Celebr. Missar.* Immò sola Aqua posset consecrari, quod est haereticum. *cap. 2. de Consecr. dist. 2.* Ergo.

Decimò. Confirmatur hæc opinio auctoritate Catechismi Romani *d. num. 17.* dicens: *Ecclesiasticorum Scriptorum sententia, & judicio aqua illa in Vinum convertitur.* Et libri Sacerdotalis Romani *part. 1. tract. 10. cap. 2.* ubi ait: *Aqua, quæ in Calice vino miscetur, debet esse in modica quantitate, quia tunc in Vinum converti operter.*

Hanc opinionem amplexi sunt S. Thomas, S. Bonavent. Scotus, Suarez, Vasquez, Azorius, Bonacina, & innumeri, quos numerat *Colleg. Salmanticen. De Sacram. in genere tract. 4. cap. 4. num. 70.* quibus ego addo Emin. Cardinalem de Lauræa *d. tom. 1. in 4. Sent. De Euchar. disp. 18. art. 5.* Mastrium *in 4. disp. 3. q. 3. art. 1.* & novissimè Agudium *de Sacram. Euchar. par. 4. cap. 2. num. 8. & 9.* Nec non Emin. Cardin. Capisuchium *in suis Controversiis Theologicis Selectis Controv. prima;* in qua *per 35. Paragraphos in folio 152.* tutatur hanc sententiam, & solvit argumenta contraria, mox referenda.

Porrò Recentiores, qui tenent, nequaquam Aquam in Vinum converti, sed positam in Calice remanere inconversam, & in sua substantia, ideoque immediatè converti in Sanguinem Christi, sic argumentantur.

Primò. Sancti Patres absolutè dicunt Vinum, & Aquam in Sanguinem Christi converti. Nempe S. Justinus *Apolog. 2.* S. Ireneus *lib. 4. contra Hæres. cap. 57.* S. Cyprian. *Epist. 63.* S. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 5.* Theodoret. *Dialog. 1. circa medium.* S. Paschasius *De Euchar. cap. 11.* & Algerius *ead. tract. libr. 1. cap. 16.* Ergo Aqua non convertitur in Vinum.

Secundò. Innocentius Tertius *in cit. cap. cum Marthæ De celebr. Missar.* videtur hanc opinionem probare, asserit enim: *Aquam cum Vino in Sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti, quæ est populum Christianum, designatum per aquam, incorporari Christo.* At si Aqua vino mixta non converteretur immediatè in Sanguinem, non aptè significaret, populum Christo incorporari, & velut in ipsum transmutari. Ergo.

Tertiò. Idem Innocentius Tertius ibidem videtur non assentiri contrariæ opinioni, *Nam Physici*, inquit, *contrarium asserunt, qui affirmant, aquam à vino per artificium separari*, & infra absolutè decernit, esse probabile, *Aquam, & Vinum converti in Sanguinem.*

Quartò. Quia opus est longo tempore, ut Aqua mixta cum vino convertatur in Vinum. Sed hoc longum tempus non habetur, cum paulò ante consecrationem ponatur Aqua in Calice: immo statim ante Consecrationem potest infundi, si præcessit oblivio, juxta Rubricas Missalis. Ergo.

Quintò. *In Liturgia S. Jacobi* legitur, quod *Christus accipiens Calicem, & permiscens ex Aqua, & Vino, benedixit.* Ergo absque dilatione consecravit, & sic Aqua immediatè in suum Sanguinem fuit conversa.

Sextò. Si Aqua non converteretur immediatè in Sanguinem Christi, non verifi-

verificarentur Verba formæ *Hic est enim Calix Sanguinis mei*, quando statim ante consecrationem imposita est Aqua, quæ non esset conversa in Sanguinem. Ergo.

Septimò. Ulterius in elevatione Calicis populus adoraret Aquam, remanentem ibi inconversam, adoratione latriæ. Quod esset error in fide.

Octavò. Item Sacerdos assumpto Sanguine non remaneret jejunus, propter Aquam inconversam, simul cum eo sumptam, & sic in die Natalis Domini non posset bis, & ter celebrare.

Nonò. Concilia, & Patres dicunt Materiam Calicis esse Vinum de Vite. Sed Aqua etsi prius converteretur in Vinum, dum ponitur in Calice, non esset pro sua portione Vinum ex Vite. Ergo vel immediatè convertitur in Sanguinem, vel neutro modo potest converti.

Decimò. Aqua est tenacissima suæ naturæ, nam ad ignem applicata, non convertitur in ignem, sed resolvitur in vapores, qui remoto igne, permanent in priore aquæ natura. Sed ignis est præditus majori activitate, & vi, quàm vinum. Ergo aqua non convertitur à vino in vinum. Consequentia probatur, nam si quis continuet immittere paulatim aquam in vinum, tandem reperiet, vinum esse corruptum ab aqua, & non esse amplius vinum, sed aquam; quod non eveniret, si priores guttæ aquæ, missæ in vinum, essent conversæ in vinum; siquidem per continuitam immissionem augeretur quantitas vini, & non transcenderet vinum in aquam. Igitur cum aqua non convertatur in vinum, remanet in sua propria substantia, quamvis mixta vino, & sic immediatè transmutatur in Sanguinem Christi.

His, & aliis argumentis moti hanc opinionem sustinent Alan. *cap.* 13. Toletus *in Summa lib.* 2. *cap.* 25. Coninch. *tom.* 1. *de Sacramen. q.* 74. *art.* 8. Cardinal. de Lugo *disp.* 4. *sect.* 3. ubi alios citat, videlicet, Pesantium, Scotiam, Præpositum, Aresium, Layman, quibus Sodales adiungit Diana Coordin. *tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 208. decerpta *ex part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 49.

16 Lector eligat ex his, quam mavult opinionem, ego primam amplector, sed contrariis argumentis non respondeo, cum superabundè ipsis satisfaciunt Malitius *in* 4. *disp.* 3. *q.* 4. *art.* 2. Emin. Card. de Lauræa *d. tom.* 1. *de Euchar. disp.* 18. *art.* 5. *per totum.* Gonetus *d. tom.* 5. *disp.* 3. *de Eucharist. art.* 4. *Collegium Salmanticen. in Cursu Theolog. Moral. d. tom.* 1. *De Sacram. in genere tract.* 4. *cap.* 4. *à num.* 84. *& seqq.* & novissimè Emin. Card. Capiucchius *in d. Controver. prima* in qua nihil intactum reliquit. Illud non videtur omittendum, clarum esse in bona Philosophia; modicam aquam mixtam vino in Calice, statim converti in vinum, siquidem quando Agens, & Patiens sunt similia genere, at dissimilia specie, Agens

17 agit in passum contrarium, & illud statim corrumpitur, & facta ejus corruptione transformatur per generationem in ipsum Agens. Est doctrina Arist. 1. *de Gen. & cor. text.* 51. Porrò Vinum, & Aqua sunt similia genere, quia liquida, & humida, at dissimilia, & contraria specie, nam Vinum est calidum, Aqua est frigida. Igitur cum minor Aqua miscetur cum majori Vino, istud agit in illam, & ab ipso corrupta, tanquam debilis, & divisa in minimas partes, per generationem transmutatur in Vinum. Sicut è contra si gutta Vini immittatur in magnam aquæ quantitatem, Vinum dividitur, & corrumpitur ab Aqua, & subinde transmutatur in Aquam. Ecce Verba Aristotelis 1. *de Gener. & corrupt. text.* 88. *Activorum autem, & passivorum quæcunque sunt facilè divisibilia. Multa quidem paucis, et magna parvis composita non faciunt mixtionem, sed augmentationem dominantis. Mutatur enim alterum in dominans. Ideò gutta vini decem millibus congiis aquæ non miscetur. Solvitur enim forma, & mutatur in universam aquam.* Hinc est, quod Collegium Complutense, *In Artium Cursu de gen. & corrupt. lib.* 1. *disput.* 9. *quæst.* 1. *num.* 2. assignando conditiones necessarias ad mixtionem faciendam *ex Arist. eod. lib. tex.* 83. ait: *Secunda est, quod licet miscibilia mutuò sint activa, & passiva, nihilominùs unum non*

*debet unus excedere alterum, sed in eadem activitatis, quàm resistentiæ proportione consistat, quæ sufficiat, ut simul corrumpantur, & aliud tertium resultet.* (Exempli gratia, ut loquar cum Jurists, de quibus ego sum, Si ex vino, & melle fiat mulsum, aut ex auro, & argento electrum *§ si duorum 27. Instit. De Rer. div.*) Et reddendo rationem sequitur dicens Collegium Compluten ad propositum nostrum *Ratio est, quoniam si Vinum ex miscibilibus plus æquo dominaretur alteri, traheret omninò illud ad propriam formam, & generaret aliud Individuum ejusdem speciei, ac proindè ibi non intercederet vera mixtio, sed nuda, & sola generatio.* Nemò inficiabitur, Vinum in Calice plus æquo dominari aquæ ibi per celebrantem infusæ, respectu quantitatis, & activitatis Per consequens, ut fateatur, oportet, aquam omninò trahi ad propriam formam Vini, & converti in Vinum.

18 Et ad comprobandam vini activitatem ob abundantiam spirituum ignitorum, quibus constat, me delectat transcribere quod de navigantibus ad Groelandiam, novamque Zemblam scribit P. Daniel Bartoli *in Opusculo de Glacie, tract 1. cap 27. ex relatione Helmontii* Bascones, inquit, *frigore prævent, vina cocta, aliàs sat generosa habebant conglaciata. Circulis ideò à cado ademptis, nudam vini glaciem, forma, vasis pristini sub dio exposuerunt, ut unica deinceps nocte residuum penitus congelaretur. Quo facto glaciem terebrabant, ac circa glaciei centrum occurrebat liquor, colore Amethysti, VINI MERUS SPIRITUS, & IGNEUS, vitalisque liquor, glaciari nescius. Glaciem itaque Vini liquatam ipsi habebant, reddito sibi liquoris illius vitalis tantillo.* Igitur si adeò ignei sunt spiritus Vinei, ut in regionibus polaribus, in quibus condensatur frigore totus Oceanus, ipsi resistant, nec gelu extinguantur, quanta erit eorum activitas in trahenda modicissima aqua ad naturam Vini?

19 Neque obstat, quod dictum est in ultimo argumento, continua immissione aquæ in vinum corrumpi ipsum vinum, & fieri aqueum; Siquidem procedit, nam *omne agens physicum in agendo debilitatur, & repatitur à contrario*, Idcircò vinum quantò magis agit convertendo aquam, eò magis debilitatur, consumendo suos subtiliores, & activiores spiritus, quibus amissis, non potest se in pristinum statum reducere, ut patet de calore naturali animalis, quantò enim magis cibum in substantiam alit convertit, tantò plus etiam virtus ejus debilitatur, & tandem deficit; ut in puncto docet Arist. *d. lib 1. de gener. & corrupt. tex. 42.* & ibi Sylvest. Maurus *tom 3. num 7*

Corollarii loco, antequam terminetur hoc Quæsitum; cum supra dictum sit, à Græcis post consecrationem, & immediatè ante communionem infundi modicam Aquam calidam in Calicem, & misceri cum Sanguine Christi, interrogabit aliquis, converti ne ipsa aqua in Sanguinem Christi? Huic interrogationi satisfit Mense Julio in secundo Quæsito. Interim respondetur, prædictam Aquam calidam non mutari in Sanguinem Christi; sed converti in substantiam vini, & ibi remanere tanquam vinum, Lessius *in 3. par. D Thom q 77 art 8 num.* 15 Vel quia in speciebus consecratis manet virtus ad agendum, sicut ageret si remanerent substantiam vini, juxta doctrinam Divi Thomæ *3. par. quæst. 77 art 8* quam explicat Aretinus *in 4. dist 12. quæst 4. art 7* Vel quia eadem aqua convertitur in vinum immediatè à Deo in ratione Agentis universalis, supplentis defectum naturæ, non novo, sed antiquo miraculo, quo decrevit, circa species consecratas Eucharistiæ, permittere, eas omnes mutationes fieri, quæ fierent, si adessei panis, & vini substantia, ad occultandum miraculum tanti Sacramenti, juxta doctrinam Scoti *in 4 dist 12. quæst 4 litt F §. Si ergo queras*, ut advertit Mastrius *in 4. disp 3 quæst 16 num 93* Et hæc de secundo Quæsito.

DE-

## DECISIONIS XIII

Ad Martii primum Casum.

### ARGUMENTUM

Proponit, an celebrata prima Missa in nocte Natalis Domini, licitum sit prosequi celebrationem aliarum duarum Missarum, & communicare populum ante Auroram? Explicatur, in Primitiva Ecclesia fuisse in usu Missas diurnas, & Vespertinas. Item plures dies Polyliturgicos; in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ celebrabantur. Mysteria triplicis Missæ in Nativitate Domini exponuntur. Tandem ad casum propositum datur negativum responsum ex rationibus à Jure Canonico desumptis, & ex Decretis Sac Rituum Congregationis 20. Aprilis & 7. Decembris 1641.

### SUMMARIUM

1 *Missæ de manè, & de serò celebrabantur in primitiva Ecclesia*
2 *Missæ Vespertinæ quibus diebus dicebantur?*
3 *Polyliturgici dies, qui essent, in quibus ab uno plures litabatur*
4 *Missæ tres ab eodem Sacerdote celebrabantur in diebus Nativitatis Domini, S. Joannis Baptistæ, & S. Laurentii*
5 *Missa unica in die hodie est celebranda à quovis Sacerdote*
6 *Celebrans pluries in die peccat mortaliter, & est puniendus ab Episcopo pœna arbitraria, sed gravi.*
7 *Sacerdos, qui Patavii bis in die celebravit ex avaritia, fuit ad triremes per biennium condemnatus anno 1660*
8 *Sacerdos condemnatus ob Polylitationem efficitur infamis, & irregularis.*
9 *Regularis bis celebrans in die potest puniri ab Episcopo*
10 *Sacerdotes celebrantes bis in die sunt suspecti de hæresi, & possunt puniri ab Inquisitoribus*
11 *Ter celebrat quisque Sacerdos in Natali Domini ob plura mysteria*
12 *Qui in Natali Domini vult unam tantùm Missam dicere, melius facit, si dicat tertiam, quæ concordat cum officio*
13 *Missa una, & non tres, est de præcepto audienda in Natali Domini*
14 *Missæ tres post mediam noctem de Natali Domini, an continuatæ possint dici? Affirmant plures, sed negativa est tenenda num. 15*
16 *S. Congregationis Rituum Decreta habent vim legis*
17 *Legum Papalium, & Decretorum S. Congregationis sufficit publicatio facta Romæ*
18 *Legum Papalium validitati non derogat inobservantia, nisi sit cum ejus scientia, & tolerantia*
19 *Decretis SS. Congregationum Cardinalium non creditur, nisi exibeantur in authentica forma.*
20 *Decreta S. Congregationis, quod nocte Natalis Domini non liceat celebrare secundam, & tertiam Missam, neque populum communicare*
21 *Tres Missæ in nocte Natalis Domini ob plures rationes non sunt celebrandæ*
22 *Mulierum consortium semper periculosum*

## PRIMUS CASUS.

1 *Parochus celebrat primam Missam in nocte Nativitatis Domini statim post mediam noctem. Deinde incipit reconciliare, & communicare Parochianos suos, qui ad Nocturnam Missam convenerant, & Capellanus prosequitur in eadem nocte suas tres Missas celebrare; quibus completis, Parochus secundam Missam celebrat per duas horas ante Auroram. Quæritur: An licitè hæc omnia fiant?* Ad ornatum hujus casus

Tria sunt præmittenda. *Unum*. In primitiva Ecclesia fuisse in usu Missas diurnas, & vespertinas, quæ celebrabantur tum de mane, tum de sero, vel exemplo Synagogæ, quæ matutinum, & vespertinum Sacrificium offerebat, quamvis enim Mosayca sacrificia cessassent, fideles, qui erant ex circumcisione non statim veterum rituum poterant oblivisci, ut considerat Eminen. Cardin. Bona *Rer. liturg. d. lib. 1. cap. 21. num. 3.* Vel quia, glissentibus tyrannorum persecutoribus, cogerentur Christiani potius de nocte, quàm in die Divina Officia canere, & in Altaribus incruentum Sacrificium litare. Tertullian. *De Corona Milit. cap. 3.* & S. Cyprian. *Epist. 63. ad Cæcilium.* Emin. Card. Baronius *Ann. 257. num. 11.* & Emin. Cardin. Brancatius *in Dissert. De Privileg. Capel. Cardinal. pag. 6.* qua de causa ipsi Fideles appellabantur *Amelucani, Latebrosi, & gens Lucifugax*, ut loquitur, ad Trajanum scribens, Plinius *lib. 10. Epist. 97.* Porrò post Constantini Imperatoris conversionem ad fidem, & pacem redditam Ecclesiæ, etsi statutum fuerit, ut celebraretur Missa de die, & non de nocte; quia est sacrificium gratiæ, significatum nomine diei, juxta illud: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Rom. 13. 12.* & advertit Franc. Leo *in Thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 4. num. 64.* Nihilominus servatus fuit usus plurium Missarum Vespertinarum, videlicet in Feria Quinta Cœnæ
2 Domini ob exemplum Salvatoris, in Sabbatis ante Dominicam Resurrectionis, & Pentecostes, in quarum Vigiliarum Missis tum in Præfatione, tum inter Communicantes retenta sunt illa Verba: *Hanc sacratissimam noctem.* Navar. *de Orat. cap. 3. num. 42.* Item in Quadragesima, in Sabbatis quatuor temporum, & in aliis diebus jejuniorum de præcepto, in quibus sacrificium Missæ deferebatur post horam diei nonam, idest ad ultimam partem diei, & occasum solis, ob præceptum jejunii, ad cujus observantiam cibus non sumebatur à fidelibus, nisi in Vespere, de qua cecinit Prudentius (qui vivebat Anno 390.) *Hymn. post Jejun. qui est VIII. quotidian.*

> *Nona submissum rotat hora solem,*
> *Partibus vix dum tribus evolutis*
> *Quarta devexo superest in axe*
> *Portio lucis.*
> *Nos brevis voti dape vindicata*
> *Solvimus festum, fruimurque mensis*
> *Affatim plenis, quibus imbuatur*
> *Prona voluptas.*

Nec non S. Paulinus Nolanus Episcopus (qui ex Card. Baronio tom. 5. annal. obiit anno 431.) inter sua poemata in illo *de Nat. 7. S. Felicis*, ita:

> *Nosti enim morem, ut jejunare solemus*
> *Ante diem, & serò, libatis Vespere*
> *sacris,*
> *Quisque suas remeare domos.*

Idem testatur S. Ambrosius, sacris illis vatibus senior (vivebat enim anno 374.) explicans enim *Psal. 118. Vers. 62.* ait: *Indictum est jejunium, cave ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, tamen cœlesti magis te serva convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longè est finis diei: imò plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio.* En quod in diebus jejuniorum Missa celebrabatur in occasu solis, & solum Missa completa, & recepta communione sacra fideles procedebant ad prandium: *cap. Solent 50. De consecr. dist. 1.* & pluribus ex antiquis allegatis Auctoribus probant Casalius *De Veter. Sacr. Christian. ritib. cap. 9. pag. 70.* Et Emin. Card. Bona *d. lib. 1. cap. 21. num. 6. & 7.* ubi docet,

cet, durasse hanc Ecclesiæ laudabilem consuetudinem usque ad duodecimum sæculum, in quo pristina severitate paulatim relaxata, mollior successit disciplina, & ne prorsus vetustas veneranda extingueretur, præscriptum fuit tempus pro celebrandis Missis solemnibus in Choro, itaut illud esset referendum non amplius ad horas planetarias, sed ad horas Canonicas, ut legitur *in Rubric. Missal.* § 15 videlicet *Missa conventualis solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octavas dicta in Choro hora Tertia. In festis simplicibus, & feriis per annum dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, post Nonam.* Stant Horæ nominetenus, & cum relatione ad Horas Breviarii, nam Horæ celebrandi antiquitùs, Tertia, Sexta, & Nona importabant medium mane, meridiem, & ultimam partem diei. Francolin. *de Horis Canonic. cap.* 34. Emin. Bona *dict. num. 7. & de Divina Psalmodia cap.* 3.

3 *Alterum* præmittendum est, fuisse in Ecclesia per plura sæcula quosdam dies *Polyliturgicos*, in quibus ab uno Sacerdote plures Missæ dicebantur, sicut hodie fit in die Natalis Domini. Hinc Leonem Papam III. septem quandoque, imò & novem missas una die celebrasse ex Walfrido Strab. *cap.* 21. refert Card. Baronius *tom. 9. Annalium Anno* 816. Sanctum Uldaricum Episcopum Augustanum bis, & ter in eadem die litasse scribit Berno Augien. *in ejus Vita*. Idem de S. Norberto, & de S. Alberto Monacho testatur Surius, & de S. Libentio Episcopo Bremensi Krantzius *lib.* 4. *cap.* 11. Alia exempla congerit Eminentiss. Card. Bona *dict. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 5 & 6. ubi authenticis testimoniis ostendit, solitum fuisse celebrari duas missas prima die Januarii unam de octava Nativitatis, alteram de S. Maria. Tres in feria quinta Cœnæ Domini ab Episcopo, quarum prima erat pro reconciliatione Pœnitentium; secunda pro conficiendo Chrismate, tertia serotina de ipsa diei solemnitate, cum Oratione *Deus, à quo & Judas*. Duas in Vigilia Ascensionis. Duas in quatuor temporibus Pentecostes. Item multiplex Sacrificium fiebat in Natalitiis Sanctorum, videlicet *die 20. Januarii*. Unum pro S. Fabiano, alterum pro S. Sebastiano. *Die 3. Maii* Unum de Inventione S. Crucis, alterum de SS. Alexandro, Eventio, & Theodulo. *Die 28. Junii* Unum de S. Leone, aliud de Vigilia Apostolorum; & hæc dic *in libro Sacramentorum S. Gregorii*, edito *ab Hugone Menardo*, ante secundam Missam extat hæc nota: *Quando Apostolicus duas Missas celebrat una die, inter eas non lavat os, nisi post officium; sed absque intervallo, finita priore incipitur alia*, nimirum ut jejunus celebret; quod servabant semper alii Sacerdotes, quandocunque pluries in eadem die Sacrum faciebant. Sic etiam Papa in die Apostolorum bis olim celebrabat, semel in Basilica S. Petri, & iterum in Basilica S. Pauli, ut pariter testatur *Prudentius Hymn.* 12. *de Coronis*.

*Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas,*
*Lux in duobus fervet una festis.*
*Transtiberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos,*
*Mox huc recurrit, duplicatque Vota.*

4 Tres missæ pariter dicebantur in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & in die S. Laurentii, ut notat Emin. Card. Baron. *ad Martyrol. die 24. Junii*. Casalius *d. cap.* 9. *pag.* 71. *& in Notabilib. pag.* 399. & Emin. Card. Bona *d. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 7. *Vers. Postrema*, subdens bis in die solitum celebrari ab uno Sacerdote, si præter Missam de Sancto, litare oportebat pro aliqua necessitate, aut pro defuncto sepeliendo, juxta *text. in cap. Sacramenta Altaris. De Consecr. dist.* 1. à quo secunda Missa vetatur, si Sacerdos non sit jejunus, ergo à contra permissa erat, si jejunium nondum fregerat. Gloss. *in cap. Sufficit* 53. *Verb. & alteram. De consecr. dist.* 1. *Item alia Gloss. in cap. Consuluisti* 3. *in Verb. Necessitatis. De celebr. Missar.*

5 Cæterum, excepta solemnitate Natalis Domini, (de qua infra) hodie non licet celebrare Missam, nisi semel in die. *d. cap. sufficit. de consecr. dist.* 1. *cap. Consuluisti* 3. *& cap. Te referente* 12. *De celebr. Missar.*

*Missar.* in quibus juribus Verbum *Sufficit* stat taxativè ad unam Missam in die tantùm. Gloss *in cap. Statutum Vers. Communis*, & ibi Geminian. *De Rescript.* Abb. *in cap. fin. n. 3. De Sponsal.* Roman. *in l. Cum mater. §. soluto Matrim.* Et cum dicta Jura sint inserta in corpore Juris Canonici, habent vim legis obligandi, adeout si quis Sacerdos hisce temporibus bis, vel plures in die Missam celebraret (exceptis casibus necessitatis, quos referunt Card. Tolet. *in Summa lib. 2. cap. 3.* & alii apud Pasqualig. *De Sacrific. novae legis 6 à Quaest. 371.* qui tamen non sunt in usu) & peccaret mortaliter S. Thom. *3. par. quaest. 83. art. 2. ad prim.* Vasquez *disp. 233. cap. 5. num. 42.* Suarez *de Euchar. disp. 80. sect. 3.* Et esset graviter puniendus ab Episcopo poena arbitraria, sed gravi; attenta qualitate personae, notorietate scandali, vel avaritia delinquentis. Dina *in Pravi Crimin. cap. 35. num. 2.* Menoch. *de Arbitrar. cas. 407. num. 51.* Genuens. *in Pravi Neapol. cap. 64. num. 2.* Pignatell. *tom. 4. consult. 1.* ubi eruditè demonstrat, aliquando sufficere poenam pecuniariam; sed ut plurimum, cum haec Polylitatio committatur ob avaritiam, cum populi scandalo, & cum violatione duplicis Praecepti, videlicet de non bis celebrando, & de non assumendo Sacramentum per non jejunum, poena debet esse vel exilii cum poenitentiis salutaribus, vel carceris, vel etiam triremium, ut practicatum fuit hic Patavii anno 1660. dum ego officio Promotoris Fiscalis in hac Curia junior fungerer, contra Presbyterum advenam, qui celebraverat in Ecclesia Monialium S. Annae, deinde statim venit ad Ecclesiam Cathedralem, ubi eodem die iterum celebravit, & ab adstantibus accusatus, carceratus, confessus, & convictus, fuit per biennium ad triremes condemnatus ex doctrina *supradictor. DD. quam laudat* Pignatell. *d. consult. 1. qui num. 7. & 8. cum Thesaur. de Poenis Verbo Missa cap. 5. num. 4.* benè notat talem condemnatum effici infamem infamia Juris, cum omnis injuria contra Religionem sit delictum publicum. Jul. Clar. *§. fin. in prin. quaest. 1.* quod infamat, sequuta sententia condemnatoria. Angel. *in Summa Verb. Crimen quaest. 6.* Silvest. *eod. Verb. quaest. 3.* Sanchez *opusc. Moral. lib. 6. cap. 3. dub. 6. num. 14.* Et per consequens ita condemnatus efficitur irregularis ob infamiam, tum ex crimine contra Religionem, tum si celebrasset bis ob pecuniam, ex Simonia; adeout Episcopus non possit super tali irregularitate dispensare, ut contra Salzed. ad Diaz. *cap. 146. in fine* tenet Thesaur. *ubi supra.* Et Pignatell. *ibid. num. 8.* Qui ulterius notabiliter *num. 9.* advertit, Episcopum posse punire hujusmodi delinquentem, etiamsi esset Regularis vigore Decreti S. Concilii Trid. *sess. 22. de Observ. & evitan. in celebr. Missar.* Idcircò cum hoc anno 9 quidam Regularis exterus iter agens, bis in die celebrasset in hac Dioecesi Paravina in agris Attestinis, fuit captus à Villanis, & ductus in Carceribus Potestatis illius Terrae, qui scripsit ad Excelsum Consilium Decem Serenissimi Domini Venetiarum, & ab eodem Piissimo, & Supremo Magistratu fuit rescriptum, ut Reum transmitteret huic Curiae Episcopali puniendum, prout factum fuisset, si nocte antecedenti fractis Carceribus non effugisset. Neque est omittendum, quod hi delinquentes, cum sumant Corpus, & Sanguinem Domini secunda vice non jejuni, redduntur suspecti de haeresi, eò quia recentes haeretici docent, 10 consultius esse sumere Eucharistiam post susceptum cibum Chitrou *lib. 2. de offic. Miss. contra Luter. cap. 20.* ac proindè ob hujus haeresis suspicionem possunt etiam puniri ab Inquisitoribus fidei Alphons. de Leone *de offic. & pot. Confessar. rec. 22.* Trasmier *lib. 3. de Polygam. quaest. 2. n. 55.* & Pignatell. *d. tom. 4. consult. 1. n. 9.*

*Tertium* tandem praemittendum ad ornatum hujus casus est, quod in Solemnitate Natalis Domini Nostri JESU CHRISTI liceat cuilibet Sacerdoti ter celebrare; primò in media nocte, secundò in Aurora, & tertiò in die juxta morem universalem Ecclesiae, concedentis hanc trinam in die celebrationem Sacer- 11 dotibus, qui in nocte, auroravè non celebrarunt. *cap. Nocte sancta 48. de consecr.*

*fecrat. dist. 1.* Et hoc ob infrascripta Mysteria. *Primò* ad denotandam Redemptionem, (ad quam faciendam Filius Dei incarnatus, & natus est) illorum, qui fuerunt tempore legis naturæ per primam Missam in media nocte, repræsentativa spiritualium tenebrarum illius status tempore legis scriptæ, quæ aliquam Dei cognitionem majorem attulerat, expressam in Missa secunda, aurora splendente: & tempore legis gratiæ, in qua summam Dei notitiam habemus, significatam in Missa tertia, quæ canitur in die. Ita Glossa *in cit. cap. Nocte Sancta*, ubi ponit hos Versus

*Nocte prior, sub luce sequens, luce suprema.*
*Sub Noe, sub David, sub Cruce, Sacra isto.*

*Secundò* dicuntur tres Missæ propter tres Nativitates Christi, scilicet, Æternalem, Spiritualem, & Temporalem. S. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 2. ad 2.* Prima Missa significat Nativitatem, quam habet Filius Dei ab æterno; ideo Introitus incipit, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ubi ly *Hodie* importat Æternitatem, in qua omnia sunt Deo præsentia; & quia hæc nobis est obscura juxta illud *Generationem ejus quis enarrabit? Isai. 53. 8.* idcircò canitur in media nocte. Secunda Missa denotat Nativitatem Christi Spiritualem, quæ fit in cordibus nostris per illuminationem gratiæ divinæ juxta illud: *Et lucifer oriatur in cordibus vestris 1. Pet. 2. 20.* quare cantatur in Aurora, & incipit Introitus Missæ *Lux fulgebit hodie super nos.* Tertia Missa innuit ejus Nativitatem Temporalem, quæ manifestata est omnibus gentibus, ideò celebratur in die, hora tertia, & incipit Introitus Missæ: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* Cæterum Cardin. Toletus *d. lib. 2. cap. 3. num. 3.* ait, primam Missam in nocte potius significare Nativitatem Christi Temporalem; ideò in ea legi Evangelium partus Virginis, cujus *Impleti sunt dies, ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum. Luc. 2.* Tertiam verò Missam denotare Nativitatem Æternalem, ideircò in ea legi Evangelium S. Joannis *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et quia Missa secunda innuit Nativitatem Spiritualem legitur Evangelium, in quo Pastores, admoniti per Angelos, *Venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in Præsepio. Luc. 2.*

*Tertiò* alia Mysteria harum trium Missarum refert Durandus *in Ration. divin. offic. lib. 6. cap. 43. à num. 29. & seqq.* quem devotè adeant, & Quart. *in Rubr. Missal. part. 1. tit. 15. num. 4.* nec non Gloss. *in cit. cap. Consuluisti 3. De Celebr. Miss.* ubi hæc alia carmina

*Tres in Natali debent Missæ celebrari,*
*Quarum Prima Sacram Christi signat genituram,*
*Altera venturi designat gaudia Christi*
*Tertia jam factum, quod lex fore Sacra figurat.*

Et referuntur etiam à Macro *in Hierolexic. Verb. Missa Nativitatis Domini*, ubi eadem Mysteria recolit, & Gavant. *in Rubr. Missal. part. 4. tit. 3. num. 8.* qui *num. 5.* notat, quod celebraturus primam Missam in media nocte, debet esse jejunus ex quadam congruentia saltem per sex horas ante celebrationem, & *num. 6.* advertit, quod qui ex his tribus unam tantùm Missam vult celebrare, potest eam pro arbitrio eligere, melius tamen faciet tertiam celebrando, cujus oratio concordat cum officio. Demum & illud notandum, quod qui celebrat singulas tres Missas debet abstinere à purificatione sumenda in prima, & secunda, ne frangat jejunium. Gavant. *ibid.* Fideles autem non tenentur de præcepto audire ipsas tres Missas, sed unam tantùm. Nald. *in Verb. Miss. num. 10.* Sylvest. *eod. Verb. 2. num. 1. Vers. 7.* Barbos. *in cap. Consuluisti num. 4. De Celebr. Missar.*

12

13

His præcognitis deveniendo ad Resolutionem casus, dictum fuit ex communi opinione Doctorum, post celebratam primam Missam in media nocte Natalis Domini, licitum esse prosequi celebrationem Missarum, & communicare fideles adstantes. Diana *part. 10. tract. 12. resolut.*

14

*resolut.* 58 quæ reposita est in Coordinato *tom 2. tract 1 resol* 99. in qua allegat triginta sex auctores Theologos, & Canonistas ita sentientes, quibus addi possent Commentatores quatuor *in Rubr. Missal* videlicet Gavant *d. p 4. tit 3 num 6* Quartus *d part 1 tit 15 dub 7* Castaldus *lib 3 sect 2. cap.4 num 2.* & Bauldry *part.4 cap 2 num* 32. Et ultra prædictos etiam Arnaud *in Epitome Thesaur Sacr. Rit d part 4. tit 3 sub num 2.* & Volpi *in Verb Eucharistia resol 62. num 8 9.* & 10.

15 Porrò contrarium est resolvendum, non solum ex sententia Auctorum ita docentium, videlicet Ugolin. *de Potest. Episc. cap 16 numer 6* Navar *in Summa cap 25 num 87* Miranda *in Manuali Prælator part 1 quæst 40 art 8 concl* 2. Sylvest. Ang. Tabien. Arm *Verb Missa*, & alii relati à Diana *part 2. tract 14 resol 35* Sedente in Coordinato *tom 2. tract 1 resol 98* eam rationem allegantium, quod in prima Missa habetur in Canone *Communicantes*, & *Hanc Sacratissimam noctem celebrantes*. Sed etiam ex Auctoritate Sacræ Rituum Congregationis, quæ de hoc casu interrogata *die 20. Aprilis* 1641 & *die 7. Decembris ejusdem anni*, auditis Procuratoribus, & Advocatis Regularium asserentium licere, respondit, *non licere; & id esse prohibendum tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & communionem deposcentibus* Laniusca *in Theatr Regular Verb Missa* & Pignatell *tom 7 con-*

16 *sult* 25 ubi extensa sunt ejusdem S Congregationis Decreta, quæ habent vim legis, & obligationem inducunt in utroque foro Barbos *de Jure Eccl Univ. lib 1 cap 4. num 83* latè Fagnan. *in cap Quoniam De Constitutionib Idem* Pignatell. *tom. 2. consult 43 num.8.* & *tom 5. consult 5 num* 30. Adden *ad* Buratt *decis* 479. *num* 21 Quæ quidem doctrina habet locum circa qualcunque Emin. Cardinalium Congregationes, ut dixit Rota *in Meten Abbatiæ 19 Junii 1628 coram* Dunozet & Nicol *Lucubr Can. in Protin num* 13. Idcircò concludendum est, ut diximus, neutrum licere, ex his, quæ proponuntur in casu; quia omnia sunt prohibita Bissus *in Hierurgia Sacra litt M num.* 242. § 2. ubi subdit, quod Mendo in *Epitom Verb Eucharistia num.* 9. ait, *in Praxi hoc Decretum non observari, eò quòd fortè non sit sufficienter publicatum*, Sed videtur merum diffugium, quia circa publicationem, quamvis ea sit necessaria, ut lex obliget in omnibus Provinciis ex Soto *de Justit* & *Jur lib. 1 q 1 art.* 4. Angel *Verb lex num.* 13 & Navar *in Man cap 23 num* 44. nihilominus in legibus Pontificis, & Ecclesiasticis, qua-

17 lia sunt Decreta S. Rituum Congregationis, atque Concilii Tridentini, sufficit publicatio facta Romæ, quæ est Metropolis totius Reipublicæ Christianæ, in qua omnes ferè nationes mundi commorantur, & à quibus notitia Decretorum Papalium, & SS Congregationum ad suas regiones defertur. Baldell *de Legib. lib 5 disp 17 num.* 1 Suarez *de Legib lib 4. cap 15 num 3* Reginald *libr 13 num 155* & Bonacin. *disp 1 de Legibus quæst 1 punct.4. num 16 § Respondeo tertiò*. Et in specie de Declarationibus S. Congreg Emanuel *qq Regul. tom 1 quæst 21 art.* 1 & 2 Barbos. *de Jur Eccl Univ libr 1 cap 4. num.* 83 Quòd si diceret *Mendo supracitatus*, hanc declarationem S Congregationis non esse in usu, & contrarium à Sacerdotibus, & Parochis sæcularibus, ac Regularibus observari, adhuc replicabitur, non observantiam Decretorum, & Constitutionum Sum-

18 mi Pontificis non derogare validitati eorum, nisi sit cum scientia, & tolerantia ipsius Papæ Abb *in cap ult num 4 De Tregua*, & *pace* Felin *in cap 1 num 13 col. 111* Rota coram Cardin Cavalier *decis 77 num 3* & *decis 91 num 8* & 9 Fagnanus *in cap Monachi num.* 75 ubi plures DD. & decisiones Rotales cumulat, *De Statu Monachor Et in cap 1 d num 47 usque in finem de Tregua, & pace* Baldellus *d lib. 5 disput 18 num.* 5 Rota post Dianam Coordinatum *tom.8. decis 8* & *decis* 21 Et novissimè Emin Card de Luca *in Theatro Veritatis tract de Parochis discurs 22. num 6*

Potior objectio esset, tanquam magis juridica, adversus ipsa Decreta S. Congrega-

gregationis, quod non sint in forma authentica, cum sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, ideoque non esse eis credendum juxta S. Congregationis Concilii declarationem, jussu Urbani Octavi factam *die 2. Augusti 1631* de qua Barbos *d. lib. cap. 4. num. 83* & juxta ejusdem Sacræ Rituum Congregationis consimile Decretum *diei 11. Augusti 1632.* in quibus de mandato ejusdem Urbani Octavi statutum est, suis Declarationibus tàm circa Ritus, quàm circa Concilii Interpretationem, sivè impressis, sivè manuscriptis, nullam fidem adhibendam esse; tàm in judicio, quàm extra, nisi solis illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Emin. Cardin. Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Nicol. *in Lucubrat. Civil. tom. 1. lib. 1. tit. 10. num. 76.* quo loco subdit, ab *Innocentio Decimo die 30. Julii 1652.* statutum fuisse, *Declarationes Sacr. Congregationum exhibitas in supradicta forma probanti, habere vim legis, & ab omnibus, & singulis esse inviolabiliter observandas*, quod fieri desiderabat Diana *part. 5. tract. 2. resol. 96. in fine Et part. 11. tract. 8. resol. 53.* quarum prima locata est in Coordinato *tom. 6. tract. 1. resol. 22.* Secunda verò *ibid. resol. 24.*

Decreta autem prohibitoria casus nostri, relata tum à Lantusca, tum à Pignatello, sunt tenoris sequentis.

*Pisauren.*

*Patres Sancti Caroli, Congregationis Clericorum Regularium, petierunt responderi: An liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam, alias duas immediatè celebrare, & communicare fideles? Et Sacra Congregatio respondit, nullo modo licere, sed omninò prohiberi. Die 20. Aprilis 1641.*

Aliud

*Cum superioribus diebus consulta hac Sacra Rituum Congregatione, an esset permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini, post Missam decantatam, successivè alias duas Missas, & ut eis Sacram Communionem exhibere fidelibus, illam deposcentibus, & respondisset, non esse permittendum, sed omninò utrumque prohiberi. Nihilominus nonnulli Regulares, asserentes hoc licere, supplicarunt audiri. Et S. Congregatio ipsis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Emin. Talotti Ponentis in Decretis, & respondit iterum prohibendum tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & Communionem deposcentibus. Die 7. Decembris 1641. Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 9. Augusti 1653.*

*C. Episc. Hostien. Card. Medices Præfect.*
*Loco* ✠ *Sigilli*
*Bern. Roccius S. Rit. Cong. Secr.*
*In Regist. fol. 144.*

Hæc Decreta, à me reperta penes duos supra allegatos Auctores, satis me suasum faciunt, non esse apochripha, sed vera, & ideò eorumdem observantiam amplectendam censeo, tantò magis, quia eis etiam circumscriptis, opinio contraria caret ratione, siquidem ad celebrandas tres Missas, post mediam illius Sanctæ Noctis, opus est duplici dispensatione, una, ut quilibet Sacerdos possit ter celebrare, altera ut celebratio fiat tempore nocturno, utrumque enim est prohibitum de Jure communi, & de Universalis Ecclesiæ consuetudine *d. cap. Sufficit De Consecrat. dist. 1. cap. Consuluisti 3. & cap. Te referente 12. De celebrat. Missar. Concil. Trident. sess. 22. cap. Quanta, ibi, Caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent.* B. Pius V. *in sua Const. 4.* Et Rubricæ Missalis *tit. 15. num. 1. & num. 4.* ubi in specie præscribitur tempus celebrandi dictas tres Missas in Nativitate Domini, videlicet *Prima dicitur post mediam noctem; Secunda in aurora; Tertia verò in die.* Modo Thelesphorus Papa concessit privilegium singulis Sacerdotibus, & dispensavit, ut in Nativitate Domini celebrent tres Missas *cap. Nocte Sancta 48. de Consecr. d. 1.* Sed quia non dixit in textu, quod de nocte ipsæ tres Missæ possint celebrari, recurrendum est ad universalem consuetudinem, à qua Privilegium recipit interpretationem *cap. Quod dilecto De consanguin. & affinit.* Rota *part. 3. recent.*

*omn. decis.* 29. *num.* 2. Card. Mant *decis.* 320. *num.* 5. Porrò consuetudo universalis est, ut prima Missæ in nocte, Secunda autem in Aurora, servato silentio, & proscriptis celebrationibus, tempore nocturno percurrente inter has duas Missas. Ergo ab hac consuetudine interpretativa non est recedendum. *Probus ad Monachum in Rubr. de Privil. num.* 5. *lib.* 6. Neque relevat, si aliqui Regulares, vel alius Sacerdos contrarium observasset, quia cum eorum observantia sit difformis ab usu Ecclesiæ universali, non est attendenda; ex doctrina Bartoli *in l.* 2. *num.* 22. *ff. Solut. Matrim.* Rota coram Merlino *decis.* 99. *num.* 6. & Pignatell. *tom.* 6. *consil.* 98. *numer.* 70.

Præterquamquod, ut observat Emin. Cardin. Brancatius *in d. Dissert. De Privil. Capell. Cardinal. pag.* 7. & 8. semper fuit in usu petere facultatem à Summo Pontifice celebrare faciendi Missam nocturno tempore, & ante auroram, prout concessit Urbanus IV. Marchioni Misnensi Anno 1264. Bonifacius VIII. Catherinæ Imperatrici Constantinopolitanæ Anno 1301. Clemens V. Philippo Principi Tarentino Anno 1312. & Joannes XXII. Philippo Regi Franciæ Anno 1316. ut refert Odoricus Raynald *in suis Annalib.* Ex quibus bene infertur, non esse licitum de Jure communi celebrare Missam nocturno tempore, cum ad sic celebrandum opus sit Privilegio. Gloss. *in cap.* 1. *de Rescript.* Fagnanus *in cap. Pastoralis num.* 10. *De Appellation.*

Illud videtur laudandum, & concedendum, quod Parochi habentes ter, vel quatuor millia animarum, quibus danda est Sacra Communio in Solemnitate Natalis Domini, possint, post celebratam primam Missam in media nocte, audire confessiones virorum, eorumvè reconciliationes Sacramentales, & in aurora eos communicare, deinde orta luce confessiones mulierum excipere, quas non decet nocturno tempore, idest Prima Missa mediæ noctis completa, ad sedem confessionalem admittere, resistentibus Synodalibus nostris Patavinis Constitutionibus *part.* 2. *cap.* 14. *Vers. Fidelium confessiones in templo, non autem in privatis ædibus; Mulierum verò non ante solis ortum, non post occasum quis excipere præsumat.* Quod potuit esse motivum Sacræ Rituum Congregationis proscribendi doctrinam eorum, qui asserebant, licere ea nocte sancta continuò celebrare, & communicare fideles, ne scilicet daretur occasio alicujus scandali, detinendo mulieres in Ecclesia nocturno tempore, earumque confessiones excipiendo ante lucem; mulierum enim consortium semper est periculosum. *cap. Diffinimus.* 18. *q.* 2. *cap. Mulieres.* 2. *De Judiciis in* 6.

## DECISIONIS XIV.

### Ad Martii secundum Casum.

### ARGUMENTUM

Quæritur, an liceat communicare cum speciebus Vini consecrati moribundum, non valentem deglutire Sacram Hostiam? Ostenditur, in primitiva Ecclesia fuisse in usu communicare fideles sub utraque specie. Agitur de qualitate Calicum, qui adhibebantur in Missa, & pro Communione populi. Exponuntur industriæ Ecclesiasticorum veterum, ne effunderetur Sanguis Domini in communicandis laicis. Refertur, quomodo communio Calicis in desuetudine ierit; & quando fuerit prohibita laicis ab Ecclesia. Ex his negativè respondetur Casui proposito.

*SUMMARIUM.*

1 *Communio sub utraque specie olim dabatur fidelibus in Missa solemni tantum.*

*tium: extra verò sub sola specie panis*

2 *Patavina in Ecclesia Cathedrali ad Missam solemnem Episcopi fideles communicabantur sub utraque specie adhuc Sæculo duodecimo.*

3 *Calices olim lignei, deinde vitrei, marmorati, ærei, ex auricalco, & stanno*

4 *Virgilius Spada Præsbyter Congregationis Oratorii Romæ laudatus*

5 *Calices plures adhibiti in Cœna à Christo Domino*

6 *Diaconi in Missis solemnibus dispensabant Sanguinem fidelibus communicantibus.*

7 *Virga, seu fistula fideles sorbebant de Calice Sanguinem Domini*

8 *Communio cum pane intincto in Sanguine Domini dabatur*

9 *Communionem sacrati panis intincti in Sanguine dant Græci fidelibus etiam in hodiernum diem*

10 *Communio, quam Græci dant infirmis, quænam sit?*

11 *Moscoviæ, & Russi communionem recipiunt ex pane sacro intincto in Sanguine Christi*

12 *Communio sub utraque specie cæpit in desuetudinem ire ob frequentes effusiones cum irreverentia Sacramenti*

13 *Hussitæ hæretici dicebant Communionem sub utraque specie esse necessariam ad salutem*

14 *Joannes Hus Bohemus hæresiarcha anno 1407. à Concilio Constantiæ condemnatus, & igne combustus*

15 *Concilium Constantiæ anno 1415. confirmavit consuetudinem communicandi populum sub sola specie panis, & prohibuit communionem sub specie vini.*

16 *Infirmus non valens deglutire particulam, non est communicandus sub specie vini*

17 *Communio sub specie vini prohibita ob tres causas*

18 *Infirmo non valente particulam consecratam deglutire, potest illa ei dari simul cum pauca aqua, aut pauco vino.*

19 *Communio est de Præcepto Divino facienda saltem semel in vita. Quo verò ad tempus Paschale, & pro Viatico tempore mortis, est de præcepto Ecclesiæ*

## SECUNDUS CASUS.

M*Onialis tantis ulceribus sauciatum guttur habet, ut solùm liquida possit deglutire. Febris acuta indicat vicinam mortem. Quæritur, an sub speciebus Vini consecrati sit communicanda?*

Pro resolutione casus præmittenda sunt tria

*Primum*, quod in primitiva Ecclesia, (ut dictum est supra de laicali Communione in secundo Casu Mensis Februarii) omnes fideles tàm Clerici, quàm Laici recipiebant Sacram Eucharistiam sub utraque specie, quando communicabantur in Missa solemni, nam si extra Missam communicari volebant, vel in domibus privatis ob ægritudinem, sub specie tantùm panis Sacra Communio impertiebatur. Emin. Card. Bona *dict. lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 18. num. 1.* & Casalius *de Veterib. Sacris Christian. ritib. cap. 11. in princ.* ubi allegat S. Gregor. *Homil. 22. in Evangel.* sic dicentem ad populum Romanum in mystica explicatione illorum Verborum *Exodi 12. 7. Sument de sanguine Agni &c.* Videlicet *Quid namque sit Sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis.* Bibebant enim & ipsi laici de Calice Sanguinem consecratum in Missa. Hoc idem probat supradictus liber antiquus Ecclesiæ Cathedralis Paduanæ pag. 100. ubi agitur de Missa solemni Episcopi, in cujus fine dicitur, quod dabatur Corpus Christi viris, & mulieribus, qui etiam sumebant de Calice Sanguinem Christi cum quadam vitrea virga. Ad hunc effectum formabantur Calices vastiores, idest summæ magnitudinis. Et dicebantur *Calices Ministrales*, ut notatur à Macro *in Hierolexic. eod. Verb.* quorum unus extat in Thesauro Ducalis Ecclesiæ Sancti Marci Venetiarum, quem ego vidi, & continere mediam situlam vini. Materia autem Calicum antiquitùs erat lignea *cap. Vasa*

44. *de Consecrat. dist.* 1 ubi illa non ignoranda verba: *Quondam Sacerdotes aurei* 3 *ligneis Calicibus utebantur; nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus*. Sed quia bibuli imbuebantur sacro Sanguine, in vitreos mutati fuerunt à S. Zepherino Papa, ut ex S. Hieronymo ad Rusticum, & ex S. Gregorio Turonensi *de Gloria Martyr. cap.* 16 tradit idem Casalius *dict. cap.* 11 *in princ.* & Macer in *Verb. Calix col.* 2. subdens *col.* 3 *Ex quibus mihi unum videre contigit, quem eximia veneratione penes se Virgilius Spada Innocentii X Eleemosynarius, adservabat, cui duæ ex eadem materia collaterales ansæ adjunctæ erant, juxta vetustum morem*.

4 Fuit prædictus Virgilius Spada frater germanus Emin. Jo. Baptistæ Cardinalis Spadæ, & Præsbyter Congregationis Oratorii S. Philippi Neri in Alma Urbe, pietate, ac virtutibus insignis, benemeritus ob complementum fabricæ Ecclesiæ S. Mariæ in Vallicella, cujus testudinem auro, & eximiis pictutis exornavit, ut testatus est mihi Pater Leander Colloredus anno 1667 nunc S. R. E. Cardinalis amplissimus. Porrò cum nimis essent fragiles è Vitro Calices, fuerunt prohibiti *cap. Ut Calix* 45 *ead. dist.* 1 *de consecr.* & loco eorum successere Calices marmorei, ærei, & ex aurichalco. Casalius *d. cap.* 11 & Macer *d. Verb. Calix col.* 4. At prosecipti, & hi fuerunt ob æruginem, & nauseosum gustum, atque odorem, & concessus Calix ex stamno *d. cap. Cum Calix*. Siquidem, stamnum dictum ænei vasis saporem gratiosiorem facit, & compescit æruginis vitus, ut disserit Plinius *lib.* 24. *cap.* 17. Hæc tamen stamnei Calicis concessio deserviebat pro pauperibus Ecclesiis, nam S. Urbanus Papa, & Martyr omnia Sacra ministeria fecerat argentea anno 226 immò temporibus S. Laurentii Martyris vasa sacra erant aurea, ut constat ex S. Ambros. *lib.* 2. *cap.* 48 & ex S. Prudent. *in Hymn.* 8 *S. Lauren.* anno scilicet Domini 142 temporibus quoque S. Augustini Calices erant aurei, & argentei, ut *ex eod. lib.* 3. *contra Crescon. Gramm. cap.* 29. quibus inhiabant Donatistæ sacrilega prophanatione, teste Optato Milevitan. *lib.* 6 *contra Donatistas*. Hinc refert Amalarius à B. Remigio donatum fuisse Ecclesiæ suæ *Calicem ministralem*, cui inscripsit hos versus

*Hauriat hinc populus vitam de sanguine Sacro*
*Injecto, æternus quem fudit vulnere Christus,*
*Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.*

Calicem, quo in ultima Cœna Christus Dominus consecraverat, argenteum fuisse, notat Emin. Card. Baronius *ann.* 34. & Bedæ temporibus, idest post *ann.* 700. Ipse Calix Hierosolymis ostendebatur, ut ipsemet testatur *lib. de loc. Sanct. cap.* 2. Valentiæ verò Hispaniæ alium Dominicum Calicem Achatæ lapidis conservari affirmat Carthagena *Hom.* 28

5 forsan quia plures in Sacra Cœna contactu, & dispensatione Sanguinis Salvatoris nostri consecrati fuere, ut arbitratur Macer in *Hierolex. d. Verb. Calix col.* 5 Barad. *in concord. Evangel. tom.* 4 *lib.* 2. *cap.* 11. Victorell. *in addit. ad Aphorism.* Emanuelis Sà *Verb. Calix*. Ex Menoch. *in Stromat. centur.* 6 *cap.* 38. & 39 ubi ad probandum etiam in primitiva Ecclesia fuisse usitatos Calices aureos, & argenteos in sacrosancto Missæ sacrificio, refert hæc carmina ejusdem Aurelii Prudentii Poetæ Christiani, qui floruit in fine Quarti sæculi.

*Libent ut auro Antistites,*
*Argenteis scyphis ferunt*
*Fumare sacrum Sanguinem,*
*Auroque nocturnis sacris*
*Adstare fixos cereos*

6 Secundum Præmissum. Munus dispensandi Sanguinem Christi fidelibus, communicantibus in Missarum solemniis, erat Diaconorum, juxta illud, quod S. Ambros. *lib.* 1 *Officior. cap.* 41. scribit in persona S. Laurentii loquentis ad summum, sanctumque Sixtum Antistitem. *Num degenerem me probasti? Experire certè utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem*. Idem probat prædictus liber vetustus Ecclesiæ Paduanæ pag. 100 ibi *Diaconus in sinistra parte Altaris tenens Calicem cum Sanguine Christi confert omnibus sumere volentibus cum*

quadam

*quadam vitrea Virga.* Et quia ob multitudinem populi, inevitabiles erant effusiones sacri Sanguinis, diversæ fuerunt industriæ ad eas impediendas. *Una* fuit, ut Sanguinem consecratum biberent, non per appositionem labiorum ad Calicem, sed fistula, seu calamo illum è Calice sugendo, ut diximus supra in secundo casu Mensis Februarii circa Papalem communionem, ubi notavimus, quod prædicta fistula vocabatur Siphon, de qua ait Anastasius Bibliothecarius, & Abbas Romanus, qui floruit anno 858. *Obtulit Calicem minorem fundatum cum Siphone pensantem libras triginta*, ut refert Macer *in Hierolex. Verb. Siphon*, subdens hæc verba: *Etiam Laici, quando antiquitus sub utraque specie recipiebant Sacramentum, per hanc fistulam sanguinem sorbebant.* Quod est conforme memoriæ hujus rei registratæ in antedicto libro ordinis Officiorum Ecclesiæ Paduanæ. Immò ipsi fistula erat alicubi inserta, & affixa eidem Calici immobiliter, scribente Lindano *in Panop. Evangel. lib. 4. cap. 46. Quia sanguinis effusio propter incultiores populi rusticitatem meritò timebatur, Calicibus canna est ferruminata, affabreque inserta.* Alia testimonia ejusdem *Siphonis*, seu calami, vel fistulæ, quæ etiam *Canna* dicebatur, allegant idem Macer *dict. Verb. Siphon* & Casalius *de Veterib. Sacr. Christ. Ritib. dict. cap.* 11. quos legisse non pœnitebit antiquitatis studiosos. *Altera* fuit industria porrigere Eucharistiam intinctam in ipso Dominico Sanguine; cum parvo cochleari, frangebatur enim in frustula panis consecratus, (olim enim non erat in usu panis tenuissimus, quem nos appellamus hostias, seu particulas. Emin. Card. Bona *d. lib. 2. cap. 18. sub n. 3.*) & comminutus in minutulas particulas, (quas Græci μαργαρίτας idest Margaritas vocabant. Macer *in Hierolex. eod. Verb.*) ponebantur in Calice sacri liquoris pleno; & easdem particulas Divino Sanguine perfusas Sacerdos parvo cochleari extrahebat, singulis singulas præbens, quas omnis populus ore excipiebat. Hunc morem communicandi sub utraque specie in Ecclesia Occidentali, & Latina extitisse legimus *in cap. Cum omne crimen 7. de consecr. dist. 2.* & quamvis videatur ibi prohibitus, nihilominus viguisse testantur *Micrologus*, qui vixit anno 1077. tempore Gregorii VII. *in cap.* 10. Et Ivo Carnotensis Episcopus, qui floruit anno 1088. tempore Urbani II. *in 2. part. cap. 11. & 85.* Et de eadem communione, cum pane intincto in Sanguine Christi, in antiquis consuetudinibus Monasterii Cluniacensis *lib. 2. cap. 30. tom. 4. Spicileg.*, dicitur, *eam permitti propter novitios, & alios rudes, qui si Sanguinem separatim acciperent, vix fieri posset, quin aliquam negligentiam incurrerent.* In Anglia pariter adeo erat propagatus usus intinctæ communionis, ut eum prolixè defenderit Ernulfus Roffensis Episcopus *in Epist. ad Lambertum d. Spicileg. tom. 2.*

In Ecclesia autem Orientali mos intinctæ Synaxis & usitatior, & antiquior fuit, itaut suspicetur Arcudius *de concordia Eccles. Orien. & Occident. lib. 3. cap.* 53. tempore S. Joannis Chrysostomi originem habuisse ex facto cujusdam mulieris Macedonianæ, quæ se Catholicam simulans, de manu ejusdem Sancti Eucharistiam suscepit, quam ancillæ occultè dedit, & panem non consecratum ab eadem acceptum ori imposuit, qui in lapidem versus est. Quidquid sit de origine moris prædicti apud Græcos, eos hanc consuetudinem, sibi à majoribus suis traditam, populum communicandi sub utraque specie, non seorsum, sed simul mixta, servare usque in hodiernum diem profitetur Emin. Card. Bona *rer. liturgic. d. lib. 2. cap. 18. num. 3.* Immò ipsi Græci feria quinta majoris hebdomadæ panem recentem solito majorem præparant, & consecrant, servandum toto anno pro communionem infirmorum; quem panem ita consecratum Sanguine Christi leviter humectant, tum sacro disco ignem subjicientes illum exsiccant, & indurescere faciunt, ne per totum annum corruptioni subjaceat. Cum autem contingat communicare ægrotum, particulam dicti panis consecrati, & Christi sanguine jam delibuti tollunt, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emol-

at emollescat, eaque sic emollita communicant infirmum, ut diffusè scribit Leo Allatius *Epist. 2. ad Nihusium in suis Symmictis lib. 1.* & refert laudatus Cardin. Bona *d. lib. 2. cap. 18. num. 2.* Porrò talem consuetudinem improbat Innocent. IV. *in cit. Constit. 14. Incipien. Sub Catholicæ*, quam ponit etiam Quaranta *in Summ. Bullar. Verb. Græcorum Ritus pag. mihi 349.* in qua præcipitur, Eucharistiam pro ægrotis renovari per singulos quindecim dies ab iisdem Græcis, quorum consimilem ritum insectatur etiam Humbertus Card. Sylvæ Candidæ *in libr. advers. calumn. Græcor.* posito *in Biblioth. Patrum tom. 11.* Porrò etiam his temporibus apud Russios, seu Moscovitas vigere consuetudinem communicandi populum, dando unicuique panem consecratum intinctum, & perfusum Sanguine Christi, illum porrigendo in cochleari ad evitandum periculum effusionis, testantur Henriquez *lib. 8. Euchar. cap. 44. num. 7.* & Petr. Comestor *in Hist. Eccl. cap. 151.* quos citat Diana *par. 8. tract. 1. resol. 25.* Quæ est in Coordinato Opere *tom. 3. tract. 1. resol. 30.*

*Tertium* tandem præmissum. Cum minimè sufficientes forent hæ industriæ ad impediendas frequentes irreverentias in Communione populi sub utraque specie, ob effusiones Dominici Sanguinis, quæ contingebant ex Ministrorum Ecclesiæ, & rudium fidelium incuria, sivè cum Calicem propinandum porrigebant, sivè cum siphone ad sugendum, sivè etiam cum intinctam Eucharistiam in cochleari dabant, præter prohibitionem intinctæ communionis, de qua *in cit. cap. Cum omne crimen 7. de Consecr. dist. 2.* Concilii Claramontani *Anno 1095.* de quo Cabassutius *in Notitia Concil. pag. 394. can. 28.* Paschalis Papæ II. de qua Eminen. Cardin. Baronius *ann. 1118. num. 2.* Et Concilii Anglicani sub Richardo Archiepiscopo Cantuariensi *Anno 1175.*

12 *cap. 15.* paulatim cœpit in desuetudinem ire Calicis communio in Ecclesia Latina, Prælatis ubique nitentibus, populum sub unica tantùm specie panis communicari, tum ad tollendos abusus in usu Calicis inevitabiles, illum minus cauti, seu attenti de manu alterius recipiendo; tum ad eliminandum errorem, saltem in rudioribus, opinantibus sub specie panis consecrati non contineri Sanguinem Domini, cujus causa Rodulphus Abbas S. Trudonis, qui vivebat *Anno 1110.* removeri à Laicis Calicem suasit his versibus.

*Hic, & ibi cautela fiat, ne Præsbyter ægris,*
*Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi.*
*Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,*
*Quod non sub specie sit totus JESUS utraque.*

Igitur cum ferè ubique esset introducta consuetudo communicandi Laicos sub sola specie panis, insurrexerunt Hussitæ hæretici, (ita nominati ab eorum Auctore Joanne Huss,) asserentes communionem

13 sub utraque specie esse toti populo ad æternam salutem necessariam, quapropter convocato generali Constantiæ Concilio *Anno 1415.* (ad quod citatus personaliter accessit hæresiarca Joannes Huss Sacerdos Bohemus, qui cœperat inficere Ecclesiam suo hæreseon veneno, *Anno* circiter 1407. teste Salellio *lib. 3. cap. 17. Regul. 285.* convictusque de erroribus, & in eis pertinax existens, fuit condemnatus, degradatus,

14 & traditus brachio sæculari, & per illud vivus igne combustus; cujus quidem hæresiarchæ condemnationis sententiam ex Bzovio *Anno 1415. fol. 425.* transcribit Salell. *in cit. regul. 285. à num. 34.*) & inter cæteros Hussitarum errores cum fuisset proscriptus & ille, *Impium invenitur, & Evangelio contradicens esse communionem in solo pane, excluso Calice*; tandem Concilium Constantiense prædictum *sess. 13.*

15 *definivit: Receptam dudum consuetudinem communicandi populum sub sola Panis specie sic approbat Synodus Constantiensis, ut aliter fieri sub Excommunicatione vetet.* Et hoc Decretum, ad compescendos Lutheranos, & Calvinistas, eumdem errorem de communione sub utraque specie suscitantes, confirmavit Concilium Tridenti *sess. 21. cap. 1. & 2.* & subinde *can. 1. & 2.* in quibus Anathemate percutitur, *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessita-*

*cessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere* Vel *Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse.* Objectiones Novatorum contra hæc Conciliaria Decreta, & earum solutiones ponunt Scholastici, & eruditè quidem Leonard. Lessius *in Opere Posthumo quæst 80 De Sacram. Eucharist art* 12. *dub* 1 Gonetus *tom* 5 *de Euchar disp* 9 *art* 3 Eminen Card. de Laurea *in* 4. *sent tom* 1. *disp* 25 *art.* 5 & novissimè P Richardus Arsdekin. *in suo Theol Tripartitæ tom* 1. *tract* 2. *cap* 5 *à num* 5 *& seqq* nec non Agudius *De Sacram. Euchar. par.* 4. *cap.* 6 *num* 14. *&* 15

His ita enucleatis respondendo casui proposito, *An sub specie Vini sit communicanda Monialis in articulo mortis, cum non posset deglutire particulam?* ferè omnes dixere, non esse sub specie Vini consecrati communicandam; ut docent Fagundez, Pitigianus, Suarez, Mercerus, & Sylvius, quos allegat Diana *par* 5 *tract* 3 *res* 34 reposita in Coordinato *tom* 2. *tract* 2. *resol.* 98 Quibus ego adiungo Pacem Jordanum *tom.* 1 *lib* 3 *tit* 3 *num* 34. Gobatum *in Theolog. Experim. tract* 4. *n* 27 Barbosam *de Parocho cap* 20. *num.* 44. & Emin Card. de Lugo *in Respons. Moralib. lib* 1 *dub* 10. *num* 8 Horum ratio est, quia Sacramentum Eucharistiæ non est simpliciter necessarium ad salutem, & non obligat nisi cum debitis circumstantiis, præscriptis ab Ecclesia, quarum una est, ut administretur laicis, & Clericis non conficienti- 17 bus sub specie panis tantùm, ad reprimendam hæresim eorum, qui negant contineri Sanguinem Christi sub specie panis; nec non errorem illorum, qui asserebant, esse præceptum Christi de communicando sub utraque specie; ac etiam ad evitandum periculum effusionis idcircò convenit Catholico Populo Ecclesiæ mandatis obedire, & Decretis Conciliaribus parere ob tàm relevantia motiva Nonnulli contrarium scripserunt, sequuti Petrum Ochagaviam *de Sacram. tract* 2. *De Euchar effect quæst* 18 *num* 9 & Nugnum *in* 3 *part. tom* 1 *quæst* 80 *art* 12. *conclus.* 3 putantes dictam infirmam esse communicandam sub specie vini consecrati, ex ratione, quia supponunt, Communionem in articulo mortis esse de Præcepto Divino, cui cedere debet præceptum Ecclesiasticum de abstinendo à speciebus vini, prout cedit illud de Jejunio. Cæterum, cum non conveniant, sed dissentiant Theologi, an Viaticum sit sumendum in articulo mortis ex Præcepto Divino, negant enim Cajetan. *in Summa Verb. Communio.* Armilla *eod. Verbo num* 4. Sylvest *Verb. Eucharistia* 3 Ledesma 1 *par* 4. *quæst* 21 *art* 11 *dub* 2. & Eminen Card de Laurea *d. disp* 25 *num* 38 *& num.* 47 Quamvis affirment Suarez *disp* 69. *sect.* 3. Vasquez *disp* 214. *cap* 2 *&* 3 Sotus *in* 4 *dist* 12. *quæst* 1 *art.* 11. & alii, quos allegat, & sequitur Collegium Salmanticen *in Cursu Theologiæ Moralis tom* 1 *tract* 4 *cap* 8 *num* 4. Tutius est adhaerendum opinioni negativæ, & dicendum, infirmam prædictam non esse sub speciebus vini communicandam, sed juxta monitionem Pacis Jordani *d. lib* 3 18 *tit* 3 *num* 34. ei præbendam fore particulam Hostiæ consecratæ immixtam aqua, vel vino ordinario, ut eam sic possit deglutire, cum enim sit adeò tenuis, & modicæ quantitatis particula consecrata, vel etiam dimidium, aut quadrans unius particulæ, (quod quidem sufficit ad communionem prædictam) si porrigatur, ut absorbeat eam cum aqua, vinové ordinario, recipiet Sacramentum sine offensione legis prohibitoriæ speciei Vini consecrati, quam ob gravia motiva sub Anathematè Ecclesia condidit, & quæ æstimatur pluris lege jejunii, siquidem super præcepto jejunii expresse dispensat Ecclesia pro dando Viatico in articulo mortis, ut omnibus patet, sed non dispensat super prohibitione speciei vini. Ex his penitùs reprobatum esse debet consilium illius Theologi, de quo Gobat *d. tract* 4. *num* 28. & Bissus *in Hierurgia Sacra tom.* 1. *Litt L num.* 119 §. 7 qui Bissus, & Gobat etsi docti, & eruditi, tamen in resolutione

tione hujus casus modò asserunt, & modò negant, & Lectorem studiosum sinunt ancipitem. Igitur ratio opinionis negativæ est quia sumere Eucharistiam est de Præcepto Divino, quo ad obligationem sumendi illam, saltem semel in vita. Quo verò ad plures vices communicandi, & sic quoad tempus illam sumendi, sivè semel in anno, sivè tempore mortis, est de Præcepto Ecclesiæ, ad quam spectat declarare, quando fideles debeant communicare, prout declaravit eos obligatos semel in anno tempore Paschali, *cap. Omnis utriusque sexus De Pœniten. & Remiss.* & in articulo mortis, *cap. De his 9. 26. q. 6.* ut demonstrabimus infra in primo Casu mensis Septembris ex doctrina Eminen. Card. de Lauræa *d. disp. 25. art. 2. & art. 3.* ubi expressè probat, Communionem in articulo mortis esse de Præcepto Ecclesiæ, non autem de Præcepto Divino.

## DECISIONIS XV.

Ad Martii Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM

Examinatur, an aliquæ personæ devotæ sint communicandæ in die Sabbati Sancti post Missam? Rationes pro, & contra referuntur. Plures traditiones dantur circa Missam Sabbati Sancti, quæ olim de nocte celebrabatur. Resolvitur casus sub distinctione.

### SUMMARIUM

1 *Sabbato Sancto laicis non infirmis non est danda Communio? & quibus rationibus? num. 4.*
2 *Communio in Missa Sabbati Sancti cur non dicatur?*
3 *Laici soni possunt communicari in Sabbato Sancto.*
5 *Exceptio in uno casu firmat Regulam in contrario.*
6 *Inclusio unius est exclusio alterius.*
7 *Sabbati Sancti Missa olim dicebatur à solo Episcopo, & de nocte.*
8 *Consuetudo universalis habet vim legis.*
9 *Concessum dicitur, quidquid expressè prohibitum non reperitur.*
10 *Sabbato Sancto possunt Sacerdotes Missam privatim celebrare secundum aliquot DD.*
11 *Cap. Sabbato. De cons. dist. 3. censetur abrogatum.*
12 *Feria sexta Parasceves nullus laicus sanus est communicandus.*
13 *Hebræi vigilabant in nocte ante diem Paschæ.*
14 *Sabbato Sancto an Missa cantaretur in principio noctis, an media nocte?*
15 *Christiani antiquitùs communicabantur in nocte Sabbati Sancti ad Missam.*
16 *Communio Antiphona est signum lætitiæ.*
17 *Christus Dominus qua hora resurrexerit?*
18 *Consuetudo est in pluribus Ecclesiis communicandi fideles Sabbato Sancto.*
19 *Consuetudo particularis præfertur generali.*
20 *Consuetudo negativa in facultativis non præjudicat.*
21 *Favores sunt amphandi.*
22 *Devotio est actus Religionis.*

### CASUS PRUDENTIALIS

*Mos est in nonnullis Ecclesiis, in quibus devotio circa Eucharistiæ frequentem sumptionem colitur, ut Sabbato Sancto, completa illius diei solemni Missa, accedant devotæ personæ sibi Communionem recepturæ. Quæritur à Prudentio Parochorum, Utrùm sint communicandæ?*

1 Alii responderunt Negativè cum Gavanto *in Rubric. Missal. par. 4. tit. 10. n. 38. & 46.* Cotonio *lib. 2. controvers. 4. n. 174.* Volpi *res. 62. num. 2.* Azorio *tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæs. 3. & 4.* Arnaudo *in Epitom. Sacr. Rit. par. 4. tit. 10. num. 29.* Francolino *de horis Canon. cap. 30. num. 12.* Marchino *de Sacram. Ordinis tract. 3. par. 3. cap. 8. n. 3.* Et novissimè cum Macro *in Hierolexic.*

Verb.

*Verb. Communio*, ubi ait: *In Missa Sabbati Sancti hæc Antiphona (Communio) ideò non dicitur, quia communio populi non fit. Itaque abusus etiam censendus est illorum, qui communionem concedunt in hac die.*

2

3

Alii verò responderunt affirmativè cum Bauldry *in Manuale Sacror. Cæremonar. par. 4. cap. 11. art. 5. num. 15.* Quintanadven. *tract. 4. Singular 6.* Castaldo *in Praxi Cæremonar. lib. 3. sect. 8. cap. 5. num. 14.* Qui in puncto concedunt, posse laicos communicari, completa Missa solemni in die Sabbati Sancti; & cum sequentibus etiam Theologis (idem asserentibus non benè in die Veneris Sancti) videlicet Quarto *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. difficul. 3. in fine.* Pellizzar. *in Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 108.* Tamburin. *de Expedit. Commun. cap. 6. n. 4.* Victoreli in addit. ad Possevin. *de offic. Curat. cap. 8.* Joannes Sanci *in Selectis disp. 22. num. 20.* Diana *par. 6. tract. 6. resol. 29. & par. 9. tract. 7. res. 24.* Quarum hæc ultima est *in tom. 2. Coordinato tract. 2. resol. 46.* Prior verò *in tom. 8. tract. 4. resol. 46.* & utrobique plurimos Moralistas idem docentes allegat, quibus novissimè adhæret Collegium Salmanticen. *in Cursu Theolog. Moral. tom. 1. De Sacram. in genere tract. 5. cap. 4. n. 5.*

4

Rationes opinionis negativæ sunt. Primò *ob cap. Sabbato 13. de Consecrat. dist. 3.* ubi Innocentius Papa I. ait; *Utique constat Apostolos biduo isto (* Veneris, & Sabbati Sancti *) & in mærore fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse.* Et ideò subdit: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Secundò, Verba rubea Missalis feria quinta Majoris hebdomadæ, statim ante Communionem, hujusce modi tenoris: *Hodie Sacerdos consecrat duas hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis.* Ergo qui non est in statu infirmitatis mortalis, non est communicandus in hoc biduo, nam exceptio in uno casu firmat Regulam in contrario. *l. Quæsitum, §. Denique, ff. de Fundo instruct.* Gloss. *in Rubric. de Reg. Jur. in 6.*

5

Barbos. *Axiom. 85. num. 4.* Et si Rubrica Missalis includit infirmos in reservatione particularum consecratarum, excludit sanos; siquidem inclusio unius est exclusio alterius, *cap. Qualis 25. dist. l. Cum Prætor ff. De Judic.* Thomasett. *ad Flor. legum Regul. 159.* Barbosa *in locis Commun. loco 55. ubi DD.* Tertiò quia respondit S. Rituum Congregatio *die 9. Maii 1606.* servandam esse universalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem, non ministrandi Eucharistiam in die Veneris Sancti, nisi infirmis. Ita Gavant. *par. 4. Rubr. Missal. tit. 9. num. 25.* Et iterum idem præcepit *die 19. Februar. 1622.* teste Barbosa *de Paroch. cap. 20. num. 16.* Quartò, quia Missa solemnis quæ celebratur Sabbato Sancto, non est Missa diei illius, sed noctis sequentis, in qua Episcopi tantùm litabant in memoriam Resurrectionis Dominicæ, ideoque in oratione dicitur: *Deus, Qui hanc Sacratissimam noctem.* Et idem repetitur in Præfatione, dicendo: *Te quidem Domine in omni tempore, sed in hac potissimum nocte.* Nec non infra actionem *Communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes.* At in eadem missa noctis nullus præter Sacrificantem Præsulem admittebatur ad Communionem, & hac de causa, statim assumpto Sacramento cantantur Vesperæ, & omittitur antiphona *Communio*, quæ in aliis Missis dicitur, scilicet, quia non administrabatur Sacramentum adstantibus eidem Missæ ut notavimus supra ex mente Macri *in Hierolexic. d. Verb. Communio.* Quintò, quia consuetudo universalis est non communicandi populum in Sabbato Sancto, quæ vim legis censetur habere. *cap. fin. de Consuetud. cap. Consuetudo dist. 1. l. De quibus ff. de legib.* Barbosa *Axiom. 56. num. 4.* Eo magis quia innititur rationi, & æquitati, quæ vult, abstinere à lætitia convivii, durante mœrore Passionis Christi, & mæstitia Apostolorum, utriusque enim repræsentatio durat usque ad diem Dominicæ Resurrectionis. Volpi *dict. resol. 62. num. 6.*

6

7

8

Rationes verò eorum, qui adhærent affirmativæ opinioni, sunt. Primò, quia cum Ecclesia numquam prohibuerit communicari aliquos fideles devotos

M in die

in die Sabbati Sancti, censetur permittere, juxta Juris regulam, *Concessum dicitur, quidquid expressè prohibitum non reperitur. l. Nec non §. quod ejus, ff. Ex quib. causis major.* Barbos. *Axiom. 46 num 1.* Et quod non reperitur à lege vetitum, non debet superstitiosis prætensionibus præsum prohibitum *cap 2. De transact.* Caldern *cons. 52. alias 6. De elect.* Barbos. *Axiom. 178 num. 2.* Secundò, quia anticipatio in celebrando mysterio Resurrectionis Dominicæ sicut concedit Sacerdotibus celebrare Missam in Sabbato Sancto, saltem privatim ex magis communi Moralistarum opinione, de qua Emin. Card. de Lugo *De Sacramento Euchar. disp. 20. à num. 18. & seqq.* ità debet prodesse devotis fidelibus, ut possint eodem die Sabbati Sancti sacram suscipere Eucharistiam. Optat enim Sancta Mater Ecclesia, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent. Concil. Trid. *De Sacrific. Missæ sess. 22. cap 6.* Tertiò quia in pluribus Provinciis usus inolevit, ut in die Sabbati Sancti, completa Missa solemni, accedant personæ piè viventes, & specialem devotionem erga Venerabile Sacramentum Altaris profitentes, ad sacram Communionem recipiendam ex suorum Confessariorum consilio, à quibus communicantur, ut de Hispania, Germania, & Italia, testantur Sancius, Quintanadven. & alii pro hac opinione à Diana *citatis in dd. resol. 46.*

Ad argumenta verò, seu rationes contrarias respondent. *Ad Primum.* Quod *in cap. Sabbato de cons. dist. 3.* prohibentur celebrari Sacramenta, non administrari. Immò cum textus ille abrogatus sit etiam quo ad celebrationem in die Sabbati Sancti, eò minus obesse potest administrationi Eucharistiæ, post completam Missam. *Ad Secundum*: quod Verba Missalis nominant infirmos, tanquam motivum principale reservandi Eucharistiam, sed non excludit sanos, præcipuè in die Sabbati Sancti; in quo conceditur, his temporibus, consecrare. Et exceptio in uno Casu firmat regulam in contrarium, quando expressè sic declaravit faciens Regulam. Barbos. *dict. Axiom. 85. num. 5.* Et inclusio unius non est exclusio alterius, quando alia dispositione alter est inclusus. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 39. num. 32. Ad Tertium.* Decreta S. Rituum Congregationis loqui de Communione in die Veneris Sancti tantùm, & iisdem promptè parent fideles apud nos, quia nullus, extra periculum mortis, communicat in die Veneris Sancti, & meritò tum ob mysterium mœroris ex Passione Christi, tum ob debitam obedientiam eidem Sacræ Congregationi, cujus Decreta vim legis habent. Coton *lib. 3 controv. 3 n. 45.* neque sunt approbandi Doctores adhuc asserentes, posse administrari Communionem in die Parasceve etiam sanis, cum contrarium bis declaraverit Sacra Rituum Congregatio, cui tandem se submisit Diana *in dict. tom. 2. tract. 2. resol. 46 num. 2. in fine*, ibi, *Verùm, suppositis dictis Declarationibus, ego nunc existimo in feria sexta Parasceve non esse administrandam Eucharistiam, nisi infirmis.* Respondetur *ad Quartum*, Missam Sabbati Sancti olim de nocte solummodò cantari consuevisse, non autem de die. Nam etiam Hebræi vigilabant in nocte ante primum diem Paschæ Azymorum, quæ Nox appellabatur ליל שמורים *Lel Scimurim*, idest *Nox Vigiliarum*, teste Julio Mauroceno *in ejs Opere Via della Fede par. 2. cap. 31.* in principio. Incertum est autem an pro ea cantanda expectaretur medium noctis, vel ipsius noctis initium: siquidem Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 21. sub num. 4.* contendit probare, quod expectabatur medium noctis Sabbati Sancti pro cantanda Missa ex S. Hieronym. *in Matth. cap. 25.* & Tertulian. *lib. 2. ad Uxorem cap. 4.* quod etiam docet Duran. *in Rat. Divin. offic. lib. 6. cap. 78.* E contra Emin. Card. de Lugo *De Sacram. Euchar. disput. 20. à num. 16. & seqq.* asserit, Missam Sabbati Sancti ab antiquis solitam decantari statim post occasum solis, & sic in principio noctis, unde *num. 18.* infert, ultra Missam illam solemnem, Presbyteros potuisse, & solitos fuisse, Missas privatas celebrare. At quidquid sit de hora, in qua celebrabatur Missa in nocte Sabbati Sancti, verisimile est enim quod antiquissimos

nis temporibus, (in quibus ferventes erant fideles erga Redemptionis Mysteria) non statim post occasum solis, sed tardius inciperent officia celebrare, cumque & benedictio Ignis, Incensi, & Cerei non cursim, sed devotè fieret, sensusque mysticus Sacrarum illarum Cæremoniarum explanaretur populo, & Cathecumeni baptizarentur, medietas noctis appropinquaret; dum Missa decantaretur. Quod autem præter Missam solemnem recitarentur eadem nocte aliæ Missæ privatæ testatur Micrologus, (qui vivebat Anno 1077 teste Card Bellarmin. *de Scriptorib Ecclesiast.*) quem allegat Card de Lugo *cit. disp* 20. *num* 18. Et quod administraretur Eucharistia devotis personis, eam petentibus, ea-

15 dem nocte Sabbati Sancti, demonstrat ipse Emin Card Bona *d cap* 21 *num* 4 ex Theodoro Balsamone (qui vivebat Anno 1191) *in can.* 90. *Trullano* scribente: *Christianos religiosiores toto illo Sabbato in Ecclesia manere solitos, & sexta noctis hora, idest media nocte divinis Sacramentis communicare*

Neque obstat; quod in Missa Sabbati Sancti non cantetur Versus, seu Antiphona *Communio*, sed omittatur, eò quia nullus alius communicabat, præter celebrantem, ut autumant Gavantus, & Macer supra allegati; nam hæc consequentia negatur, & respondetur, non cantari Anti-

16 phonam *Communio*, quia illa est signum lætitiæ ex doctrina ejusdem Gavanti *in Mystica expositione Missæ part* 2. *tit* 16. *n* 28. nondum autem advenit lætitiæ tempus Resurrectionis Domini, juxta illud *Ad Vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psal.* 29 Etenim Dominus Noster

17 JESUS CHRISTUS surrexit à mortuis, non in media nocte, sed summo mane, & in Aurora, illucescente die Dominico, ut ex SS. Patrum testimoniis probat Barradas *in Concord. Evangel tom.* 4. *lib* 8 *cap* 2. Torniell *ad Ann Mundi* 4084 *num.* 28 & Menoch. *in Vita Christi lib.* 8 *cap.* 1 *num* 7. qui ita Ecclesia profiteri observat in Hymno illo Dominicæ ad Laudes:

*Aurora Cœlum purpurat &c.*
*Rex ille dum fortissimus,*
*De mortis inferno specu*
*Patrum Senatum liberum*
*Educit ad vitæ jubar.*

Et quamvis omittatur Antiphona *Communio* durante per totam noctem mœrore Passionis Christi, & ejus loco intonentur statim Vesperæ, ut in Missali, nihilominùs ea oratione, quæ cantatur post Magnificat, desumitur, fuisse administratam Sacram Communionem etiam aliis à celebrante; dicitur enim in illa, *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes* Ecce, quod Ecclesia testatur, non unum celebrantem tantùm, sed plures fideles, præter illum, fuisse Sacramentis Paschalibus satiatos, idest Eucharistia refectos, loquitur enim Ecclesia in plurali, quia plures supponit communicasse in eadem Missa, & posse communicare

*Ad Quintum* tandem argumentum contrarium, quod fundatur in consuetudine universali non administrandi fidelibus Eucharistiam in die Sabbati Sancti, respondetur, non obstare, tum quia in pluribus Ecclesiis extat consuetudo particularis com-

18 municandi fideles magis devotos, Eucharistiam in Sabbato Sancto petentes, ut, præter attestationes Doctorum tenentium affirmativam opinionem in hoc quæsito, ego vidi per annos quadraginta, & ultra in Ecclesia Divi Thomæ Martyris hujus Ci-

19 vitatis Paduæ, & de Jure Consuetudo particularis præfertur generali Rota coram Ubaldo *decis.* 80. *num* 7. & coram Card. Cavaler *decis* 95 *num* 3 Tum etiam quia in facultativis non usus non nocet, & con-

20 suetudo negativa non præjudicat Postius *de Manut observ* 58 Eminen Card. de Luca *De Præeminen. discurs.* 30. *num.* 7 Et quamvis tempus proprium lætitiæ, & convivii Paschalis sit in Dominica Resurrectionis, nihilominùs cum Sancta Mater Ecclesia præveniat in officio ipsum tempus lætitiæ, possumus prævenire accipiendo dona, quæ dantur tempore ipsius lætitiæ favores enim sunt ampliandi *l Cùm quidam ff. de liber. & posthum.* Barbos. *Axiom.* 98 *num* 4.

Ex quibus præferenda censetur opinio affirmativa in hujus casus Prudentialis re-

solutione, donec aliud terminetur à S. Rituum Congregatione, congruum est eum favere fidelium devotioni, quæ est Religionis actus, *S. Thom. 2. 2. quæst. 82. art. 2.* & Eminen Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 2. de Virtutibus in genere disp. 25. n. 25.*

## DECISIONIS XVI.

### Ad Aprilis Quæsitum Primum.

### ARGUMENTUM.

Proponuntur quatuor controversiæ circa formam Consecrationis Corporis Christi, *Hoc est corpus meum.* Una ex Theologis volentibus, eam incipere debere à Verbis: *Qui pridie, quam pateretur.* Altera ex Canonistis dicentibus, esse de forma etiam illa Verba, *Accipite, & commedite.* Tertia ex Scripturistis, opinantibus, præter Verba, requiri etiam *Benedictionem.* Quarta ex Philosophis, secundum quos non videtur, posse formam proferri à multis simul consecrantibus eamdem materiam, ut fit in ordinatione Sacerdotum, & consecratione Episcopi. Referuntur plures eruditiones Ecclesiasticæ. Resolvuntur objecta, & firmatur, formam prædictam consistere in iisdem quatuor Verbis: *Hoc est Corpus meum.*

### SUMMARIUM.

1 *Forma consecrationis Corporis Christi quæ sit?*
2 *Presbyteri in sua ordinatione concelebrant, & consecrant cum Episcopo, & num. 17.*
3 *Clerus Patavinus emicat viris doctissimis.*
4 *Verba Qui pridie, quam pateretur, an sint de essentia consecrationis?*
5 *Benedictio Hostiæ ante consecrationem, an sit de essentia?*
6 *Christus an sola benedictione consecraverit Eucharistiam?*
7 *Causæ plures totales non possunt concurrere ad eumdem numero effectum.*
8 *Sacerdos consecrando loquitur in persona Christi.*
9 *Verba Qui pridie &c. sunt de præcepto tantùm.*
10 *Enim dictio non est de essentia in consecratione.*
11 *Hispani difficulter proferunt T post S.*
12 *Verba recitativa non consecrant.*
13 *Christus consecravit Eucharistiam proferendo Verba formæ.*
14 *Benedictio accipitur pro consecratione.*
15 *Christus an consecraverit, quando fuit in Castello Emmaus?*
16 *Christus dicta, & facto voluit instruere Ecclesiam circa Eucharistiam.*
17 *Præsbyteri plures simul consecrando dicuntur causæ partiales.*
18 *Præsbyteri noviter ordinati dum communicantur ab Episcopo, non dicunt Confiteor.*
19 *Cardinales olim consecrabant, simul eamdem Hostiam cum Papa.*
20 *Canonici olim concelebrabant cum Episcopo.*
21 *Periculum præventionis Episcopi in consecratione cum noviter ordinatis.*
22 *Intentio Ministri non potest suspendere vim verborum formæ in Eucharistia.*
23 *Præsbyteri noviter ordinati curent proferre Verba consecrationis simul cum Episcopo.*
24 *Pasqualigi verba pro Sacerdotibus noviter ordinatis consecrantibus simul cum Episcopo.*
25 *Cæremoniarum Magistri obligatio, dum ordinantur novi Sacerdotes.*
26 *Præsbyteri, dum ordinantur, ne distent multùm ab Altari.*

QUÆ-

## QUÆSITUM PRIMUM.

*Quæ sit Forma consecrationis Corporis CHRISTI in Eucharistia?*

1 Dixerunt omnes formam consecrationis Corporis CHRISTI consistere in illis quatuor verbis HOC EST CORPUS MEUM ut *ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. & ex Cathechismo Romano sect. 19. De Euchar.* Siquidem hæc verba prolata à Sacerdote in persona Christi efficiunt id, quod significant, scilicet conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, qui hanc vim, & virtutem prædictis Verbis attribuit, cum ipse primùm hoc Divinum Sacramentum sui Corporis iisdem verbis instituit, atque consecravit, & per hanc formam conficitur Corpus Christi, non solùm si ab uno tantùm Sacerdote proferatur super materiam, sed etiam si à pluribus simul, ut fit in consecratione Episcopi novi, & in collatione Ordinis Presbyteratus, novi enim Præsbyteri concelebrant cum Antistite ordinante, & novus Episcopus cum Episcopo
2 consecratore, ut constat ex Pontificali Romano, & docent S. Thom. *3. part. quæst. 82. art. 2.*, Mastrius *in 4. Sent. disp. 1. num. 59. & in Theolog. Moral. disp. 18. num. 41.* Sotus *in eod. lib. dist. 33. art. 3.* Eminen. Card. de Lauræa *tom. 1. in 4. Sentent. disput. 24. art. 4.* Et Diana Coordinatus *tom. 4. tract. 8. resol. 89. 90. & 91.* quæ resides in antiquo *part. 12. tract. primo resolut.* pariter 89. 90. & 91.

At quatuor difficultates reperi invectas contra hanc responsionem. *Unam* à Theologis, *alteram* à Canonistis, *tertiam* à Scripturistis, *quartam* à Philosophis; Enicat
3 enim Clerus Patavious ingenti horum Professorum numero.

*Prima difficultas* Theologorum fuit illa. Hæc verba HOC EST CORPUS MEUM prolata à Sacerdote, significant corpus ipsius Sacerdotis, non autem Corpus CHRISTI. Ergo illa verba non constituunt integram formam,
4 ideoque de ejusdem formæ essentia, & integritate videntur esse alia verba præcedentia; videlicet: *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in Sanctas, ac venerabiles manus suas & elevatis oculis in cœlum ad te Patrem suum omnipotentem, Tibique gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens, Accipite, & manducate ex hoc omnes, HOC EST ENIM CORPUS MEUM.* Igitur hæc omnia verba unita simul denotant id, quod consecratur, esse Corpus CHRISTI, non autem Sacerdotis consecrantis, ut autumat Scotus *in 4. dist. 8. quæst. 2.* Angelus *in Summa Verb. Eucharistia num. 24.* Pasqualig. *in Sacra Morali doctrina disp. 95. num. 14.* Idem adstipulatur Rubrica Missalis Romani *de defectib. in celebrat. Missar. occurren. §. 3. num. 6.* ubi præcipit, quod si deprehendatur defectus panis post sumptionem Sanguinis, *apponi debet rursus novus panis & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut supra Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, QUI PRIDIE* &c.

5 *Secunda difficultas* Canonistarum desumitur ex tex. in Can. *Non omnis Panis 61. De Consecrat. dist. 2.* ubi dicitur *Non omnis Panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi.* Et Glossa explicans *ly Benedictionem* subdit *Institutam à Christo, quæ est, Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Confirmatur ex S. Ambrosio *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* qui ita dicit. *Cum venitur, ut conficiatur Sacramentum, Sacerdos non propriis sermonibus, sed sermone utitur Christi dicens, Accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum.* Ergo necessaria sunt verba præcedentiæ, per quæ Sacerdos loquens in persona Christi, consecrando significat Corpus Christi.

6 *Tertia difficultas* Scripturistarum fuit, quod Christus Dominus videtur consecrasse suum Corpus sub specie Panis, non Verbis formæ prædictæ, sed sola benedictione, dicunt enim Evangelistæ, quod *benedixit, & fregit, deditque discipulis suis dicens, Accipite, & manducate, Hoc est Corpus meum*, consecratum scilicet ante hæc verba. Hinc etiam habetur *Luc. 24.* quod Salvator recumbens cum duobus discipulis euntibus in Emmaus *Accepit panem, & benedixit, & fregit, &*

*porrigebat illis*, idest suum Corpus, quod ibi consecravit per solam benedictionem. De hac etiam dicit Apostolus 1 *Cor* 10 *Calix, cui benedicimus, nonne participatio Domini est?* Ergo per solam benedictionem fit consecratio Corporis Christi; & ita videtur fuisse de mente Innocentii Tertii *lib 4 de Sacro Altaris Mysterio cap 6* in his verbis *Sanè potest dici, quod Christus virtute divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque pro se virtute propria benedixit, nos autem illa virtute, quam indidit verbis*. Ergo Christus non consecravit verbis, sed Divina virtute praecedenter ad verborum prolationem.

*Quarta difficultas*. Philosophorum est talis, Si plures Sacerdotes simul proferant Verba consecrationis, nihil videntur agere, ratio est, quia repugnat, plures causas totales concurrere ad eumdem numero effectum, & necesse est, ut ipse effectus multiplicetur, sicut multiplices sunt influxus à causis totalibus provenientes, quae producunt effectum, ut differit *Colleg Compluten lib. 2 Physicor disp 15 à num 17* P Nicolaus Arnù *in eod lib 2 Physicor quaest 6 art 3* & Mastrius *disp 8 Physicor quaest 3 art 2*.

His tamen minimè obstantibus vera est responsio data ad Quaesitum, scilicet, formam Consecrationis Corporis Christi consistere in his quatuor Verbis tantùm HOC EST CORPUS MEUM. Neque subsistit prima difficultas à Theologis invecta, quamvis enim haec verba prolata sine aliis verbis praecedentibus videantur ex sui natura significare corpus Sacerdotis proferentis, nihilominus, quia Sacerdos cum illa profert, intendit Corpus Christi; idcircò significant Corpus Christi, & non corpus Sacerdotis, Sacerdos enim loquitur in persona Christi, & profert illa verba tanquam instituta ab ipso Christo, cum intentione efficiendi id, quod instituit Christus; ut ex doctrina S. Thomae, S Bonaventurae, Alensis, Tatareti, & aliorum Scotistarum astruit Mastrius *in 4. Sentent disp 3 quaest 6. art 1 & 2.* advertens, contrarium scripsisse Scotum disputationis gratia, non ut firmaret se in illa opinione. Cui nihil favet Rubrica Missalis, nam ordinat ut reassumatur consecratio ab illis Verbis *Qui pridie &c* non tanquam consecratoriis, sed dispositivis ad consecrationem. Praeterquamquod illa Verba *Qui pridie, quam pateretur &c* non nominant personam Christi; & opus esset altiùs repetere Canonem, si necessariò desumendus foret sensus Verborum formae à Verbis praecedentibus, ut legere scientibus manifestè patet. Itaque Verba praecedentia sunt de praecepto Ecclesiae, non autem de essentia consecrationis, neque de forma, prout neque *ly Enim*, ut passim notant omnes Scholastici, & Moralistae S Thomas *3 part 3 quaest 78 art 2.* Gonet *tom 5 disp 7 De Eucharistiae forma art 1* & habetur *in cap* Cum Marthae *De Celebrat Missar.* Thom Tamburin *De Jure Divino lib 4 cap 2 num 15* ubi ait, Particulam *Enim* sine peccato mortali omitti, praecisò contemptu, ex materiae parvitate, & *num 19* ex Soto addit, validè consecrare Sacerdotem ex defectu linguae dicentem *es*, pro *est*, & *meun*, pro *meum*; nam Hispani ex difficultate linguae non benè proferunt T post S, neque M, in fine syllabae.

Ad secundam difficultatem Canonistarum responder Suarez *de Eucharist disp 59 sect. 1* & Reginal *in Praxi lib 29 sub num 30* Glossam referre Verba concernentia Usum Eucharistiae, & sunt illa *Accipite, & Comedite*. Et concernentia formam Consecrationis, & sunt ista *Hoc est Corpus meum*. Itaque Verba *Accipite, & Comedite* non concernunt formam Consecrationis, & hinc est quod à S Luca fuerunt omissa, ait enim *cap 22. Et accepto Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens Hoc est corpus meum*. Ad auctoritatem autem S Ambrosii respondet Mastrius *in cit disp 3 numer 147* his verbis *S Ambrosium illa verba adducere, quia licet non sint de necessitate consecrationis, adhuc tamen sunt de necessitate praecepti, ut supra dictum est & idem Ambrosius verba illa alibi praetermisit*. Ulteriùs advertit idem Mastrius *in sua Theologia Morali disp 18. num 32.* communem esse do-

ctri-

ctrinam Thomistarum, & Scotistarum, quod Sacerdos profert *recitativè* verba illa *Qui pridie quam pateretur &c* profert autem *significativè* illa Verba: *Hoc est Cor-* 12 *pus meum* Certum est autem Verbis recitativis, & per viam historiæ prolatis non consecrari Hostiam, sed tantummodo per Verba significativa.

Ad Tertiam difficultatem Scripturistarum respondet Gonet *d tom. 5. De Eucharist. disp. 7 num.* 49. concedens, fuisse opinionem *Innocentii Tertii*, sed tanquam privati Doctoris, item Mayri, Catharini, & aliorum, quorum fundamenta congerit, sed non retinet Salmeron *tom. 9 tract 13* quod Christus consecraverit suum Corpus absque Verbis per excellentiam suæ potestatis Sed contrarium est tenendum, ut docent SS. Patres relati ibidem à Goneto, videlicet Tertullian *lib 4 contra Marcion ante finem*; ubi ait: *Acceptum panem, & distributum discipulis Corpus suum illud fecit Hoc est Corpus meum* 13 *dicendo* Item S. Cyprian *de Cœna Domini: Summus Sacerdos panem profert, & vinum, Hoc est, inquit, Corpus meum.* Pariter S. Ambros. relatus *de Consecr. dist 2. cap. Panis*, ait: *Cum panem accipiens diceret, Hoc est Corpus meum, plane monstratur, Verbum illud operatorium fuisse*, & aliis omissis hæc veritas reperitur decisa à *Sacro Tridentino Concilio sess 13 cap. 1* ibi: *Quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post Panis, Vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem* (notetur) *disertis, ac perspicuis verbis testatus est Quæ verba à Sanctis Evangelistis commemorata, & à D Paulo postea repetita, cum propriam illam, & apertissimam significationem præseferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos; quibus veritas carnis, & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri* Igitur cum Christus Dominus testatus fit, post benedictionem Panis, & Vini, instituisse suum Corpus, & Sanguinem *disertis, ac perspicuis Verbis*, idest determinatis, & clarè exprimentibus Corpus suum, neque alia verba diserta, determinata, & manifestè exprimentia Corpus suum habeantur, nisi illa *Hoc est Corpus meum*, constat his verbis à Salvatore fuisse consecratum sub specie Panis Corpus suum, ut bene concludit Eminentiss. Card de Lauræa *de Eucharistia disp 19 num. 185 & seqq* ubi alia argumenta cumulat, & congruentias hujus veritatis annectit.

Neque obstat, quod per benedictionem tantùm videatur hoc Sacramentum institutum, quia ut habetur *in cit Decreto Concilii Tridene* fuit institutum post benedictionem, & institutio facta fuit per Verba, ut testatur S Ambrosius relatus *in cap. Re vera 69 de Consecr dist 2. versus finem*, ita dicens *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione Divina, ubi Verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Ergo benedictio accipitur 14 pro consecratione, quæ fit per Verba Salvatoris, idest *Hoc est Corpus meum*, ut docet S. Bonaventura *in 4. dist 8 part 1. art 2 quæst 3 ad Ultim.* quem citat, & sequitur Emin Cardin de Lauræa *d. disp 19 num.* 199 Idem sentit Emin Cardin Capisucchius *Controversia secunda, De Benedict Eucharist Quæst Unica §. 1* Et concordat S. Thom. *lect* 4. super illis Verbis Apostoli *1. Cor 10. Calix benedictionis, cui benedicimus:* quæ sic ab Angelico declarantur, videlicet, *Cui benedicimus, idest, quem nos Sacerdotes consecramus.*

Nec concludit factum Christi resuscitati cum discipulis in Emmaus, nam 15 multi DD tenent, tunc Christum non consecrasse suum Corpus, sed porrexisse Panem simpliciter de more à se benedictum; vel si ibi confecit Eucharistiam, usum fuisse Verbis formæ jam institutæ, quamvis Evangelista brevitatis gratia ea omiserit, ut respondet Gonet. *d tom 5. disp 7 de Euchar num 53*

Opinio Innocentii Tertii cedere debet Concilio Tridentino, nam (ut diximus) ita scripsit tamquam Doctor privatus,

tus, ut advertit Emin Card de Lauræa *d. disp* 19 *num* 192. & ratio contra Innocentium est manifesta; quia Christus dicto, & facto voluit instruere, & informare suam Ecclesiam in confectione hujus admirabilis Sacramenti, & sic voluit consecrare *appositis Verbis*, quibus ipsa Ecclesia uteretur pro forma.

16 Quarta difficultas selecta à Philosophis (*quod plures Sacerdotes videantur non posse simul concelebrare, & consecrare eamdem materiam*) vocatur gravis difficultas, & quæ torquet Doctorum hominum ingenia à Diana Coordinato *tom.* 4. *tract* 8 *resol* 89 decerpta ex antiquo *ex part* 12. *tract* 1 *resol* 89. Et non absque ratione, est enim biceps, an scilicet prædicta simultanea consecratio fiat *validè*, & an fiat *licitè*. Cæterum quod *validè* plores simul Sacerdotes eamdem Hostiam consecrare possint, testantur communiter Scholastici, inter quos Emin Cardin de Lauræa *d tom* 1 *in* 4. *Sent disp* 24 *art* 4 Mastrius pariter *in* 4. *Sent disp* 2. *num* 59 Et in sua Theologia Morali *disp* 18 *num* 41. Pasqualig *in Sacra Morali Doct disp* 108 *sect* 4 Gonet *d tom* 5 *De Baptism. disp* 2. *num* 21 & 22. *Et alii plurimi*, quos cummulat Diana Coordinatus *d tom.* 4. *tract* 8 *resol* 89. 90 & 91. Quibus, ex Philosophis, consentiunt *idem Collegium Compluten d lib* 2 *Physic disp* 15 *num* 18 & P Arnù *cit. quæst* 6 *art* 3 *num.* 40. Ratio Philosophorum, & Theologorum est, quia plures Sacerdotes concelebrantes sunt causæ instrumentales morales, agentes in virtute causæ principalis, qui est Christus nihil autem repugnat in moralibus, ut plures causæ totales producant eumdem numero effectum, ut si plures personæ dignæ concurrant cum suis precibus ad obtinendam eamdem numero gratiam. Præterquamquod, ut docet Mastrius *d disp* 2. *num* 63 prædicti Sacerdotes possint dici causæ partiales, quia licet

17 quilibet Sacerdos esset causa totalis consecrationis, si solus celebraret, tamen quia celebrando cum aliis pluribus, pendent omnes à principali causa, quæ est Christus, in cujus persona omnes proferunt verba Consecrationis, & cui in consecrando subordinantur; idcircò censentur causæ partiales eumdem effectum producentes, virtute causæ principalis, idest Christi.

Quod autem hæc concelebratio, & simultanea consecratio fiat *licitè*, constat ex antiqua consuetudine, immò ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in Pontificali Romano, approbato per Clementem Octavum, & per Urbanum pariter Octavum, in titulo *De Ordinatione Præsbyteri*, & in titulo *De Consecratione Electi in Episcopum* mandat, ut *Pontifex Secretas morosè dicat, ut ordinati ad Sacerdotum possint illas cum eo dicere, debent enim ex consuetudine concelebrare, & etiam verba consecrationis proferre*; & inde fit,

18 ut ante communionem eorumdem Præsbyterorum noviter ordinatorum non dicitur *Confiteor*, neque *Misereatur*, neque *Indulgentiam*, quia sunt concelebrantes, & ea dixerunt à principio, ut observat Castald *in Prax Sacrar Ceremon lib* 2 *sect* 15 *cap* 5 *num* 10 *pag* 345 In cujus consuetudinis antiquissimæ probationem plures Canones, & auctoritates SS Patrum refert Eminentiss Card. Bona *Rerum Liturgic lib* 1 *cap* 18 *num* 9 quibus de-

19 monstrat, olim Cardinales solitos fuisse concelebrare cum Papa, & cum ipso eamdem Hostiam consecrare, quod etiam notat Macer *in Hierolex Verb Cardinalis col* 6 *pag* 126 Similiter omnes Canonicos

20 consuevisse simul celebrare, & Corpus, ac Sanguinem Domini consecrare cum Episcopo *ex Innocentio lib* 4. *De Myster Missæ cap* 25 refert Diana Coordinatus *d tom* 4 *tract* 8 *resol* 91 *in fine*, quamvis hac tempestate usus servet, ut Canonici Sacerdotes, Episcopo Pontificalia exercente, assumant tantùm planetam, recitent cum Episcopo introitum, & alias partes Missæ, Canone excepto, à quo abstinent, quia amplius non consecrant, ut olim faciebant unum cum Episcopo, unum, & idem Sacrificium simul conficientes, quod tamen hactenus servatur à Græcis.

Porrò non levis est labor Theologorum, & , ut ait Diana, eorum ingenia torquentur, in excogitandis remediis contra incommoda, quæ evenire possunt in hac

conce-

concelebratione, & præcipuè si unus præveniat alios in proferenda forma consecrationis. Est enim manifestum periculum, quod alii committant Sacrilegium consecrando materiam jam consecratam, vel unus consecret Corpus, alius verò non Corpus, sed Sanguinem, immò ipse Episcopus ordinator potest præveniri in consecratione ab uno ex ordinatis, & sic ipse

21 nihil agat, non celebret, non conficiat Eucharistiam, & eam postea sumat sub utraque specie contra præceptum Ecclesiæ, ut considerat Emin. Card. de Laurea *d. disp. 24 art 4. num 53.* Emin. Card. de Lugo *De Euchar. disp. 11 numer. 161.* Lessius *in opere Posthum. eodem tract. de Eucharist. art 2. Collegium Salmanticen. in Theologia Moral. de Sacram. Euchar. tract. 4 cap. 9 punct. 1.* Et Diana Coordinatus *d. resol. 89 90 & 91.*

Plurimi plurima dicunt. *Alii*, quod hi Sacerdotes noviter ordinati debeant habere intentionem conditionatam, consecrandi tunc, quando Episcopus ipse consecrat, quamvis ipsi illum præveniant in prolatione formæ. Sed non est

22 bonum remedium, quia intentio Ministri non potest suspendere effectum Sacramenti, quem causat forma consecrationis in ultimo instanti prolationis Verborum. *Alii*, quod hic ordinati dicant formam consecrationis *recitativè*, non autem *significativè*, idest absque intentione consecrandi. Sed hoc esset malum, quia concelebrant, & Ecclesia vult, quod & ipsi consecrent. *Alii*, quod non intendant consecrare, neque non consecrare, sed generaliter facere, quod intendit Ecclesia. Sed non est rectum, quia præcisè debent intendere consecrationem. *Alii* alia dicunt, sed omnes se involvunt, itaut neque seipsos intelligant, neque ipsi intelligi valeant, vel ob obscuritatem, vel ob ambiguitatem, vel ob insubsistentiam remedii, quod proponunt, ut observare quisque poterit in ipsis cardinibus Theologiæ, nempe in *Cardinalibus de Laurea, & de Lugo* locis supracitatis.

Mihi satius est, perpensis omnibus remediis, amplecti illud practicum, & speculativum, quod suggerit Pasqualigus *in Decision. Moral. decis. 422. à num. 9. & seqq.* videlicet, quod in Praxi curent Sacerdotes noviter ordinati proferre Verba

23 consecrationis, quantum possibile est, simul cum Episcopo, & cum expressa intentione consecrandi eamdem Hostiam, & eumdem Calicem unà cum ipso Episcopo, & hoc satis esse, neque ulterius quærendum circa supposita incommoda, examinata à Doctoribus, cessant enim omnia de per se, ea ratione, quia (*ut ipse* Pasqualigus speculatur) Episcopus est principalis consecrans, Sacerdotes autem ab eo ordinati, sunt accessorii in eadem consecratione, forma autem consecrationis, quam ipsi proferunt cum Episcopo, est moraliter adjuncta, & alligata cum illa, quam profert Episcopus, unde fit, ut quamvis Verba Sacerdotum paulò ante compleantur, sivè paulò post, quàm illa Episcopi, censeatur esse moraliter simul, & constituere unicam eamdem consecrationem. Non me piget in gratiam Lectorum, transcribere verba Pasqualigi *in cit. decis. 422. à num. 9.* quæ sunt ista.

24 *Ut autem tradita doctrina melius teneatur, sciendum est, quod Episcopus ordinans est principalis consecrans, cæteri autem sunt adjuncti, & accessorii. Ex quo fit, quod tanquam ipsi* (Episcopo) *subordinati debeant sequi motum ejusdem, & quod etiam actio consecrativa uniuscujusque ex intentione Ecclesiæ, quæ ipsos Episcopo adjungit, sit subordinata actioni consecrativæ Episcopi, & proinde habeat ponere effectum cum dependentia ab actione consecrativa Episcopi.*

*Ratione autem hujus subordinationis, omnes illi consecrantes, quamvis singuli seorsim sint sufficientes ad consecrandum, constituunt unam adæquatam causam consecrativam. Sicut enim sunt causa moralis consecrationis, ita etiam uniuntur in unam causam moralem, quia habentur per modum unius, cum ordinentur omnes ad eamdem materiam consecrandam, & ad eumdem effectum consecrationis. In hac autem causa Episcopus, seu principalis consecrans se habet velut forma dans unitatem, & motum, quia cæteri*

*omnes ipsi adiunguntur ut accessori.*

*Ex hoc autem fit, quod ex institutione Ecclesiæ significatio formæ consecrationis, quæ est eius operatio, seu potius ipsa operatio, quæ est ab accessoriis, sit adiuncta significationi verborum principalis consecrantis, & veluti ipsi alligata, unde ducitur ab ipsa ad causandum; & ideò ponit effectum ut coniuncta significationi principalis consecrantis, & ut sequens motum ipsius*

*Et ideò sive verba paulò ante compleantur, quàm compleantur à principali consecrante, sive paulò post, censentur esse moraliter simul; & constituere unicam causam illius effectus, determinatam morali modo in ipso principali consecrante, & consequenter quilibet moraliter concurrit ad effectum consecrationis, quia significatio verborum cujuslibet est unita moraliter, & simul significationi verborum principalis consecrantis, sive in esse completo paulò ante præcedat, sive paulò post subsequatur; quia hoc parvum discrimen non tollit simultatem moralem. Corpus autem, & Sanguis Christi ponitur sub speciebus, quandò primò completur significatio verborum principalis consecrantis, tanquam ea, cui omnes aliæ subduntur*

Corollarii loco pro conclusione hujus Quæsiti duo sunt colligenda, & notanda.
25 *Unum*, quod Magistri Cæremoniarum in ordinatione Sacerdotum, eos exactè moneant proferre Verba consecrationis Panis, & Calicis simul, & unitim cum Episcopo. Alterum, quod non permittant, eos-
26 dem noviter ordinatos Sacerdotes stare in nimia distantia ab Altari, ob doctrinam Bonacinæ *disp. 4. de Euchar quæst. 2. punct. 6. num. 11.* Et Thomæ Tamburini *De Jure Divino lib. 4. cap. 2. De Euchar num 8.* dicentium, incertissimum esse, an materia Eucharistiæ consecretur à Sacerdote distante per triginta passus.

### DECISIONIS XVII.

Ad Aprilis Quæsitum Secundum.

### ARGUMENTUM.

Agitur de forma Consecrationis Calicis. Plures Calices solitos fuisse apponere Judæos celebrantes Pascha azymorum ostenditur, atque eorum cæremoniæ referuntur. Notantur variæ opiniones Theologorum circa formam consecrationis Sanguinis, & firmatur, eam consistere in illis Verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Vel: *Hic est Sanguis meus*. Redditur ratio, quare dicatur: *Hic est Calix?* Et quare apposita sint reliqua verba consecrationis, ut in Canone Missalis.

### SUMMARIUM

1 *Judæorum mores, dum comedunt Agnum Paschalem primo die Azymorum*
2 *Judæi plures benedictiones faciunt in mensa*
3 *Crucis signo an Christus benedixerit panem, & vinum consecrandum in ultima cœna?*
4 *Calices plures adhibebant Judæi in cœna Paschali.*
5 *Forma consecrationis Sanguinis Domini*
6 *Calicis Consecrationis verba an sint omnia essentialia? Tres opiniones*
7 *Methonymia figura accipit continens pro contento*
8 *Calicis nomen cur Ecclesia adhibeat in consecratione sanguinis.*
9 *Verborum consecrationis Calicis significatio*

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*Quæ sit forma consecrationis Calicis, seu Sanguinis Christi?*

Præmittendum morem fuisse, & nunc esse Judæorum comedentium cœnam Paschalem, primo die Azymorum post Vesperas, singulis commensalibus calicem vino plenum præparare, 1 quem quater exhauriunt hoc ordine
Ante

Ante Vesperas illius diei adornant domum, & seipsos, & parant קערה *Kengarà* idest *canistrum*, in quo ponunt Agnum assum igne, שמורים *Scimurim* hoc est tres panes azymos, eodem die confectos, lactucas, aliasque herbas amaras, veluti cichoream, & intubum, item scutellas duas, in una quarum sit acetum, in altera חרסת *Charòset* idest mixtura fructuum, & aromatum, habens speciem ieretæ, seu calcis, in symbolum illius, quam struebant in Ægypto, addentes (ex traditione, sive superstitione Rabbinorum) in eodem canistro pisces, ova, & nuces, cum amygdalis. Facto vespere ponunt idem canistrum in mensa, in qua tot sunt calices vino pleni, quot sodales sedentes ad illam, cum pulvinari ad sinistram, cui inhærent aliquantulum, ad denotandum antiquatum usum comedendi in lectis, seu ad innuendam libertatem, & requiem acquisitam in exitu Israel de Ægypto. Quindecim sunt cæremoniæ, quas faciunt ad hanc Mensam, his vocibus collectæ.

קדש *Kadèsc* hoc est, *benedictio*, quia benedictionem quandam recitant, & statim calicem evacuant, epotantes vinum.

ורחץ *Urchaz*, idest *lotio*, quia illico omnes lavant manus.

כרפס *Carpàs*, significatque *res virides*, herbas scilicet agrestes, quas è canistro desumunt, ac intingunt vel in aceto, vel in mixtura *Charòset* supradicta.

יחץ *Jachàtz*, videlicet *divisio*, nam Paterfamilias dividit unum panem azymum, cujus medietas absconditur subtus tobaleam ad significandum, quod in exitu ab Ægypto detulerunt in mappis pastam crudam absque fermento.

מגיד *Maghidh*, scilicet *narratio*; narrat enim Primus in mensa, quomodo eorum Patres manducabant in Ægypto panem afflictionis, sed inde educti, post esum agni, potiti sunt libertate, & omnes commensales canunt diversos Rhythmos, enunciantes plagas Pharaonis, & gratias à Deo Hebræis elargitas, & interim præ gaudio extollunt eorum calices mero plenos; eosque bibendo evacuant iterum.

רחצה *Rochzà*, videlicet *lotio*, nam denuò manus lavant, ex superstitiosa Rabbinorum instructione.

מוציא מצה *Motzi*, *Matzà* idest *benedictio secunda*, Herus enim facta nova benedictione brevi, frangit unum ex panibus integris, & alium jam ante dimidiatum, & utriusque partem omnes manducant, simul cum Agno asso.

מרור *Maròr* hoc est *comestio lactucarum agrestium*, intingendo illas in aceto, & in mixtura *Charòseth*.

כורך *Corèche* idest *revolutio*, quia fracto tertio pane azymo, & frustula ejus revoluta herbis prædictis comeduntur ab omnibus, at in modica quantitate.

שלחן & עורך *Sciulchan & Ngborèche* significans *appositionem in mensa*, portantur enim cibi communes, quos cœnantes edunt ad satietatem, & calices lætanter bibunt.

צפון *Zaphùn* scilicet *absconditum*, extrahunt enim medium illum panem azymum, quem absconderant subtus mappam, & de eo omnes comedunt, quantum est unica oliva.

ברך *Barèch* scilicet *benedictio*, nam replent iterum calices vino, lavant manus, benedicunt Deo pro gratiarum actione, & bibunt, flectentes humerum, & caput ad pulvinar.

הלל *Hallel*, idest *recitatio Psalmorum sex*, quorum primum est *In exitu Israel de Ægypto*. Et denuò implent cyathos mero, & psalmo complem, attollentes calices ipsos, maledicunt populo Christiano, eum appellantes גוים *Ghoim*, invehentes in ipsum verba *Psalmi 68. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.*

נרצה *Nirtzà*, nempè *Amen Amen*, *fiat*, *fiat*; & in hac spe bibunt ultimò calicem vini, adhærentes, ut antea, suo pulvinari, & surgentes à cœna, dormitum vadunt. His cæremoniis utuntur Judæi in vigilia Paschæ, dum incipiunt panes azymos, & agnum Paschalem manducare, ut latius narrat *Julius Maurocenus*, olim Rabbinus, in citato opere *Via della Fede part. 2. cap. 30.*

Ex his duo colliguntur, *Unum* quod sicut hodie, ita antiquis temporibus solitum fuit apud Hebræos plures facere benedictiones in Mensa, præcipuè in solemnitatibus, & in cœna Agni Paschalis, quæ benedictiones consistebant vel in recitatione Psalmorum, vel aliarum orationum, quibus laudabant Divinam Majestatem, & hinc sequitur, Redemptorem nostrum in institutione Venerabilis Sacramenti sui Corporis, & Sanguinis, gratias egisse suo Æterno Patri, & benedixisse Pani, & Vino consecrando per recitationem aut Psalmorum, aut aliarum orationum, antequam deveniret ad consecrationem, non autem per signum Crucis, ut voluit Salmeron *tom 9 tract* 12. & Barradas *in*

3 *Evangel tom 4. lib 2. cap 2. column 6* Siquidem signum Crucis, quo nos oblata benedicimus, est institutum ab Ecclesia ad significandam præsignationem Passionis Christi factam in cœna, ut docet S. Thomas *3 part quæst 83 art 1 ad 3.* & observat Emin. Cardin. Capisucchius *d. Controvers De benedict Eucharistica §1 Vers Deinde Alterum* est, in cœna Agni Paschalis esse, & fuisse solitos Hebræos adhibere plures calices ad bibendum, ex hoc autem redditur verisimile, non unum tantùm

4 Calicem fuisse consecratum à Christo in eadem cœna; & sic plures in diversis Orbis partibus Calices venerari, ut diximus supra ad secundum Casum mensis Martii ex Hierolex Macri *in Verb. Calix col.*

5 Barrad *d tom 4. lib 2. cap* 31 *Et ex* Stroteis Menochii *cap 38. & 39 Centur 6*

Modò respondentes ad Quæsitum dicere, formam consecrationis Sanguinis

5 Eucharistici esse illam, quæ habetur in Canone Missæ, videlicet *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro Vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*

Gravis autem difficultas est & celebris controversia inter Scholasticos, an omnia prædicta Verba sint de essentia formæ consecrationis Calicis? Et quidem tres sunt opiniones. *Una* est,

6 formam consecrationis vini requirere, omnia verba supradicta essentialiter, subindeque si aliquod ex illis prætermittatur, non fieri consecrationem Sanguinis Ita ex S Thoma *3 part quæst 78. art 3 & in 4 Sent dist 8 quæst 2 art 2 & ex cap Cum Marthæ De Celebrat Missar.* tenent Thomistæ plurimi, quos citat, & sequitur, Eminentiss. Cardin Capisucchius *Controv tertia De Forma Consecrat Vini Euchar in virgina §6* quem etiam laudat Gonet. *dict tom 5 De Euchar disp 7. art 2.*

Secunda opinio docet, de essentia formæ esse illa verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel æquivalentia *Hic est Sanguis meus* · cætera verò esse de integritate formæ; sicut in homine nasus, aures, digitis sunt de Integritate, non autem de essentia hominis, & secundùm gravissimos Theologos in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio censetur pars integralis, non autem essentialis Ita Cajetan Sotus, Nugnus, & alii citati ab eodem Goneto *dict art 2. num 14* & novissimè Agudius *de Sacram. Euchar part 4 cap. 3 punct 2 num 7 8 & 9*

Tertia opinio defendit, sola illa Verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, seu *Hic est Sanguis meus* esse de essentia consecrationis Calicis, alia verò sequentia esse tantùm de præcepto Ecclesiæ & ad majorem explicationem effectus Sanguinis Christi. Ita Suarez, Vasquez, Emin Card de Lugo, Becanus, Meratius, ex modernis, Alensis autem, Scotus, & S Bonaventura ex antiquis, ut probat Mastrius *in 4 Scoteri disp 3 quæst 7 art 1 Et in Theolog Moral disp 18. num 30. & 31* ubi hanc esse communem testatur, ea ratione quia, illa sola verba sunt de essentia consecrationis Calicis, quæ sufficienter significant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini Sed hæc tantùm Verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, sive *Hic est Sanguis meus*, id sufficienter significant Ergo ipsa sola sunt de essentia Item quia non sunt minoris efficaciæ verba, prædicta in consecratione Calicis, quàm ista, *Hic est Corpus meum* in consecratione Panis Ergo sicut hæc sufficiunt ad Conversionem Panis in Corpus Christi, ita & illa ad conversionem Vini in Sanguinem Et hac opinione re-

ne retenta, duo sunt breviter notanda. *Unum*, quod dicitur in canone Missæ, *Hic est enim Calix Sanguinis mei* Methonymicè, idest per figuram *Methonymiam*, quæ accipit continens pro contento, eo modo, quo nos dicimus ad amicum *bibe hunc calicem vini*, videlicet *hoc vinum, quod est in calice*. Utitur autem Ecclesia hoc nomine Calicis in consecratione Sanguinis, ad melius significandum, eum esse potabilem, nam aliàs de sui natura Sanguis non est idoneus potui. *Alterum*

7 est, cætera verba in forma consecrationis Calicis apposita tres præcipuos effectus Sanguinis Christi explicare. *Primum*, adeptionem vitæ æternæ, quam velun hæreditatem per Christi Sanguinem, tanquam testamentum, morte ejus sancitum

8 expectamus. Ideò dicitur *Novi, & æterni testamenti*, nam vetus promittebat bona temporalia, novum autem æterna. *Secundum*, Fidei Christianæ professionem, quam præcipuè in hoc Sacramento exercemus, & sic ponitur *ly Mysterium Fidei*. *Tertium* remissionem peccatorum, siquidem amantissimus Redemptor *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*, unde subjungitur in consecratione Calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, legatur Gobat *in Theolog. Experim. tract. 3. num. 77.* & Agudius *d. par. 4. cap. 3. punct. 2. à num. 11. & seqq.*

## DECISIONIS XVIII.

### Ad Aprilis Primum Casum.

### ARGUMENTUM.

Disputatur, an Confessarius Monialium possit ingredi Clausuram pro frequenti Communione Monialis laborantis febre non mortali? Declaratur, quid sit Clausura Monasteriorum tum materialis, tum formalis? Agitur de ejus antiquitate, & ultima rigorosa firmitate. Discutitur, quando liceat Monialibus egredi de Clausura? Quando Viris eam ingredi? Quando accedere ad colloquendum cum Monialibus? Quæ pœnæ sint statutæ contra transgressores in iisdem Casibus? Præcipuè contra Regulares? Et resolvitur casus propositus affirmativè.

### SUMMARIUM

1 *Clausura alia materialis, alia formalis.*
2 *Clausura Monialium est de Jure Ecclesiastico.*
3 *Clausura Monialium antiquissima. Etiam in lege Mosayca.*
4 *Clausura Virginum Deo dicatarum etiam in lege naturæ.*
5 *Monasteria Monialium in principio Ecclesiæ.*
6 *Clausura Monialium erat de præcepto etiam antiquis temporibus.*
7 *Bonifacius Papa VIII. indixit legem generalem Clausuræ perpetuæ Monialibus.*
8 *Excommunicatio ipso facto incurritur ingrediendo Clausuram Monialium sine licentia ex Concil. Trid.*
9 *Causæ tres, quibus Moniales à Clausura possunt exire.*
10 *Excommunicatio latæ sententiæ, & reservata Papæ contra Moniales è Clausura exeuntes.*
11 *Clausuræ Monialium ingressus prohibitus à Gregor. XIII. & Paulo V.*
12 *Episcopi habent jurisdictionem in Regulares circa Clausuram Monialium.*
13 *Canonissæ in Germania non sunt adstrictæ perpetuæ Clausuræ.*
14 *Dimissæ in Italia non habent legem Clausuræ.*
15 *Moniales omnes professæ tenentur stare in Clausura perpetua.*
16 *Alluvio, & bellum sunt causæ licitæ Monialibus exeundi è Clausura.*

17 Clau-

17 *Clausuram egrediendi non sufficit causa particularis, sed universalis Monialium.*

18 *Monialis etiam cum legitima causa non exit à clausura absque licentia Sac. Congr.*

19 *Conversæ Moniales an possint exire de Clausura ad quærendas eleemosynas?*

20 *Parvitas materiæ an detur circa egressum, vel ingressum Clausuræ?*

21 *Moniales violantes Clausuram quas pœnas incurrant?*

22 *Monialis in casu occulto violationis Clausuræ potest absolvi ab Episcopo. Secus in egressu notorio* num 23 *nisi periculum aliquod esset in mora* num 24.

23 *Novitiæ, vel puellæ egredientes de Clausura non incurrunt excommunicationem Papalem, sed pœnas impositas ab Episcopo.*

26 *Clausuræ Monialium utilitas, & necessitas ex moribus etiam Gentilium.*

27 *Clausuræ Monialium pro ingressu requiritur causa boni communis, vel particularis earum; vel aliquando exterorum pro arbitrio Episcopi.*

28 *Clausuræ Monialium pro ingressu aliquando sufficit licentia oretenùs data.*

29 *Clausuram Monialium, ingredientes absque justa causa, & absque licentia quas pœnas incurrant?*

30 *Casus septem, à quibus absolvere non possunt Regulares etsi privilegiati, ex Decreto Clementis Papæ VIII*

31 *Clausuram Monialium Superiores ingredientes absque causa quas pœnas incurrant?*

32 *Pueros in Clausuram Moniales recipientes sunt excommunicatæ*

33 *Licentia alloquendi Moniales danda est ab Episcopo.*

34 *Regulares ut coerceantur ab Episcopo circa accessum ad Monasteria Monialium quinque jura attendenda.*

35 *Regulares non possunt celebrare Missam in Ecclesiis Monialium absque licentia Episcopi.*

36 *Confessarius potest ingredi Clausuram, quotiescunque Monialis infirma petit Sacramenta.*

37 *Confessarius potest in Clausura assistere Moniali moribundæ.*

38 *Confessarios Monialium plura decreta S. Congr. concernentia.*

39 *Vicarius Episcopi non debet esse Confessarius Monialium.*

40 *Regulares non possunt esse Confessarii Ordinarii Monialium.*

## PRIMUS CASUS.

Q*Uotidiana, sed non mortali febre Monialis laborat: cupit singulis festivis diebus, prout consorores suæ faciunt, Eucharistiam sumere. Quæritur, an Confessarius possit Clausuram ingredi ad has frequentes communiones exhibendas?*

Pro hujus casus canonica resolutione quatuor sunt theoremata notanda.

1 Primum est. Quod Clausura sumitur vel materialiter tantùm, & significat locum clausum, à quo aliquibus exire, vel in quem ingredi non licet. *l 3 § Subveniatur, ff. ad Senat Consult Sylan* & sic intelligitur Gynæceum, Claustrum, aut Monasterium muris, & januis septum, in quo habitant Moniales Giballin. *de Clausura Regular disquisit 1 in princ.* vel Clausura sumitur formaliter, & est lex prohibens tria, scilicet egressum de Monasterio, ingressum in illud, & accessum ad Crates, seu Januas ad colloquendum cum Monialibus, Giballin ibid & Bonacina *de Clausur. Monial quæst 3 Punct 1 & 2.* quæ quidem

2 lex est de solo Jure Ecclesiastico. Azor *par. 1 lib 13 cap 8 quæst 2.* Sanchez *lib 6 in Decalog cap 15 num 3* & Ascan Tamburin. *de Jure Abbatissar disp 18 quæst 3.* rejecta opinione asserentium esse de Jure Divino ob illa Verba *Psalmo 26 4. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

3 Secundum Theorema est; antiquissimam esse Clausuram Monialium, & Virgi-

Virginum Deo consecratarum, non solum quia fuit instituta ab initio Ecclesiæ, ut infra probabimus; sed quia originem trahit tum à lege Mosayca, in qua mulieres Deo dicatæ segregabantur à consortio hominum, ut de Anna Prophetissa filia Phannel, *quæ non discedebat de templo jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac Die Luc.* 2. 36 de Virginibus commorantibus in exedris Templi, de quibus dicitur 2. *Machab* 3 19. *Sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam* De Juditha, quæ *in superioribus domus suæ fecerat sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Judit* 8. 5 & de mulieribus, quæ stabant ante portam Templi, quas fuisse Deo dicatas ostendit Canisius *lib* 1 *De Maria Deip. cap* 12. & observat Sallian *in Analib ad Mundi Annum* 4041 *num.* 3. & Cardin. Baronius *in apparatu Annal. num.* 50. & 51. Tum à lege naturæ, in qua Tithæa Uxor Noachi docuit neptes, & puellas, à filiis suis statim post diluvium ortas, se 4 Dei servitio mancipare; & in ejus cultum ignem sacrum inextinctum custodire, quem postea Deus praecepit Moysi, *Levit* 6 in suo tabernaculo semper ardere; unde ipsa Tithæa post mortem *Esta* vocata est, idest mater ignis, & ab eadem apud gentiles, & Romanos nomen sumpserunt Virgines Vestales, quæ servabant ignem perpetuum, & detonsæ sub Clausura vivebant, itaut neque Senatus ad eas accederet, ut eruditè Tholosan *in Syntagm. Juris par* 2 *lib* 15 *cap* 17 & Serra *de Synonym. in Verb. Vestales*. Porrò quidquid fuerit de his, certum est, quod 5 statim ab initio Ecclesiæ fuerunt in usu Monasteria Virginum Deo addictarum, quas salutat S. Ignatius Martyr *Epist* 10. 12. & 15. & de eis meminit S. Clemens Romanus *apud Epiphan hæres* 30. Et testantur S. Ambrosius *lib.* 3. *de Virginib.* S. Hieronymus *lib* 1 *advers. Jovinian.* & S. Augustinus *epist.* 109. Quibus quidem Virginibus indicta erat lex clausuræ, non quidem absoluta; quia aliquando ob urgentes causas poterant ex Monasterio exire; S. Antonin *in Summa* 3 *par tit* 20. *cap* 2. § 3. *Vers. Egressum autem Monialium*; sed necessaria erat licentia Abbatissæ; & comitatus seniorum Monialium, ut ex pluribus Conciliorum, & SS. Patrum Decretis, in primis Ecclesiæ sæculis emanatis, ostendit Giballin *de Clausur. d. disquis. prima cap.* 1 § 2. redarguens Tamburinum *de Jure Abbatissar disp* 18 *quæst* 2. *num* 3 & *quæst* 3 *num.* 1. dicentem, Clausuram priscis illis temporibus fuisse tantùm de consilio, siquidem erat de præcepto, adeout neque Monialibus liceret exire de Monasterio absque licentia cum urgenti causa, ut diximus, 6 neque viris permissus esset ingressus in earum claustra, nisi pro causis necessariis, & cum licentia; & interdicta foret etiam collocutio cum exteris, quamvis religiosis *cap Deffinimus. cap In nullo loco* & *cap Periculosam* 18. *quæst* 2 præter innumera Conciliaria Decreta, quæ cumulantur à Giballino *d. cap.* 21 § 2.

Tertium Theorema. Porrò vel ob excedentem malitiam hominum, vel ob nimiam calamitatem temporum, cum Synodalia Decreta, & Prælatorum leges pro custodia Virginalis innocentiæ non sufficerent, Bonifacius Octavus Summus Pontifex propè finem Tertiidecimi sæculi Sanctionem universalem publi- 7 cavit, de qua *in cap. Periculoso. De statu Regular. in* 6 & per quam indixit omnibus, & quibuscumque Monialibus perpetuam Clausuram, itaut iisdem non liceret amplius è Monasteriis egredi, nisi ex causa morbi contagiosi, neque ad eas daretur Viris ingressus, vel accessus, nisi ex rationabili causa, & cum licentia superiorum, quam Sanctionem confirmavit Concilium Tridentinum *sess* 25 8 *de Regular cap.* 5 addita pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ contra ingredientes septa Monasterii sine licentia in scriptis; pro cujus Conciliaris Decreti executione B. Pius V. fecit Bullam *incipien Circa Pastoralis. Anno* 1566 cui aliam adjecit anno 1570. quæ incipit, *Decori, & Honestati*, in qua declaravit, causas liciti egressus è Monasterio pro Monialibus cum superiorum licentia esse debere *Magnum incendium, infirmitatem* 9 *lepræ, aut epidimiæ*; præter quas causas pro-

prohibuit egressum earumdem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ, tàm ipsis Monialibus exeuntibus, quàm licentiam dantibus, comitantibus, & recipientibus, nec non privationis dignitatum, & officiorum contra superiores prædictum exitum permittentes. Et ad impediendum ingressum personis laicis in Monasteria Monialium emanarunt Constitutiones aliæ, videlicet Gregorii XIII. *In* 18 Pauli V. *In* 74 quæ revocavere quascunque licentias, quibuscunque personis à Sede Apostolica elargitas, ingrediendi Monasteria Monialium. & quia non est possibile eas non concedere Reginis, Ducissis, & aliis Matronis excelsi status, Urbanus VIII per aliam suam Constitutionem *In* 29 declaravit, concessas eis non suffragari, nisi consensus Monialium accedat capitulariter, & per secreta vota de earumdem ingressu admittendo. Et quia propter exemptiones Virorum Regularium, & Monialium, sub eorum gubernio viventium, plures exortæ erant controversiæ cum Episcopis locorum Ordinariis, prodiit Constitutio Gregorii XV. anno 1622. quæ incipit *Inscrutabili &c.* in qua Episcopis delegata est facultas super iisdem Regularibus, & Monialibus in iis, quæ concernunt animarum curam, Sacramentorum administrationem, prædicationem Verbi Dei, & Sanctimonialium Monasteria, prout ex tenore ejusdem Bullæ, & ex resolutionibus dubiorum super ipsa per Sacram Congregationem factis, & ab Urbano VIII. approbatis, quam Constitutionem, & dubia ponit Cherubin *in Bullario pag.* 296. 297 *tom* 3 Tamburin *de Jure Abbatissar. disp* 16. *quæst* 2. *&* 3 Barbosa *post tractatum De offic. & pot. Episc. in Constitutionib. Apostolicis* la prima Ex quibus omnibus sequitur.

Quartum Theorema resolvens breviter infrascriptos non injucundos casus, de facili occurrentes in praxi, tàm circa egressum Monialium è Clausura, quàm circa ingressum exterorum in illam, nec non circa accessum ad colloquendum cum Monialibus præcipuè pro personis Religiosis.

*Quo ad egressum* I. Omnibus Monialibus professis prohibitus est egressus è Clausura, sed Moniales non sunt, neque ad Clausuram tenentur Canonissæ in Germania, Flandria, & Lotharingia, de quibus Azor *tom* 1 *lib* 13 *cap* 9 Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp* 7 *quæst* 4 & Giballin. *de Clausur. Mon. disquis.* 1 *cap* 3 *num* 9. quibus similes sunt piæ, religiosæque Virgines, Dimissæ vocatæ, quæ in Congregatione vivunt hic Patavii, Vicentiæ, & Thienis, sub certis Constitutionibus ab Augustino Cardinali Valerio Episcopo Veronen. & Visitatore Apostolico, anno 1584. approbatis. Et de quibus agunt Menoch. *cons.* 948. Tondut *de benefic. par.* 1 *cap.* 112. *num* 15 Pignatell. *tom* 2 *consult.* 65. *à num.* 9 *& seqq.* & Cardin. de Luca *De Jurisd. disc.* 45. II. Si Monialis profiteretur animo non se obligandi ad Clausuram, quamvis irritam ejus professionem dicant DD. apud Tamburin *disp.* 18. *de Jure Abbatiss. quæst.* 5 contrarium sentit Giballin. *d. disquis.* 1 *cap.* 4. *num.* 18 *cum* Bonacina *de Clausur. quæst.* 2. *num* 5 quia hæc obligatio non pendet à voluntate profitentis, sed à lege Ecclesiastica illam imperante, sicut castitatem in Subdiaconatu, quare, qui suscipit illum statum, obligatur legibus, quas Superior illi statui imposuit, nisi professio esset sub expressa conditione non servandi Clausuram, & quod aliàs non valeret, tunc enim esset invalida ex defectu voluntatis. Giballin *ubi supra*, *& de Jure Canonico par.* 2. *lib.* 4. *De Irregular.* *tam.* III. Quamvis B. Pius V. in Bulla prædicta *Decori*, *& Honestati* expresserit tres causas liciti egressus Monialium è Clausura, scilicet *Magnum incendium*, *Morbum lepræ*, *& Epidimiæ*, quas stare taxativè, itaut alias consimiles non liceat admittere, dicant Azor *tom* 1 *lib.* 13 *cap.* 8 *q.* 1. *ad fin.* Barbosa *allegat.* 102. *n* 16 cum aliis citatis à Giballin *d. disq.* 1 *cap.* 6 *num.* 33 contrarium tamen, & quod exemplificativè locutus sit B. Pius V. docent Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 25 *num.* 37 Novarius *in Summ. Bullar. p.* 1. *Comm.* 41. *num.* 14 Ventriglia *tom.* 1 *Annot.* 5. §. 2. *num.* 25 & Zacchias *in Quæst.*

Medico

*Medico-legal.* lib 3 tit 3 qu 6 num. 10. nec non in *Consil* 64 cum aliis, quibus adhaeret ipse Giballin *d. num* 33 qui *num.* 52. adiungit etiam alluvionem fluminis, vel procellam, aut saeviens bellum, ex quibus immineret ruina Monasterii, vel direptio Monialium. Quod si talis esset morbus alicujus Monialis, ut intra Monasterium sanari non posset, sed equidem extra ipsum, disputant hinc inde DD an teneretur servare Clausuram? nam lex Ecclesiastica non obligat cum periculo vitae Tamburin. *De Jure Abbatiss. disp.* 20. *quaest.* 3 Riccius *in Praxi*

17 *4 part. resol.* 194. *num.* 3 Contrarium tamen tenet Zerola *par.* 2. *Verb. Moniales ad fin & alii citati per* Ventrigliam *d. tom.* 1. *Annot* 5. §. 2. *num* 37 Ea ratione, quia ad egrediendum, requiritur causa respiciens bonum totius Communitatis, non unius Monialis particularis tantum; ideoque, citatis pro utraque opinione Auctoribus, esse casum dubium definit Giballin *d. disq* 1 *cap.* 6 *num* 45 & 46 ad quem remitto curiosum. IV. At communi calculo DD. non sunt legitimae causae pro egressu *Phthisis*, *Rabies*, *Lues Venerea*, *Hydrophobia*, *Variolae*, *Disenteria*, *etsi popularis*, (qualis fuit Viennae ann 1683 obsessae à Turcis) neque *febres malignae cum lenticulis*, *puncticulis*, *seu peticulis*, vulgò *Petecchie*, *Scrophulae*, *seu Strumae*, & consimiles morbi. Giballin *d. cap* 6 *num.* 35 *& seqq* qui tamen si pestilentiales forent, petenda esset

18 licentia à S. Congregatione, prout quando ageretur de puniendа Moniali contumaci, quae in eodem Monasterio ob adhaerentes, vel factiones puniri non posset, vel si vellet Monialis transire ad strictiorem Regulam; seu ad fundandum, vel reformandum aliquod aliud Monasterium, ut eruditè demonstrat idem Giballin *d cap* 6. *usque ad numer* 58. Antonell. *de Regim. milit. Eccl lib* 7. *cap* 7 *per totum*. Novarius *in Summa Bullarii part* 2 *Comment* 37 *num* 11 Et pro licentia exeundi Moniales è Monasterio requiri licentiam Sedis Apostolicae; & non sufficere concessionem Episcopi, dicit etiam Ventriglia *d tom.* 1. *Annot* 5 *P* 2. *num.* 29. Nisi temporis angustia aliud suadeat.

Molfes. *ad Consuet. Neapol part* 1 *cap.* 5. *num.* 32. *tom.* 1 & Ventrigl. *ibid* V. Sed

19 utrum licitum sit mittere Moniales Conversas extra Clausuram ad quaestuandum eleemosinas per Civitatem, & Dioecesim? Discordes, & obscuri valdè sunt DD in resolvendo; alii enim asserunt, alii negant, ut videre est apud Hyacint. Donatum *Rer. Regular. tom.* 4 *tract* 3 *quaest* 18 Caeterum videtur deferendum consuetudini, qua extante, servandae sunt conditiones istae, quod scilicet Conversae ipsae sint quadragenariae, probatae vitae, binae incedant, non pernoctent extra Monasterium, & exeant de Episcopi licentia; & quamvis sanctum esset, hanc consuetudinem omninò tollere ad evitanda scandala, adhuc tolerari in aliquo loco colligitur ex Nicolio *in Floscul Verb. Conversus num.* 8. ubi Decretum S. Congregationis. VI. Non dari parvitatem materiae excusantem à peccato mortali, & à censuris in egressu è Clau-

20 sura (idem in ingressu) est tutior opinio, quam tuentur DD citati à Donato *d tom.* 4 *tract* 4 *quaest* 24. & 25 contra Graffium, Naldum, & Pellizzarium *de Monialib cap* 5 *sect* 1 *q* 11 *num.* 19 à quibus caveant Confessarii, nam Clausura consistit in indivisibili, ut ait Pignatell. *tom* 6. *Consult* 85 *num* 275 Neque obstat, quod parvitas materiae excusat à mortali, quod est basis, & fundamentum excommunicationis; quia, ut respondet Donatus *d. quaest* 25 *num* 3 violatio Clausurae non attenditur ex parte loci, seu spatii localis, in quo cadit parvitas materiae, sed ex transgressione legis Clausurae, quae est mortalis, sivè fiat ad duos pedes, sivè ad centum passus. Concedunt tamen omnes, quod si Monialis toto corpore non exeat è limine Clausurae, sed extendendo tantùm brachia, vel pedem, non erit Clausurae violatrix, quia actus non est completus. Donatus *dict quaest.* 24. & *quaest* 25 Giballin *ubi supra disquis.* 1 *cap* 2. §. 17 *num* 33 & 34 & Sanchez *lib* 6. *cap.* 16 *num.* 70. *in Decalog.*

21 VII. Tandem poenae inflictae contra Moniales violantes Clausuram per egressum, praeter peccatum mortale *ex cap. Periculoso*. *De statu Regular. in* 6. & ex

O Conci-

Concilio Trid. *sess 25 de Regular cap. 5.* ut advertit Donatus *d. tom 4. tract 3 q 14.* sunt etiam excommunicatio latæ sententiæ Summo Pontifici reservata, nec non privatio dignitatum, & officiorum tàm circa ipsas Moniales, quàm eas in dicto egressu coadjuvantes, ut habetur in Bulla Piana incipien. *Decori* &c. de qua latè tractant Sanchez *in Decal lib 6 cap 15 à num 63* Barbos. *in d. cap 1 de Statu Regul. in 6.* Ventriglia *d tom. 1 Annot 3 § 1 num.*
22 *49.* & Donatus *dict tom 4 tract 4 q 8* ubi docent, si violatio Clausuræ per egressum Monialis esset occulta, posse obtineri ab Episcopo facultatem eam absolvendi ab excommunicatione in foro Sacramentali per Concil. Trid. *sess 24. cap 6. de reform.* quod admittit etiam Bonacina *de Censur disp 1. quest 22. punct 2 num 2 & de Clausura quæst 1 punct 5 num 2.* & Thesaurus *de Pœnis Ecclesiast par 2. Verb. Clausuram violans cap 8. Vers Absolvere.* Sed an possit Episcopus etiam dispensare in aliis pœnis, de quibus supra? Discordant Doctores, affirmat enim Donatus *d. quest 8. num 8 & 9.* ubi respondet contrariis, at negat Sanctarell *de Hæresi cap. 5. dub. 1.* & Ventriglia *d Annot. 5. § 1 num 50.* Et quo ad concomitantes, vel alios recipientes Moniales, injustè egressas e Clausura, nulla pœna hi afficerentur, neque censura, si bono fine id agerent, ad eas custodiendas, vel reducendas, aut à majori scandalo præservandas. Bonacin. *de Clausur quæst 1 punct 4.* Donatus *d. quest 8. num 13.* Quod si egressus
23 Monialis esset notorius, non excusaretur à petenda absolutione ab Apostolica Sede ob sexus fragilitatem, vel corporis debilitatem, seu perpetuæ subjectionis impedimentum *ex cap. De cætero cap Mulieres. cap. Ea noscitur & cap De Monialibus. De Senten Excommunic.* ut benè Donatus *dict quæst 8 num 4 & 5.* qui ta-
24 men excipit, si periculum aliquod esset in mora; tunc enim posset Episcopus impendere beneficium absolutionis, recepta cautione de parendo mandatis Apostolicæ Sedis juxta Glossam *in d. cap Mulieres. Verb Laborem* & Thesaurum *de Pœnis p 2. cap. 24.* Porrò si Monialis Novitia, mutata voluntate, exiret absque licentia è
25 Monasterio, & ab Amasio reciperetur, neuter esset excommunicatus, quia Bulla Piana loquitur de Professis. Ita Giballin. *de Clausur disq 1 cap 8 num. 4 in fine*, & Pellizzar *de Monialib. cap 5 num. 187* qui intelligendi sunt de excommunicatione Papali, secus de imposita per Episcopum volentem, (ut hic Patavii) Novitias, & Puellas educandas in Monasteriis, teneri ad pœnas violatæ Clausuræ si enim absque licentia exirent, essent excommunicatæ, Nam, quod Educandæ, & aliæ mulieres degentes in Monasteriis Monialium, de superiorum licentia, teneantur legi Clausuræ, est una ex præcipuis conditionibus, quæ ponuntur pro earum ingressu, ut ex Decretis Sac. Cong. apud Quarantam *Verbo Monasteria Monialium pag 449* Barbos. *de Jure Ecclesiastic. lib 1 cap 44 num 52.* Nicolium *in Flosc. Verb Clausura num. 10. & 11.* & Pignatell. *tom 8. Consult. 47 num. 37. 44 & 45.* Igitur si legi Clausuræ sunt adstrictæ, violantes eamdem legem incurrunt Censuras ab Episcopo inflictas, pro Clausura servanda. *l Non dubium 5 C. de legibus.* Et ita videntur concordandi Georg. Polacchus *par. 2. Vacat. Epidem. cap. 2. num 5.* & Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp. 2. quæst 2 num. 24.* docentes, supradictas puellas egredientes absque licentia è Monasterio incurrere excommunicationem.

Et ne alicui Sanctimoniali displiceat status perpetuæ Clausuræ in Monasterio,
26 non inutile erit, eam docere utilitatem, & necessitatem non exeundi, quam etiam antiqui Romani agnoverunt, apud quos Virgines Vestales, tonsis capillis, in Clausura vivebant, ut ex Plinio *lib 16. Hist nat cap 44* notat Tholosan. *in Syntagm Jur lib 26. cap 1 num. 17* Sinenses puellis infantibus tam strictè fasciis, & linteolis pedes alligant, ut vix ambulare in adulta valeant ætate, ne extra domus, in quibus semper reconditæ manent, possint de facili exire, ut ex *Observat.* Hier Brusonii ad Boter *par 1 de Morib Sinensium:* Immò Turcarum fœminæ abstinent à conspectu virorum, & non nisi velatæ, & copertæ per viam incedunt, teste Ga-

briele

briele Bremond *in itinerib per Ægyptum lib 3 cap 5* nam mulieribus cursiture periculosum, ut de Dina *Gen. 34. 2.* & de Sara *Gen. 20. 2.* Hinc Menander apud Stobæum canit. *Intus manere mulierem oportet bonam, egredientes autem foras, nullius pretii sunt.* Et Alciatus in Emblemate testudinis sub Veneris pede:

*Alma Venus quæ nam hæc facies? quid denotat illa*
*Testudo, molli quam pede Diva premis?*
*Me sic effinxit Phidias, sexumque referre*
*Fœmineum nostra jussit ab effigie*
*Quod manere domi, & tacitas docet esse puellas,*
*Supposita pedibus talia signa meis.*

27 Quo verò ad violationem Clausuræ per ingressum, ut iste sit licitus requiritur justa, & gravis causa concernens, vel bonum commune Monasterii, & sic intrant bajuli, vectores curruum, & alii, de quibus Gloss *in cit cap 1 De statu Regular in 6.* vel bonum particulare alicujus Monialis, cujus respectu ingrediuntur Confessarius, Medicus, Chirurgus, si sit infirma; Et aliquando ancillæ, & mulieres laicæ, quæ ministeriis vilioribus, & operosioribus inserviant, aut moniali morbo periculoso affectæ assistant, ut pluries vidi servari hic Patavii, ad tradita per Barbos. *allegat* 102. *num* 60 Bonacinam *quæst 4. de Clausura punct 4. num* 10. Crispinum *in Visitat Pastor p 2. §. 42 num 99* vel bonum exterorum, ideoque datur ingressus puellis educandis, vel mulieribus ob absentiam, vel discordiam maritorum; seu ad res pretiosas custodiæ causâ in claustris sanctimonialium vehendas, & circa justitiam, & gravitatem causæ pollet arbitrium Episcopi, ut disserunt Giballin *de Clausur disq 1 cap 7 § 1* Tamburin *de Jure Abbatissar disp 24. quæst 1* & Donatus *d tom 4 tract 5 quæst 19* Ultra justam, & gravem causam requiritur licentia superioris in scriptis, etsi in pluribus casibus consuetudo faciat, sufficere etiam licentiam

28 sine scriptis; videlicet pro personis cognitis, & res necessarias in Monasterio exequaturis, ut docent Miranda *de Monial. quæst 3 art 2.* Homobon *part 2. de Casib. reser. casu 5* Bellocch *Theolog Moral. quæst 2. num 162.* Bordonus *Var resol tom 3 par 2. resol 76. num 79.* & Diana *par 3 tract 2. resol.* 129 qui contrarium docentes allegat, sed non sequitur.

29 Pœna de Jure inflicta contra ingredientes Monasteria Monialium absque legitima licentia, & justa causa, est excommunicatio latæ sententiæ, nulli tamen reservata ex Concilio Trid *cap 5 sess 25 de Regularib* Sed quia Greg. XIII in Bulla *Ubi gratiæ*. Et Paulus V. in Bulla *Monialium status*, statuit excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam contra ingredientes prætextu licentiarum, ab eadem Sede prius obtentarum, pugnant acriter inter se Moralistæ, quærentes an hæc excommunicatio reservata extendatur etiam ad ingredientes absque dicto prætextu licentiarum? Utriusque opinionis assertores cumulat Donatus *de Regularib d tom. 4 tract 5 quæst 1 & quæst 2* ubi refert rationes hinc inde, & adhæret affirmantibus, quia talis censetur stylus Curiæ Romanæ, & usus totius Italiæ; contra quem assertum stylum recalcitrare pluribus argumentis Campanil. *in divers Jur. Can rubr 11 cap 16 num 24.* testatur Ventrigha *d tom 1 Annot 5 § 1 num. 34.* Sed tumor Campanilis videtur spernendus, & tenendam extensionem, quia pluries declaravit Sacra Congregatio Episc. & Regularium, ingredientes Monasteria Monialium, non ex prætextu licentiarum, sed ex propria voluntate, incurrere excommunicationem Papæ reservatam, ut legitur apud Pignatell. *tom. 6. consult. 85 num. 251 & 252.* Quod multò magis concedunt omnes, si ingressus foret ad malum finem juxta Decretum S Congreg ejusdem, jussu Clementis VIII. editum die 9 Januarii 1601. in quo declaravit, Casus non absolvendos à Re-

30 gularibus privilegiatis esse. 1 Contentos in Bulla Cœnæ Domini 2. Reservatos per Ordinarios locorum 3 Violationem Immunitatis Ecclesiasticæ 4 Duellum 5 Manus violentas in Clericos, 6 Simoniam realem, nec non confidentialem in beneficiis Et 7 Ingressum in

Clausuram Monialium ob malum finem; quos casus, & Decretum inveniet lector apud Pignatell *d. consult.* 85 *num.* 165. *&* 166. & Donatum *tom* 2. *p* 3 *tract* 11 *q* 17 *de Regularib.* Et non solum ingredientes afficit prædicta excommunicatio reservata, sed etiam admittentes, & recipientes, sivè prætextu licentiarum, sivè non, prout sivè sint Superiores, ut Priorissa, & Abbatissa, sivè moniales privatæ, aliævè personæ. Fillius *tract.* 15 *num.* 119. & Ventriglia *d. Annot.* 5. *à num.* 37. *& seqq.*

31 Quod si ingredientes sine causa sint ipsi Superiores, puta Episcopi, vel Prælati Regulares, hi ex alia Bulla Gregorii XIII incip. *Dubiis quæ emergunt*, aliis pœnis afficiuntur; scilicet Episcopi pro prima vice ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda, suspensione à divinis; pro tertia, excommunicatione. Prælati verò Regulares incurrunt privationem omnium officiorum, ac excommunicationem, sed hæc excommunicatio non est reservata. Ventriglia *ibid. num.* 43 44 45 46 ubi has pœnas, ait, non incurrere Vicarios Episcopi, tanquam in dicta Bulla non nominatos. Donatus *d. tom.* 4 *tract.* 5 *quæst.* 22. explicans quo comitatu, cum Superiores intrant ex justa causa, intrare debeant, & si deficiant in illo, quamvis peccent non incurrere excommunicationem. Attamen hisce temporibus Prælati Regulares volentes visitare Clausuram Monialium sibi subjectarum, debent observare Bullam Alexandri VII latam anno 1664 19 Octobris incip. *Fœlici Sacrarum Virginum*, in Bullario tom. 6 *la* 153 videlicet, ingrediendo semel in anno Clausuram, & non ultrà, nisi de Episcopi licentia. Non effugiunt autem Moniales excommunicationem recipientes in Clausuram pueros, etsi discretionis annos non habentes, ut asseverant idem Donatus *d. tract.* 5 *quæst.* 21 Comitoll. *resp. Moral lib.* 6 *quæst.* 19 *num.* 6 *& quæst.* 22. Naldus *V. Clausura num.* 3.

32 Et ita decisum, contra Moralistas contrarium scribentes, à Sac. Congregatione referunt etiam Pignatell. *d. tom* 6 *consult.* 85 *num* 244 & Nicol. *in Flosculis V. Clausura num.* 29 quod attendant Confessarii Monialium. Demum pro ingressu licito in Clausuram Monialium subjectarum Regularibus non sufficit licentia Prælati Regularis Superioris earumdem, sed etiam requiritur licentia Episcopi ordinarii illius loci, ut notant Bordon. *Var. resol. d. par.* 2. *resol.* 76. *num.* 80. *&* 81. & Donatus *d. tom.* 4. *tract.* 5. *quæst.* 17. ubi de hac re plura Decreta refert Sacræ Congregationis, *&* *num* 12. adjungit *Anno* 1630. 21 *Mart* decisum, Sanctissimo approbante, servandam esse consuetudinem, ubi viget, dandi prædictas licentias ab Episcopo tantùm, & privativè quo ad Regulares, quod etiam habetur apud Barbosam *de Jur. Eccl. Univ. cap.* 44 *num.* 107 *in fine.* Et *decis. Apostol. collectan.* 452 *num* 14 & advertit Emin. Cardinalis de Luca *in Annotation. ad S. C. Trid. discurs.* 36 *num* 6.

33 Ultimò, quo ad violationem Clausuræ per allocutionem cum Monialibus, etiam si sint subjectæ Regularibus, spectat ad Episcopum coercere inobedientes, & dare licentias alloquendi, nam, ut ait prædictus Emin. Card. de Luca *d. disc.* 36 *num.* 7 superintendere his allocutionibus concernit custodiam Clausuræ, ac etiam missionibus Epistolarum, his enim contrahuntur illi amores, ex quibus violatio Clausuræ resultat. Et cum non sit dubium de coercitione Episcopali circa Clerum sæcularem, & populum, S. Antonin. *in Summa* 3 *par. tit.* 20. *cap.* 2. § 3 *Vers. Monasteriorum Monialium*, etiam pro Monasteriis exemptis ex Concil. Trid. *d. sess.* 25 *cap.* 5 *de Regularib. & ex Bulla B. Pii V. Circa Pastoralis.* Zerola *in Verb. Moniales ad* 4. *& ad* 8. *Quæst.* Crispinus *in Visitat. Pastorali par.* 2. § 42. *num.* 70. latè Pignatellus *d. tom.* 6. *consul.* 85. *à num.* 1 *& seqq.* & præcipuè à *num.* 17 ubi plurima Decreta, & Declarationes S. Congregationis, & in puncto *num.* 5. ubi sic: *Die* 17 *Junii* 1605 *In Januensi Sacra Congregatio censuit, accessum ad collocutoria, vel Rotas, vel alias Monasteriorum Monialium partes, esse materiam pertinentem ad Clausuram, & per consequens spectare ad Ordinarium etiam in Monasteriis subjectis Regularibus, qui ea ad libitum visitare potest.* Tota inspectio reducitur ad coer-

citio-

cutionem Regularium accedentium sine debita licentia Episcopi ad colloquendum cum Monialibus, contra quos quinque Jura sunt observanda. *Primum* est Decretum Sixti V anno 1590. quo prohibuit Regularibus accessum ad collocutoria Monialium absque licentia Sacræ Congregationis, ut legitur apud Quarantam *in Sum. Bull. Verb. Monasteria Monialium pag.* 349. Peyrinum *tom* 2. *in Const. E. Pii V.* Bonacinam *de Clausur. quæst.* 3 *punct.* 4. & Donatum *d. tom.* 4. *de Regular. tract.* 6 *quæst.* 4. cujus transgressio est peccatum mortale, ut omnes DD. scribunt. *Secundum* Jus est Bulla Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, in qua ut diximus supra, mandat Episcopis, ut puniant Regulares delinquentes circa Clausuram Monialium, cujus Clausuræ appellatione venire accessum ad colloquendum cum ipsis Monialibus declaratum fuit in dubiis propositis ad dictam Constitutionem, quam ponunt per extensum Barbos. *post tract. de Potest. Episcopi Const. Prima.* Et Donatus *de Regular. tom.* 1 *part.* 2. *post tractatum* 13 *de exemt. Religiosorum*, ubi etiam ipsa dubia, cum declarationibus. *Tertium* Jus est Decretum sub Urbano VIII. publicatum anno 1623. quod legitur apud eumdem Donatum *tom.* 4. *d. tract.* 6. *quæst.* 20. apud Novarium *in Summa Bull. part.* 2. *Comment.* 40. *num.* 15 apud Nicolium *Lucubr. Utriusque Juris tom.* 2. *lib.* 3 *tit.* 1. *sub num.* 16. & apud Pignatell. *d. tom.* 6 *consult.* 85 *num.* 166. in quo conceditur facultas Ordinariis locorum dandi licentiam in scriptis, quater in anno, Regularibus colloquendi cum Monialibus suis consanguineis in primo, & secundo gradu, cum assistentia Confessarii, & auscultatricum, sed non in diebus festis, seu Vigiliarum. *Quartum* Jus est Decretum sub Clemente Nono anni 1669. impressum apud Pignatell. *d. tom.* 6. *consult.* 85 *num.* 35. in quo damnatur opinio Regularium affirmantium, sibi licere sine peccato alloqui Moniales absque licentia ad quadrantem horæ cum dimidio. & decernitur, collocutionem cum Monialibus non licere neque per modicum temporis spatium, & Regulares contrafacientes peccare mortaliter, & puniri posse ab Episcopis, etiam per censuras. Et ne credantur præsentium temporum supradicta Decreta nimis rigorosa, legantur illa antiquorum Conciliorum, colloquia cum Monialibus prohibentia, quæ referuntur à Giballino *de Clausura disquis.* 1. *cap.* 1 § 3. *num.* 10. & à Donato *dict. tom.* 4. *tract.* 6 *quæst.* 2. Postremò *Quintum* Jus est responsum Sac. Congregationis, ad hæc quæsita: 1. *An Regularibus missis ad crates Monialium, pro munere prædicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis hoc immediatè post cum ipsis Monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis?* 2. *An talis prohibitio intelligatur tàm de collocutione cum aliquibus Monialibus, quàm cum una tantùm (omnibus tamen aliis audientibus) immediatè post concionem.*

*Die* 21 *Maii* 1678. *S. Congreg.* Emin. S. R. E. Card. *Concilii Trident. Interpretum ad utrumque respondit, Affirmativè.* Et hoc Decretum est impressum in Synodo Diœcesana Emin. Card. Caroli Barberini anno 1686. Inter appendices in fine. Hinc non ignorandum, Regulares non posse celebrare Missam in Ecclesiis Monialium absque Episcopi licentia, ut eadem Sacra Congregatio declaravit die 9 Decembris 1651. apud Pignatell. *d. tom.* 6 *consult.* 85 *num.* 165. 35

His ad ornatum muneris audiendi Confessiones Monialium, & ad Majorem Confessariorum notitiam, enucleatis, devenendo ad resolutionem propositi Casus, fuit concorditer decisum, posse Confessarium ingredi Clausuram singulis festivis diebus ad communicandam Monialem quotidiana febri, etsi non mortali, laborantem, ut docent Sanchez *in Decalog. tom.* 2. *libr.* 6 *cap.* 16 *numer.* 45. Quintanadven. *in Singularib. tract.* 4 *sing.* 3 Giballinus *de Clausura d. disquisit.* 1. *cap.* 7 *num.* 4. Joan. Sanctus *in select. disp.* 22 *num.* 22 Pellizzarius *de Monial. cap.* 10. *num.* 220. & 221. Novissimè Gobat *De Sacramentis tract.* 4. *num.* 190. Et Bissus *in* 36

*Hierur-*

*Harringtonum. 2. Verb. Eucharistia sub num.* 180. §. 13. Ratione, & authoritate firmatur hæc decisio. Ratio est, quia si licitus est ingressus virorum pro corporalibus necessitatibus Monialium, quare debet esse prohibitus pro spiritualibus? Intrat hortulo ad evellendas urticas, & purgandam à gramine humum, & non intrabit Sacerdos ad polendam infirmæ Monialis conscientiam, Apostolo dicente *ad Coloss. 3. 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis?* Intrat cæmentarius ad dealbandum parietem, & non intrabit Confessarius ad purificandas animas immaculati Agni Sanguine, de quo scriptum est, *Apoc. 7. 13. Et laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni?* Intrat pistor cum canistris panis, & non intrabit Mysta, ut ægrotanti Religiosæ præstet *Panem de Cœlo, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem? Sapien. 16. 20.* Intrat Medicus ad curandam febrem corporis, & ad curandas febres animæ, de quibus ait S. Ambrosius *lib. 4. in cap. 4. Lucæ. Febris nostra avaritia est, febris nostra iracundia est*, non intrabit Sacerdos, & cum eo divinus ille Medicus, qui de se dixit in *Isaia 41. 1. Misit me, ut mederer contritis corde?* Hinc supracitati Doctores concedunt, posse Confessarium ingredi Clausuram ad confessionem infirmæ Monialis excipiendam, si commodè ipsa descendere ad locum confessionum non valeat, & ad administrandam eidem sacram Synaxim, non solum quando aliæ Moniales eam sumunt juxta Regulam, vel consuetudinem Monasterii, vel secundùm quod erat solita communicare se in sanitate; sed toties, quoties ipsa postulat, siquidem, ut notat S. Antonin. *in Summa 3. part. tit. 14. cap. 12. in fin.* Eucharistia dat robur in tribulatione, ideò dicitur *in Psalm. 130. Et panis cor hominis confirmet*, & valet ad nutritionem animæ, & corporis, & ideircò *in Exod. 12.* legitur, quod Angelus exterminator minimè nocuit domibus illis, quæ erant linitæ Sanguine Agni.

Auctoritas autem desumitur ex Decretis Sacræ Congregationis relatis *per Nicolaum Lucubrat. Utriusque Juris tom. 2. lib. 3. tit. 1. sub num. 9.* & per Pignatell. *d. tom. 6. consult. 85. num. 232. & 233.* ubi sic legitur. *Cum Sanctissimi D. N. Bulla cautum sit, ne quis Monasteria Monialium sine urgentibus necessitatibus ingrediatur. Quæritur, An Sacerdotibus in Monasterium sæpius introire liceat, ut iis Monialibus, quæ perpetuo, aut diuturno aliquo morbo laborant, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta sæpiùs administrent, licet alias, cum ægrotare cœperunt, semel sacram Eucharistiam sumpserint? S. Congregatio Concilii die 18. Maii 1570. censuit licere. Item concedendus est ingressus eidem Confessario ad assistendum morituris, ejusque animam Deo ritè commendandam, tanta est enim necessitas consentium in articulo mortis, ut ei nulla diligentia par esse possit. Sac. Cong. Episc. in Lucensi 29. Martii 1589. & 22. Decemb. 1620.*

37

Et quoniam apud eumdem Pignatell. *d. tom. 6. consult. 85. num. 238.* plura alia habentur Decreta concernentia personam Confessarii Monialium, ejusque officium, quæ alibi non ita passim reperiuntur, non me piguit ea transcribere, & sunt sequentia. *Confessarii Monialium, triennio elapso, non possunt amplius audire Confessiones in eodem Monasterio per aliud triennium absque licentia S. Congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis Confessionibus, Eadem S. Congreg. in Comensi 4. Martii 1591. in Reguina 2. Octobris 1626. & die 27. Martii 1647. ac aliàs. Quod habet locum etiam in Confessario Conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcunque mulierum. Eadem S. Cong. 18. Martii 1649. & in Lucensi 25. Junii 1655. cap. Indemnitatibus 43. §. Supradicta siquidem. de Elect. in 6. Confessarii verò Dominicani, vel Casinenses non possunt durare in hujusmodi officio audiendi confessiones Monialium nisi per biennium ex eorum Constitutionibus. Ead. S. Cong. 17. Novemb. 1645. & 8. Junii 1657. Generaliter verò ab Episcopis approbati, non possunt, vigore illius generalis approbationis, confessiones Monialium audire; sed egent speciali approbatione: & approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, non potest audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Extraordinarius ietiam approbari debet, quoties deputatur,*

38

*tatur, nec sufficit esse semel approbatus, nisi prout, quæ obtinuerint Indultum Sacræ Pœnitentiariæ eligendi ex approbatis pro* 39 *Monialibus semel tantùm. Vicarius Episcopi non potest esse Confessarius Monialium, quin Moniales de ipso non confiderent. S. Congreg. in Sorana 23 Julii 1587. in Mutinensi 3. Februarii 1597. Neque Parochus, seu Curatus, si exinde Cura notabiliter pateretur. Ead. S. Congreg. in Venetiarum 26 Julii 1594. in Parmensi 7. Martii 1652. in Taurinensi 2. Augusti ejusdem anni, & alibi passim. Neque minores Conventuales, quibus id prohibitum fuit à B. Pio V. Eadem S. Congreg. in Ortonen 30. Junii 1599. & in Neapolitana 20. Martii 1621. Neque Observantes Provinciæ Reformatæ S. Antonii Lusitaniæ, quibus prohibitum fuit à S. Cong. sub die 7. Nov. 1653. Et generaliter Regulares* 40 *non solum non possunt esse Confessarii Ordinarii, sed neque Capellani Monialium Ordinario subjectorum. Eadem S. Cong. in Pistoriensi 26 Maii 1653.*

## DECISIONIS XIX

### Ad Aprilis Secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Inquirit, intra quot dierum spatium possit Infirmus in periculo mortis iterum communicari per Viaticum; idest non Jejunus? Agitur de obligatione communicandi in articulo mortis. Et resolvitur, prædictum Infirmum, etsi non jejunum posse communicari etiam quotidie.

### SUMMARIUM.

1. *Viaticum quot habeat significationes?*
2. *Viaticum per Antonomasiam significat SS. Eucharistiam.*
3. *Viaticum in articulo mortis an sit sumendum ex præcepto Divino?*
4. *Eucharistia quo ad sumptionem est de Præcepto divino. Quo ad tempus sumptionis est de Præcepto Ecclesiastico.*
5. *Eucharistia olim dabatur fidelibus, domi deferenda, ac detinenda. Et cur.*
6. *Communio in primæva Ecclesia dabatur solum in Missa. Extra Missam solis infirmis.*
7. *Jejunium naturale semper fuit necessarium ad Communionem.*
8. *Jejunium cur non attendatur in Communicandis per Viaticum?*
9. *Rubrica Missalis Romani habet vim legis.*
10. *Viaticum an sæpius dari possit infirmis non jejunis?*
11. *Viaticum etiam quotidie infirmo non jejuno potest ministrari.*
12. *Viaticum præbens Sacerdos debet dicere illa Verba:* Accipe Viaticum &c.
13. *Rubricæ directivæ an obligent sub præcepto?*

## SECUNDUS CASUS.

*Communicatæ Monialis per Viaticum, & in periculo mortis diu perdurantis; Quæritur, intra quot dierum spatium possit iterum, atque iterum Viaticum dari.*

PRo intelligentia tria sunt præmittenda. *Primum* est, quod Verbum *Viaticum* plures habet significationes, aliquando enim significat pecuniam necessariam pro itinere agendo *l. Eum quem. 79 ff. de Judicus*, vel pro trahenda mora extra patriam; ideòque Scholare proficiscente in alienam Civitatem studiorum causa, quidquid ei datur à Patre in cibariis, vel in pecunia ad se ibi sustentandum, dicitur *Viaticum*. *l. Cum filiusfamilias 17 ff. de Reb. creditis*, vel etiam *Viaticulum l. Si longius 18 §. Si filiusfamilias. in fine ff. de Iudic.* forsan quia tenuis est contributio paterna, quæ juvenibus studentibus datur. Aliquando Viaticum significat *Altare Portatile*, quod deferunt Episcopi secum in itinere, ut commodè pos-

possint in quocunque honesto loco super eo celebrare, vel facere celebrare Missam, juxta Privilegium sibi concessum à jure *cap. Quoniam. 12. Privileg. in 6.* Sed per 2 Antonomasiam *Viaticum* significat Sanctissimam Eucharistiam, quae datur constitutis in articulo mortis *cap. Qui recedunt. 26 quæst. 6. cap. Quod in te. 11. De Pœniten. & Remiss.* Confert enim vires animæ fideli ad iter agendum in æternitatem, & ad astus diabolicos superandos, siquidem in transitu uniuscujusque Draco infernalis descendit ad tentandum, *habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Apoc. 12. 12.* Et quamvis SS. Basilius, & Gregorius Nazianzenus appellaverint Baptismum Viaticum, eò quia tunc temporis plurimi solebant suscipere baptismum in extremo vitae constituti, & S. Cyprianus nominaverit eleemosynam hoc vocabulo Viatici, ut erudite notatur *in Hierolex. Macri Verb. Viaticum.* Nihilominus antonomasticè significatur Corpus Christi delatum iis, qui sunt proximi morti, quod plenè probat *Macer ibid.* subdens, quod olim illi communicabantur post susceptum Sacramentum extremæ Unctionis, & refert ex Surio exempla S. Guilelmi Archiepiscopi, & S. Stephani Regis.

*Secundum Præmissum.* Magna est controversia apud Theologos Scholasticos, 3 An Viaticum sit sumendum in articulo mortis ex Præcepto divino, vel tantummodo ex Præcepto Ecclesiastico? Alii enim volunt esse Divinum Præceptum de sumenda Sanctissima Eucharistia in articulo mortis, cum enim sit instituta ad conferendas vires pro vincendis tentationibus, sanè in articulo mortis eam opus esse nemo dubitat, cum ibi majores tentationes fiant. Ita ex SS. Patribus, & ex Soto, Victoria, & Paludano Gregorius de Valentia *tom. 4. De Eucharistia disp. 6. quæst. 8. punct. 4. Vers. Quamobrem.* Diana, alios cumulans *part. 3. tract. 6. resol. 95.* Quæ coordinato in Opere est *tom. 2. tract. 2. resol. 1.* Novissimè *Collegium Salmanticen. tom. 10. De Sacram. in genere tract. 4. cap. 8. num. 4.* & Mastrius *in 4. Senten. disp. 1. num. 370.* Alii è contra volunt à solo Præcepto Ecclesiastico hanc obligationem communicandi in articulo mortis provenire, quia nulla invenitur lex Divina, quæ præcipiat hanc Communionem in articulo mortis sub peccato. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 4. Sent. tom. 1. disp. 25. De Necess. Euchar. num. 38.* Ergo quo ad tempus mortis obligatio communicandi provenit à Præcepto Ecclesiastico, quandoquidem sic semper Ecclesia præcepit, ut habetur in variis Conciliis, & Decretis Pontificum relatis *in cap. De his verò. 26. quæst. 6. cap. Penitentes. dist. 50. cap. Super eo. De Hæreticis in 6.* Ita tenent Cajetan. *in Summa Verb. Communio Sacramentalis.* Armilla *eod. Verb. num. 4.* Sylvester *Verb. Eucharistia. 3.* Ledesm. *1. part. 4. quæst. 21. art. 11. dub. 2.* & alii. Cæterum Eminentiss. Cardinalis de Lauræa *in cit. tom. 1. disp. 25. de Eucharistia num. 25. & seqq.* concordat hanc discre- 4 pantiam Theologorum, dicens, obligationem sumendi Sacram Eucharistiam procedere quidem à præcepto Divino, quod cum sit affirmativum, & non obliget semper, & ad semper; ideò circa tempus communicandi, attenditur determinatio Ecclesiæ, cui Christus Dominus reliquit facultatem præscribendi tempus, ipse enim noluit legem expressam, circa tempus sumendi Corpus, & Sanguinem suum promulgare, & sicut eadem Ecclesia diversis temporibus dissinivit diversa tempora pro fidelibus sanis, sumendi Sacram Eucharistiam, ità posuit sub Præcepto tempus, in quo imminet periculum mortis, ut observat *idem Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 25. num. 37.* à quo non dissentit Diana, & DD. ab eo allegati *part. 9. tract. 9. resol. 47.* Quæ *collocata est in Operè Coordinato tom. 2. tract. 2. resol. 70.* ubi plurimi DD. tenentes, Sacrum Viaticum non esse de necessitate medii, seu necessarium simpliciter ad salutem, cum quibus concordat Glossa *in cap. Quod in te. 11. Verb. concedimus. De Pœnit. & Remiss.* Et Caramvel in *Theol. Fundament. num. 2004.*

*Tertium Præmissum.* Tanta semper extitit Ecclesiæ sollicitudo, ne à fidelibus in 5 articulo mortis Sacræ Eucharistiæ susceptio

ceptio omitteretur, ut primitivis temporibus, grassante persecutione, concederet iisdem fidelibus Sacram Hostiam apud se detinendam, ad hoc, ut mortis casus si accideret, eam assumendam præstò haberent Pax Jordan. *lib 3 tit 3 num* 5 Emin. Card Baronius *ad annum* 57 *d. num* 149 *&ibi* Spondan *num* 44. Casalius *de sacris Ritib. par* 2 *cap* 13 Pignatellius *tom.* 6 *consult.* 41 *num.* 43 Barbosa *de Parocho cap.* 20. *num.* 12. quod etiam notat Macer *in Hierolex d. Verb Viaticum*, subdens, fuisse concessam etiam Monachis in deserto degentibus, quod fuit postea prohibitum sub Hormisda Papa (qui anno 514 ad Sedem Pontificalem ascendit) in Ecclesia Occidentali; at in Orientali diutius id duravit. Sed etiam laicis notæ probitatis permittebatur Sacræ Eucharistiæ detentio, & in itinere deductio, ob aliquod mortis periculum, in quo statim se communicarent, teste S. Ambrosio de fratre suo Satyro, & S Gregorio Magno de S. Maximo Syracusano Episcopo, ut narrat Macer *d. Verb Viaticum* ad hunc eumdem effectum communicandi pro Viatico infirmos, reddita pace Ecclesiæ, cæptum fuit conservare Hostias consecratas in Altari *cap Presbyter* 93. *De Consecr. dist* 2. olim namque fideles in sanitate communicabantur à Sacerdote in Missa, at extra Missam tantummodò infirmi, ut doctè 6 probat Joan. Mabillon *de Liturgia Gallicana lib* 1. *cap* 9 *ubi num* 14. demonstrat antiquorum Patrum testimoniis, in Columbis aureis, vel argenteis, eos consuevisse servare Sacratissimam Eucaristiam pro Communione infirmorum. Hinc, licet à primordio Ecclesiæ ad dignè Communicandum esset necessa-7 rium jejunium naturale, ut ostendit S. Augustin. *Epist* 118. *cap.* 6 *ad Januar* & ut fideles accederent ad Sacram Mensam, *Virgine adhuc Saliva*, ut ait Tertulian *de Jejun. cap* 6 quod habetur *in Can. Liquido* . 154. *de Consecr. dist.* 2. *cap Sacramenta* 59. *de Consecr dist.* 1 *cap* Nihil 7. *q.* 1. *cap. Ex parte . De celebr Missar* quod diximus supra in primo Casu Mensis Januarii hujus anni, & probat S Thom 3 *p q* 80. *art* 8. Attamen Pia Mater Ecclesia nobis in patriam redituris, ut in fortitudine hujus Cibi ad Montem, qui Christus est, pervenire valeamus, Sacrum hoc Corpus, ac cœleste Viaticum (ne casus aliquis opportunum subsidium Christianis militibus, extremis horis 8 cum Dæmone confligentibus, aliquando præripere possit) non jejunis etiam exhiberi mandavit, ut passim testantur DD & pluribus SS Conciliorum Decretis probat Emin. Card Brancatius *in erudito Opusculo De Sacro Viatico à pag.* 146 *& seqq.* P. Quartus *in Rubr. Missal. part* 3 *tit* 9 *sect* 1. *Dubio* 6 Et Eminen. Card. de Lugo *de Euchar disp* 15 *numer* 58 ubi prudenter advertit, licentiam communicandi in articulo mortis infirmos non jejunos maximè probari consuetudine, quæ ubique servatur ab immemorabili tempore, & in facto nullum reperio Canonem de Communicandis infirmis non jejunis expressè loquentem præter *Concil Constantiense sess.* 13 ubi potius consuetudo Ecclesiæ refertur, dum dicitur. *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata Consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, non posse recipi à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à Jure, vel ab Ecclesia concesso, vel admisso*. Et præter Rubricam Ritualis Romani *De Communione infirmorum*, ibi: *Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis*; quæ quidem Rubrica, tanquam approbata à 9 Summo Pontifice Paulo V habet vim legis, Gratian *discep. forens. cap* 551. *num.* 7 Loter *lib* 1 *q* 16 *numer* 123 & Sperell *decis* 179 *num.* 23

His ita prænotatis, ac præmissis, resolvendo Casum propositum, intra quot dierum spatium possit iterum dari Sacrum Viaticum Moniali non jejunæ, perduranti in periculo mortis, variæ circa ipsum leguntur Moralistarum, & Doctorum opiniones. Alii enim requi-10 runt spatium triginta dierum. Ita Navarrus *Cons* 41 *lib.* 5 *De Pænitem & Remiss* Alii octo, vel decem dierum, Ut Suarez, Henriquez, & alii apud Dianam Veterem *part* 2. *tract* 14. *resol.* 77.

P quæ

*quæ in Coordinato est tom 2. tract 2. resolut.* 85 Alii dierum sex Posservin. *de Offic. Curati cap 8. num. 21.* Jordan *tom. 1 lib 3. tit 3 num* 28 Trium autem dierum intercapedinem requirit Diana, itaut si infirmus non jejunus fuit communicatus ob periculum mortis feria secunda, durante eodem periculo possit iterum communicari feria quinta non jejunus ( esto quod jejunus non possit Sacram Communionem recipere, quia si posset ante cibum Communicari jejunus, cessaret disputatio ) Ita Diana *par 9. tract 9. resol. 48 aliàs 47 quæ in Coordinato est d. tom 2. tract 2. resol 87* Fundatur Diana in illis verbis Ritualis Romani *De Com Infir. Si æger sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.* Nam pluralis loquutio duorum numero est contenta *cap Pluralis 40. de Regul Jur. in6* Gloss *in cap Is cui §. 1 de Præben eod lib* Dianam sequitur Volpi *V Eucharistia resol 59 num 12.*

Nihilominus plurimorum Doctorum, infra citandorum Sententia pissima tenet, quod altera die à Sacro Viatico per non jejunum infirmum recepto, si durer idem mortis periculum, possit idem infirmus Sanctissimam Eucharistiam, quamvis non valeat servare jejunium ante Communionem, recipere; & sic quod liceat Parocho etiam quotidie infirmum prædictum non jejunum per Viaticum communicare; talis enim præsumitur mens Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ sciens de hora in horam à Medicis demandari remedia sumenda pro viribus corporis resocillandis, noluit hac de causa filios suos, adhuc in periculo mortis exstantes, privari excellenti subsidio Communionis Sacræ, ad pugnandum cum hoste maligno, & ad arripiendum tutò iter æternitatis, ut ostendit in Verbis præscriptis pro Communicando infirmo per Viaticum, scilicet *Accipe Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste Maligno, & perducat in Vitam æternam.* quæ Verba non sunt omittenda à Sacerdote, Communionem per Viaticum præbente, quia valdè sunt proficua ex opere operantis, tanquam ab Ecclesia ordinata, movente, & docente illam Spiritu Sancto, ut ex Tamburin *De Sacrif Missæ, & ex Quarto in Quæst Proemiali sect 5* observat Emin. Card Brancatius *in cit Opusculo De Sacro Viatico pag 156.* ubi tuetur supradictam opinionem communicandi etiam quotidie infirmum non jejunum in articulo mortis, non solum rationibus, sed exemplo R P. Joannis Everardi Nitdardi, ( postea Generalis Societatis Jesu ) qui Regi Hispaniarum Philippo IV diù in periculo mortis versanti, & jejunium non valenti servare, quotidiè Sacrum Viaticum Regiæ illi Personæ, devotissimè poscenti, & recipienti, licet non jejunæ, ministrabat Igitur hanc opinionem Emin Card Brancatii *in d opusculo de Sacro Viatico*, amplectuntur Emin Card de Lugo *De Sacram Euchar disp 16 num. 42.* Layman *lib 5 tract 4. cap 6 num 20.* Castropalaus *tom. 4 tract 21 disp Unica Punct 13 num. 14.* Hurtadus, Baunius, Leander, Escobar, Basseus, & Serra, quos citat Diana *d par 9 tract 9 resol 48 num. 1* Quibus adhærent Quintanadven *in Theolog Morali tom 1 tract 4 singul 14. num 5* Tamburin *in Methodo Exped Com cap 5 § 11 num 24* & Gobat (qui etiam allegat Decastillum) *tract 4. d num 315 & seqq De Euchar* & novissimè Philippinus *de Privil Ignor. tom. 2 Append ad cap 23 Privil 1.*

Neque subsistit fundamentum, in quo pedem fixit Diana, idest, Verba illa Ritualis Romani, *Si æger sumpto Viatico dies aliquot vixerit &c* quorum verborum vi, duos, vel tres dies censuit esse expectandos Nam Emin Card Brancatius *in d Opusculo pag 158* respondet Rubricam illam esse directivam, non præceptivam, & sic non obligare ad expectandum transitum duorum, vel trium dierum, ut iterum æger in periculo mortis perseverans non jejunus communicetur Ultra quam responsionem, salvo semper obsequio debito eminenti doctrinæ ejusdem Eminentissimi Auctoris, mihi videtur dicendum; Verba illius Rubricæ non

obsta-

obstare; quia loquuntur de Communione danda ægro jejuno, & sic non tangunt casum nostrum. Quod autem hoc sit verum, constat consideranti eamdem Rubricam, quæ hortatur Parochos, ut sint diligentes in communicandis infirmis, utique jejunis, nam de non jejunis paulò inferius loquitur. Itaque vult Rubrica, quod Parochi dent Eucharistiam per modum Viatici ægris, cum probabile est, quod eam amplius sumere non possint, idest cum illis Verbis *Accipe Viaticum &c.* tanquam proficuis, & majorem devotionem excitantibus, ut diximus supra. At supponit Rubrica, eosdem infirmos posse ante cibum jejunos communicari, & inde sequitur, quod si infirmi vixerint per aliquot dies, vel periculum mortis evaserint, & pro devotione cupiant iterum jejuni communionem, Parochi non recusent, eam illis deferre; scilicet servato jejunio, aliàs sequeretur absurdum, quod etiam extra periculum mortis possent non jejuni communicari. Igitur non obstant illa Verba *per aliquot dies*, quia concernunt communionem faciendam quidem ab infirmo, per modum Viatici, & in periculo mortis, sed valente servare jejunium, reiterandam etiam post aliquot dies, si vixerit, vel si periculum evaserit, servato semper jejunio. De non jejuno autem Communicando loquitur Rubrica in Verbis illis sequentibus. *Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis*; quibus licet non jejunis, durante eodem periculo imminentis mortis, si ita exigat eorum pietas, & devotio, posse pluries, & per singulos dies Sacrum Viaticum ministrari, firmat resolutio propositi casus de Moniali in eodem periculo diù perdurante.

## DECISIONIS XX.

### Ad Aprilis Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Quærit, & decidit, an meliùs sit communicare fideles adstantes Missæ, ea completa? an statim post Communionem Sacerdotis.

### SUMMARIUM

1. *Fideles olim communicabantur in Missa statim post Communionem Sacerdotis.*
2. *Communio in Missa danda est populo statim post Sacerdotis Communionem.*
3. *Confratrum spiritualium mos communicandi in Missa.*
4. *Dictio* Quandoque *significat* aliquando, *non passim, sed ut minus.*
5. *Communio quibus in casibus danda populo, non in Missa, sed extra.*

## CASUS PRUDENTIALIS.

*An melius sit, Laicos Communicari à Sacerdote celebrante statim post ejus Communionem, an tota Missa completa?*

Sciendum pro responsione, quod de Jure antiquo fideles recipiebant Sacram Communionem in Missa, statim ac celebrans seipsum communicaverat, quod 1 censetur habuisse originem à Sanctis Apostolis, & ideò fuit instituta Antiphona illa in quacunque Missa, quæ vocatur *Communio*, decantanda cum psalmis à choro, donec administraretur Sanctissima Eucharistia fidelibus laicis, qui Missæ astabant, & cum cœpisset refrigescere fervor ille, qui vigebat in primis Ecclesiæ sæculis, circa frequentem participationem Sacræ Synaxis in Missa, emanarunt decreta obligantia fideles astantes, ut communicarent, de quibus in *cap. Omnes fideles. 62. de Consecr. dist. 2. cap. Peracta* 10. *& cap. Tribus gradibus* 23 *de Consecr. dist. 2.* Et de more prædicto antiquissimo communicandi fideles in Missa, statim post Communionem celebrantis, concludentia testimonia SS. Patrum allegant Emin. Cardin. Bona *Rerum Liturgicar. lib. 2. cap.* 17 Joan. Ciampinus *de Azymo & Fermentato cap.* 22. & Joan. Mabilon *in Liturgia Gallicana*

 lib. 1.

*lib 2 cap 9 num. 26* subdens, quod antiquitùs, (ut notavimus supra) *Ex asservata Eucharistia soli communicabant infirmi, non sani, quibus vix unquam extra Missam Communio à Sacerdote porrigebatur*.

Novissimo autem jure, emanante ex *Rubrica Ritualis Roman De Sacramento Eucharistiæ*, datur celebrantibus Sacerdotibus præceptum circa Communionem astantium his Verbis: *Communio autem populi intra Missam, statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent*. Et hoc idem ordinatur in Rubricis Missalis *De ritu servando in celebratione Missæ cap 10. num 6*.

His stantibus, melius esse videtur communicare populum statim post communionem Sacerdotis, more antiquo, ut sen-

2 tit Eminentiss. Cardinalis Brancatius in *c. t. opusc. De Sacro Viatico pag. 257* ubi ait: *Damnandi nostra sententia videntur Sacerdotes illi, qui contra Ritualis præscriptum, in titulo De Communione, præbent absque necessitate populo Sacram Eucharistiam in fine Missæ, privant enim fideles illis precibus, quas post Communionem Ecclesia recitari jubet, quæque non solum ad celebrantem, sed etiam ad cæteros communicantes aperte spectare noscuntur*. Et sententiæ doctissimi hujus, ac Eminentissimi Doctoris, ac purpurati consimilis est etiam opinio Macri *in Hierolexic Verb. Communio*, ita scribentis: *Communio ita appellatur Antiphona posita in Missa, quæ canebatur in Choro, dum distribuebatur Eucharistia fidelibus, à D Gregorio instituta. Gem. lib 2. cap. 90. dicitur etiam Transitorium. Vide suo loco. Quare contra Rubricam abusus invaluit Communionem post Missam, velanie eam facere, nulla urgente necessitate*.

Cæterum inficiari nemo potest, quod in Rituali Romano datur Regula cum sua exceptione. Regula est, ut populus communicetur intra Missam statim post

3 communionem Sacerdotis, & ita servatur in Oratoriis plurium Confratrum spiritualium, qui post exercitia devota audiunt Missam, & communicant in ipsa, & præcipuè in Oratorio SS Hieronymi, & Philippi Nerii hic Paravii, in quo singulis festivis diebus communicantur centum circiter Viri summæ pietatis, & devotionis; & idem faciunt non pauci Parochi in Villis, qui, auditis confessionibus suorum Parochianorum à summo mane usque ad horam celebrandi Missam, in ea eosdem communicant statim post suam Communionem præcipuè in solemnioribus diebus.

At hæc regula habet suam exceptionem ab eodem Rituali Romano insinuatam in illis Verbis *Nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda* scilicet Communio populi. Verbum *quando-*

4 *que* significat *aliquando*, non passim, sed ut minus, & per viam exceptionis à Regula stante in contrarium. Menoch *cons. 99. num 157* Barbos. *Dict. 309. num 1*.

5 Causa autem rationabilis reputatur, si plures audiant Missam, qui non sint communicaturi, & eos tædere possit longioris moræ resultantis ex eadem communione populi, ut notant *Quartus in Rubr Miss part 2. tit 10. sub num. 6* & Gavant *in d. Rubr part 2. tit 10. num parvi 6*. Quapropter non est angustiandum arbitrium Celebrantis, qui juxta locum, tempus, & concursum fidelium, pro sua prudentia poterit vel differre Communionem populi post Missam; vel eam intra Missam exequi, statim post Communionem suam, reflectendo tamen ad Rubricam Ritualis Romani, statuentis pro Regula, & ut plurimum, Communicandos esse fideles in Missa; sed post Missam, ut minus, & per viam exceptionis, aliqua rationabili causa concurrente. Ideircò si sit dies destinatus ad generalem populi communionem, & major pars populi astantis Missæ Parochiali parata sit recipere Sacram Synaxim, melius erit, & melius faciet celebrans, si statim post suam Communionem communicaverit populum; quod si talis dies non occurrat, & major populi pars non sit communicatura, sed

finito

finito Sacro ad suas reversura domos, poterit Sacerdos completa Missa communicare communicandos, ne cæteros, forsan advenas, vel iter agentes tædeat dilationis, expectantes Missæ complementum.

## DECISIONIS XXI

Ad Maii Primum Quæsitum.

## ARGUMENTUM.

Declarat, quid sit Transubstantiatio, quæ fit in consecratione EUCHARISTIÆ! Docetur, esse necessaria quatuor requisita pro conversione unius substantiæ in alteram. Eaque Philosophicis; & Theologicis terminis explicantur.

## SUMMARIUM

1 *Transubstantiatio in consecratione Eucharistiæ quid sit?*
2 *Transubstantiationis Eucharisticæ requisita quatuor.*
3 *Transubstantiatio differt à productione, seu creatione. & à desitione, seu annihilatione.*
4 *Desitio substantiæ panis, & vini fit in Transubstantiatione Eucharistica.*
5 *Lutherana Hæresis docere impanationem in Eucharistia.*
6 *Connexio est inter desitionem substantiæ panis, & positionem Corporis Christi in Eucharistia. Et qualis?*
7 *Transubstantiatio requirit aliquid commune inter terminum à quo, & terminum ad quem.*
8 *Panis, & Vinum transubstantiatur in Eucharistia Syncategorematicè.*

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quid sit Transubstantiatio, quæ fit in consecratione Eucharistiæ?*

Dictum fuit: *Transubstantiationem Eucharisticam esse transitum substantiæ Panis, & Vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI.* Siquidem vi verborum, quæ proferuntur in consecratione Panis, & Calicis, fit conversio totius substantiæ ejusdem Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem CHRISTI, quæ conversio appellatur *Transubstantiatio* à Concilio Roman. sub Gregorio VII & Nicolao III. à Lateranense sub Innocentio III à Constantiense *sess.* 8. & à Tridentino *sess.* 13. *cap.* 4. ibi: *Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem Panis, & Vini conversionem fieri totius substantiæ Panis in substantiam Corporis CHRISTI Domini Nostri; & totius substantiæ Vini in substantiam Sanguinis ejus, quæ conversio convenienter, & propriè à Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.* [1]

Porrò ad majorem tanti Misterii intelligentiam sciendum est, quatuor esse requisita necessaria conversionis unius substantiæ in alteram, quæ quidem omnia breviter recensenda sunt, siquidem omnia interveniunt in Eucharistica Transubstantiatione. [2]

Primum requisitum est, ut conversio sit inter duos terminos positivos, quorum unus habeat rationem termini *à Quo*, alter termini *ad Quem*, quorum terminorum vigore conversio differt tum à productione, seu creatione, tum à desitione, seu annihilatione. Nam in productione, & creatione reperitur terminus positivus, qui incipit, non tamen positivus, qui desinit. Et è contra in desitione, & annihilatione est terminus positivus, qui desinit; non tamen alius, qui incipit. Hi duo termini interveniunt in Eucharistica Transubstantiatione, quæ, ut diximus, est vera conversio substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini; nam terminus *à Quo* [3]

est de-

est desitio substantiæ panis, & vini, terminus *ad quem* est inceptio substantiæ Corporis, & Sanguinis Dominici. Hinc desitio panis, & vini non potest dici annihilatio: quia panis, & vinum non desinunt in purum nihil, sed remanentibus accidentibus, substantia panis convertitur in Corpus Christi, & substantia vini in ejus Sanguinem. Similiter in Eucharistia Corpus Christi non potest dici productum, seu creatum, quia in ea incipit esse ob desitionem panis, juxta ordinem à Deo statutum, ut ex vi desitionis panis incipiat esse Corpus Christi sub ejus accidentibus, & ut cum desitione vini coninnctus sit Sanguis Christi. Ita Mastrius *in 4. Sent. De Venerabili Eucharistiæ Sacramento disput. 3. quæst. 12. à num. 275. & seqq.* ubi *num. 278.* ostendit, posse desitionem panis, & vini in Eucharistica transubstantiatione impropriè vocari annihilationem, eo quia in ea terminus *ad Quem* potest considerari dupliciter, *Negative*, & est nihil sui: *Positivè*; & est entitas, vel positio Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Ratione termini *negativi*, panis, & vinum annihilantur, & dici potest annihilatio. Ratione termini *positivi* panis convertitur in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem, & dicitur Transubstantiatio, quod etiam concedit Eminentiss. Card. de Lugo *De Eucharistia disp. 7. sect. 12.*

Secundum Requisitum veræ conversionis est, ut terminus *à Quo* secundùm eam rationem, qua in aliud convertitur, desinat esse, quod enim convertitur, transit in id, quod convertitur, & non fieret conversio, si id, quod convertitur retineret suum esse, & non desineret esse, nunquam enim album diceretur in nigrum converti, nisi desineret esse album; quamvis tum Theologi, tum Philosophi sint discordes in definiendo, an hæc desitio termini *à Quo* debeat esse simpliciter, vel secundùm quid? ut videri potest apud eundem Cardin. de Lugo *disp. 7. sect. 1. num. 10.* & Mastrium *in Physic. disp. 11. quæst. 9. num. 141. & in 4. Sent. dict. disput. 3. num. 280.* Quidquid sit de hac formalitate desitionis, certum est, & de fide, in Eucharistica Transubstantiatione desinere omninò substantiam panis, & vini, & esse hæresim Lutheranam, impanationem appellatam, asserere, quod una cum Corpore, & Sanguine Christi in Eucharistia sit substantia panis, & vini, contra quam novissimè arguit P. Richard Arsdekin *in Theologia Tripartita tom. 1. tract. 2. cap. 4.*

Tertium Requisitum est ad veram conversionem, ut inter desitionem termini *à Quo*, & positionem termini *ad Quem* sit aliqua connexio, vel physica, vel saltem moralis, ita ut una ex altera aliquo modo sequatur, oportet enim, quod res, quæ recedit, & desinit, recedat, & desinat ex vi introductionis, & inceptionis alterius; & è contra, quod res, quæ accedit, & incipit, accedat, & incipiat ex vi desitionis alterius. Hoc pariter habetur in Transubstantiatione Eucharistica, in 6 qua ideo cessat entitas panis, & vini ad prolationem Verborum consecrationis, quia eorum virtute statim incipit esse Corpus, & Sanguis Christi, ut docuimus supra *in Quæsitis mensis Aprilis.*

Quartum denique requisitum, secundùm aliquos Theologos, est, quod ad veram conversionem detur aliquid commune utrique termino *à Quo, & ad Quem*, quod idem perseveret cum utroque; ut docet Emin. Cardin. de Lauræa *De Eucharistia disp. 20. art. 2. num. 26.* secundùm cujus opinionem in Eucharistica Transubstan- 7 tiatione accidentia panis, & vini videntur adimplere hoc requisitum, cum in eadem superficie perseverent sub utroque termino. At hoc necessarium non esse opinatur Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 3. num. 288.* cum Gavatio, & Rada *ibi allegatis*, subdens, quia, etiamsi accidentia panis, & vini converterentur in Corpus, & Sanguinem Christi; esset vera conversio, & Transubstantiatio.

Colligitur ex his, in Eucharistica Transubstantiatione destrui totum panem, & totum vinum, non solum quo ad materiam, & formam, sed etiam quo ad existentiam, & subsistentiam, & subinde totum panem, & totum vinum syncategorematicè, idest secundùm omnes

8 nes suas partes, transubstantiari, & converti in Corpus, & Sanguinem Christi, *cap. Firmiter. §. Una verò, De Summa Trinit. cap. Quia corpus 135. De Consecr. dist. 2. & cap. Panis 155. ead. Concil. Trid. d. sess. 13. De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento can. 2. & can. 3.* Utrum autem Transubstantiatio dicenda sit *Productiva*, vel *Conservativa*, vel *Adductiva*, seu per quam actionem ipsa fiat; non levis est controversia apud Scholasticos, de qua disputant S. Bonavent. Bellarmin. Vasquez, Beccanus, & alii apud Mastrium *d. disput. 3. art. 2.* & Emin. Card. de Lauræa *dict. disp. 20. art. 7. & art. 8.* ad quos studiosi recurrant.

## DECISIONIS XXII.

### Ad Maii secundum Quæsitum.

### ARGUMENTUM.

Quærit, & resolvit, an in EUCHARISTIA simul cum Christo sit Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

### SUMMARIUM.

1. *Trinitatis personæ sunt omnes in qualibet re creata per essentiam, præsentiam, & potentiam.*
2. *Corpus, & Sanguis Christi continetur sub utraque specie, aut vi verborum, aut per concomitantiam.*
3. *Pater, & Spiritus Sanctus quomodo sint in Eucharistia?*
4. *Pater, & Spiritus Sanctus non suppositant Humanitatem Christi.*
5. *Verbum Divinum est in Eucharistia per immediatam concomitantiam ob unionem hypostaticam cum Christi humanitate. Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam mediatam.*
6. *Panis non potest transubstantiari in Divinas Personas.*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*An cum Christo in Eucharistia sit etiam Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus?*

Dictum fuit. Primò, esse de fide, quod omnes tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus reperiuntur in omni re creata, sivè materiali, sivè spirituali per essentiam, præsentiam, & potentiam, juxta illud Jer. 23. *Cælum, & Terram ego impleo, dicit Dominus*, & Act. 17. *Non longè est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Hoc enim est proprium suæ immensitatis, de qua S. Augustin. *lib. 5. de Trinitate cap. 1. Deus ubique est, sine ullo situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loco ubique totus.* Et quidem non circumscriptivè, neque definitivè, sed alio perfectiori modo, licet inexplicabili. Abelly *par. 1. tract. 2. cap. 2. sect. 6.* Secundò, pariter de fide esse, quod omnia, quæ pertinent ad Christi constitutionem, & integritatem, nimirum Corpus, Sanguis, Anima, Divinitas, & subsistentia, idest Persona Verbi Divini, verè, & realiter contineatur sub 2 utraque specie Panis, & Vini, vel vi verborum, vel ob concomitantiam, idest naturalem connexionem, quæ inter se habent, ut declaravit Concil. Triden. *sess. 13. cap. 3.* adeout vi verborum Corpus contineatur sub speciebus panis; & Sanguis sub speciebus vini; cetera verò sub utraque specie per concomitantiam. Gonet *tom. 5. tract. 4. De Eucharist. disp. 5. art. 1.* Tertiò, esse communem omnium Theologorum sententiam, quod Pater, & Spiritus Sanctus sunt in Eucharistia non solum per attributum immensitatis, & per Dei illapsum in omnia creata, sed etiam alio quodam speciali modo, tum quia ibi assistunt cum Filio ad operandos effectus mirabiles gratiæ, tum etiam quia Pater, & Spiritus Sanctus existunt in Filio specialiter propter Divinarum Personarum inseparabilitatem, & mutuam 3 unius in alteram existentiam, quam

Græci

Græci περιχώρησιν apellant, Latini verò *Circumincessionem*. Gonet. *dict. art. 1. num. 17.* Suarez *De Eucharistia quæst. 75. disp. 51. sect. 6. art. 1.*

His præmissis pro casus resolutione alii responderunt, Patrem, & Spiritum Sanctum unà cum Verbo per concomitantiam, esse in Eucharistia, juxta opinionem Bonacinæ *tom. 1. de Sacramentis disp. 4. quæst. 3. punct. 5. propos. 4. num. 16.* Emin. Card. de Lugo *De Sacramento Euchar. disp. 8. num. 125.* ubi hæc verba: *Restat difficultas, an Pater, & Spiritus Sanctus sint etiam in hoc Sacramento? In quo, licet aliqui minus formidaverint dicentes, solùm Christum esse in hoc Sacramento; non tamen videtur dubitandum, quin etiam aliæ Personæ adsint, non solùm ut in aliis rebus, sed speciali titulo propter conjunctionem cum Verbo: nam sicut unio animæ cum corpore sufficit, ut, posito Corpore Christi, ponatur etiam anima per concomitantiam: cur etiam non dicimus, adesse per concomitantiam personam Patris, & Spiritus Sancti, cum adsit Divinitas, quæ cum illis non solum unitur, sed realiter identificatur.*

Nihilominùs alii negarunt cum Alvarezio, Ledesma, Nunno, Serra, & aliis Thomistis, quos citat, & sequitur Gonet. *d. tom. 5. De Euchar. tract. 4. disp. 5. art. 2. num. 16. & 17.* ubi concedit quidem, Patrem, & Spiritum Sanctum esse præsentes in Eucharistia tum ratione immensitatis divinæ, tum specialibus modis supradictis, præcipuè ob inseparabilitatem Divinarum Personarum cum Verbo, sed contendit, ex illa speciali præsentia non posse inferri ad concomitantiam Sacramentalem; ea ratione, quia, ad hoc ut aliquid sit in hoc Sacramento per concomitantiam, requiritur, ut in unitate suppositi uniatur cum humanitate Christi, & ideo cum Pater, & Spiritus Sanctus non supposítent humanitatem Christi, neque uniantur unitate suppositi ejus Corpori, & Sanguini, non continentur in Eucharistia per concomitantiam Sacramentalem, prout continetur Verbum, quod hypostaticè est unitum cum Corpore, & Anima Christi. Hinc est, quod cum Eucharistia sit etiam Sacrificium, dicimus in altari offerri, & sacrificari Filium Dei, non autem Patrem, & Spiritum Sanctum.

4

Videntur tamen concordandæ hæ opiniones, quæ discrepant in solo modo loquendi, si dicamus, Verbum Divinum esse per concomitantiam immediatam in Eucharistia ob unionem hypostaticam cum Christi humanitate, At Patrem, & Spiritum Sanctum per concomitantiam mediatam, quatenus scilicet sunt uniti, & consubstantiales ipsi Verbo; ut distinguit Gabriel *in Canone lect. 42. propos. secunda*, Suarez *De Euch. dict. quæst. 75. disp. 51. sect. 6. art. 1. Vers. Quarto, & ultimo.* Et Lessius *in Opere posthum. in 3. par. quæst. 76. art. 2. num. 9.*

5

Verùm an Panis possit transubstantiari in Deitatem, & sic in Divinas Personas, ut transubstantiatur in Corpus Christi? Disputat Gandavensis *Quodlib. 11. quæst. 4.* & Zuccolius Camaldulen. ubi resolvunt quæstionem negativè ex pluribus, sed præcipuè, quia id, quod est finitum non potest transubstantiari in id, quod est infinitum.

## DECISIONIS XXIII.

Ad Maii Primum Casum.

### ARGUMENTUM.

Continet, an Parochus teneatur communicare vulneratum vulnere mortali, qui pridie communicatus fuerat? Item alium, qui eodem mane sacram Communionem receperat? Referuntur contrariæ DD. opiniones, & conciliantur.

### *SUMMARIUM.*

1. *Eucharistia toties ministranda petentibus, quoties illam rationabiliter, & devotè petunt.*
2. *Viaticum est dandum existenti in periculo mortis,*

*mortis, qui pridie sanus communicaverat*

3 *Praecepto non satisfacit, agens quod est in praecepto ante tempus Praecepti*

4 *Audiens Missam die festo, ignorans esse diem festum, an satisfaciat Praecepto?*

5 *Communicare non licet bis eodem die.*

6 *Communicandus est per Viaticum moribundus, licet sanus eodem die communicasset*

7 *Communicandus an per Viaticum eodem die infirmus, qui manè communicavit?*

## PRIMUS CASUS.

*Igneis globulis duo mortaliter feriuntur; quorum unus eadem die, alter pristina communicaverant. Quaeritur, an Parochus debeat statim utrisque Communionem deferre?*

Cum duo sint vulnerati, qui proponuntur in casu, etsi ambo mortaliter, unus autem illa die receperit ex devotione Sanctissimam Communionem, alter verò die praecedenti, pro resolutione opus est loqui prius de uno, postea de altero.

Quo ad vulneratum, & communicatum antecedenti die, vel quaerimus, an Parochus licitè possit Sacram Eucharistiam ei dare, vel etiam an teneatur, itaut si ipse Parochus omittat absque legitimo impedimento eumdem vulneratum communicare, peccet mortaliter? Circa primam partem quaesiti, adhuc subdistinguendum; vel ipse vulneratus nondum cibum accepit, & est jejunus, & absque dubio Parochus potest ei sacram communionem praebere, si plagatus sit dispositus, praevia sacramentali confessione, aut reconciliatione, reverenter illam suscipere, siquidem toties est administranda petentibus, quoties illam devotè, & rationabiliter petunt: Navar *in cap. Placuit. num.* 152. *de Paenitent. dist.* 6. Bonacina *de Sacram. disp.* 4. *quaest.* 5. *punct.* 1. *num.* 15. Barbosa *de Paroch. cap.* 20. *num.* 15. Aut vulneratus non est jejunus, & vulnus non solùm est mortale, sed dubitare facit, proximam esse mortem, itaut moraliter judicando, expectari non possit sequens dies, & in hoc casu non solùm Parochus poterit illum communicare per Viaticum. Summa Diana *Verb. Communio num.* 49. Barbosa *d. cap.* 20. *num.* 37. Bonacina *d. disp.* 4. *de Eucharistia quaest.* 6. *punct.* 2. *num.* 21. sed etiam tenebitur, & erit obligatus ad illum communicandum, ut satisfaciat praecepto divino de communione recipienda in periculo mortis, licet enim controvertant Theologi, & Moralistae, utrum huic praecepto satisfactum sit per communionem receptam paulò ante quàm homo incurrerit in periculum mortis? ut disputat Vasquez *de Euchar. disp.* 214. *cap.* 2. Henriquez *eod. tract. lib.* 8. *cap.* 4. *litt.* P. & Emin. Card. de Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 16. *à num.* 36. *& seqq.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 40. *& p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 42. *quae resident in Opere Coordinato tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 71. *& 72.* qui omnes, cum aliis per eos citatis, tenent; per communionem paulò ante periculum mortis factam satisfactum esse praecepto de sumendo Viatico. Nihilominùs securior videtur opinio contraria, ea ratione quia nemo potest satisfacere praecepto faciens id, quod praeceptum est, ante tempus positum in praecepto, ut patet in illo, qui jejunaret ante diem vigiliae, vel audiret Missam ante diem festivum, vel recitaret Officium Divinum pridie quàm acciperet ordinem Subdiaconatus. Turrianus *in Summa par.* 2. *cap.* 58. *dub.* 2. *num.* 3. Ochagavia *de Eucharistia quaest.* 14. *num.* 7. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 33. *reposita in Coord. d. tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 74. *num.* 2. Leander *de Euchar. tract.* 7. *disp.* 2. *quaest.* 6. & alii, quos allegat & sequitur *Compilator Colleg. Salmanticen. tom.* 10. *De Sacram. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 7. *&* 8. ubi respondet argumentis contrariis. Et hanc nostram opinionem amplectitur etiam Emin. Card. de Laurea *de Euchar. d. disp.* 25. *num.* 50. ubi rationem reddens ita scribit: *Quod praecipitur in aliquo tempore implendum ex circumstantia aliqua, impleri non potest in alio tempore; si enim praecipitur jejunium pro die Veneris, non implet praeceptum, qui jejunat die Jovis.*

Quo verò ad alium vulneratum mortaliter, qui eadem die communicaverat, majus dubium videtur esse, nam in eo non militat supradicta ratio, & cum communionem sacram receperit die illo, censetur satisfecisse præcepto de sumendo Viatico pro periculo mortis, etsi non habuerit intentionem satisfaciendi huic 4 obligationi, exemplo ejus, qui audisset Sacrum in die festo, ignorans tunc esse Festum, talis enim non teneretur eodem die iterùm aliud Sacrum audire, postquam cognoverit, esse diem festum. Præterquamquod finis præcepti est, ut homo communionem sacram suscipiat pro Viatico, imminente tempore mortis, ne imparatus discedat ex hoc mundo, cui sanè censetur satisfactum per communionem sumptam illo die, tametsi non cogitaverit de morte, siquidem omnis homo prudens facit opera sua, ut satisfaciat suis obligationibus, quamvis præcisum reflexum ad illas non habeat, ut ratiocinantur DD decem cumulati per Dianam *par. 5 tract. 3 ref. 33 transcripta in Coordinato d. tom. 2. tract. 2. resol. 74.* quibus adstipulantur etiam Tamburin. *de expedita Commun. cap. 5 §. 6.* Franciscus de Lugo, *de Sacramen. lib. 4. cap. 19 quæst. 4. à num. 23.* & Emin. Card. de Lugo *de Euchar. d. disput. 16 num. 55* ubi argumentatur tum ab inconvenienti, quod sequeretur, si vulnus fuisset illatum paulò post communionem acceptam, esset enim iterùm communicandus ipse vulneratus, modico temporis spatio inter utramque communionem interveniente, tum a prohibitione, quam habemus in Jure Canonico, ne quis communicet bis in eodem die 5 *cap. Sufficit. de Consecr. dist. 2. cap. Consuluisti. De Celebrat. Missar.* S. Thomas 3. *p. quæst. 80. art. 11.*

Nihilominus, vulneratum nostrum posse, imò debere à Parocho iterùm Sacram Eucharistiam per Viaticum sumere, contrariam opinionem supradi- 6 ctæ amplectens, & defendens ex professo docet Diana *par. 5 tract. 3 ref. 33* Quæ sedet in Coordinato *d. tom. 2. tract. 2. ref. 74. §. 2.* ubi respondet argumentis contrariis, dicendo, præceptum Divinum de Communione sacra sumenda in articulo mortis præponderare, & prævalere præcepto Ecclesiastico de non communicando bis in die, & non jejuné, cui quidem Præcepto Divino non fuit satisfactum per præcedentem Communionem, etsi illo die factam, cum eo tempore non advenisset periculum mortis, & voluntas non extitisset adimplendi hanc obligationem; debet enim satisfactio fieri in tempore præscripto, & cum explicita voluntate, neque paratus dici potest ipse moriturus ex præcedenti communione, quia illam recepit non pro Viatico, & pro discessu ex hoc mundo. Hanc opinionem confirmat Diana etiam *part. 6. tract. 6 ref. 18. & par. 10. tract. 11 resol. 40.* quarum prima in Opere Coordinato est *d. tom. 2. tract. 2. ref. 75* secunda verò *ibid. resol. 81* in quibus allegat concordantes Hurtadum, Turrianum, Ochagaviam, Megalium, Bressium, Martinum à S. Joseph, Leandrum, Pellizzarium, Quintanadvenam, Ludovicum à S. Joanne, & Dicastillum. Quibus ego addo Nicolium *in Flosculis Verb. Eucharistia num. 12.* & Collegium Salmanticen. *d. tom. 10. De Sacramentis in genere tract. 4. cap. 8. n. 8.* ubi notatur, dici posse, secundam Communionem parum distare à prima respectu temporis, sed non parum distare quo ad obligationem, & præceptum de sumendo Viatico, cui per primam, ex sola devotione factam, non fuit satisfactum; & subdit ibidem duo exempla Patrum Societatis Jesu, scilicet P. Gasconis, & P. Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis, qui etsi manè celebrassent, & Sacram Eucharistiam recepissent, vespere ejusdem diei, cum in periculum mortis ex morbo inopinato incidissent, iterùm Sacrum Viaticum devoté sumpserunt, quod etiam testatur P. Diana *in cit. resol.* etsi P. Claudium Aquavivam manè non celebrasse, sed communicasse ex devotione, cum esset infirmus, & ingravescente morbo, cum evidenti periculo mortis, post mediam noctem subsequentem sumpsisse Sacrum Viaticum scribat Gobat *in Theolog. Experiment. Sacrament. d. tract. 4 num. 177.*

Quid igitur dicendum in hac controversia?

versia? Quid tenendum, cum hinc inde sint rationes, & Doctores gravissimi, sibi ipsis invicem contrarii? Quibus adhærendum? En prudens, docta, & in praxi observanda distinctio, quam (recedendo à sua prima opinione negativa) ponit 7 Tamburin. in cit. *Opusculo de Expedita Commun. cap. 5. § 6. in fine*, his verbis: *Vel manè quis communicavit benè valens; & deinde incidit in morbum periculosum, itaut credatur non porrecturus vitam ad diem sequentem, & hanc iterum posse eodem illo die, immò debere communicare per Viaticum probabile erit ex auctoritate tot Doctorum, nec aliud ipsos velle, si eorum verba, & rationes perpendantur, existimo. Vel manè quis dum laboraret periculoso morbo, pro quo si illud periculum advertebatur, poterat ei dari (Viaticum) ipse tamen communicavit ex devotione, & hunc non posse iterùm eodem die communicare, si recrudesceat tunc morbus, ob quem judicetur eodem die moriturus, constanter affirmo. Et de hoc casu ego sum locutus in hoc num. 10. locutus enim sum de eo, qui communicavit in manè (infirmus) deinde incidit in periculum. Ratio utriusque partis distinctionis est, quia in priori casu, (scilicet sanitatis) ex probabili sententia non est satisfactum præcepto communicandi in periculo mortis; ille enim in periculo non erat, quando (sanus) communicavit. At in posteriori casu satisfactum est, quia jam erat in periculo, quamvis non putaretur esse, vel quamvis cum ea intentione non communicaverit. Sicut si manè diei festi audis Sacrum, licèt nescias illum esse diem festivum, satisfacis præcepto, quia tunc rem præceptam jam implevisti, neque Missam aliam teneris audire post scientiam Festi, ut alibi docuimus in Decal. lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 18. Ecclesia enim præcipit auditionem Missæ simpliciter, non intentionem satisfaciendi præcepto.* Igitur cum percussus in nostro casu igneis globulis communicasset eadem die, non infirmus, sed sanus ex simplici devotione, erit iterùm statim à Parocho communicandus, etsi non jejunus, & per Viaticum, si periculum mortis immineat.

## DECISIONIS XXIV

Ad Maii secundum Casum

## ARGUMENTUM.

Examinat, an licitè quis recipiat Communionem Paschalem in Ecclesia Regularium, Parocho invito? Agitur de Præcepto Communionis Paschalis, & de Privilegiis Regularium circa administrationem Sacramentorum. Resolvitur Casus negative.

## *SUMMARIUM.*

1. *Fideles olim tenebantur audire Missam in propria Parochia, & ibi recipere Sacramenta.*
2. *Monachi, & Regulares, olim non ordinabantur Sacerdotes, & erant subjecti Parocho loci, ac Episcopo in omnibus, & per omnia.*
3. *Monachi, atque Regulares, licet olim fierent Sacerdotes, nulla Sacramenta administrabant laicis.*
4. *Familiarum appellatione apud Regulares veniunt servientes, & degentes in eorum claustris die, ac nocte.*
5. *Eucharistia olim ter in anno sumenda erat de Præcepto. Nunc semel in Paschate.*
6. *Paschatis tempus pro Præcepto Communionis adimplendo, quale sit?*
7. *Parochus potest prorogare tempus Paschatis pro præcepto Communionis adimplendo.*
8. *Monachis injunctum est Præceptum de Communicando semel in mense, ac etiam Clericis.*
9. *Regulares administrant Sacramentum Eucharistiæ laicis ex Privilegiis Apostolicis toto anno, excepto Paschate Resurrectionis.*
10. *Regulares ministrantes Eucharistiam laicis in Paschate incidunt in excommu-*

*nicationem Papalem, & possint ab Episcopo suspendi à Divinis.*
11 *Privilegia, quæ derogant juri communi, debent strictè interpretari.*
12 *Laicus communicans in Pascha in Ecclesia Regularium non satisfacit Præcepto, & peccat mortaliter.*
13 *Regularis Communicans Laicum in die Paschatis peccat mortaliter.*
14 *Suppositio in re prohibita non sufficit, sed opus est certitudine.*
15 *Laici infesti sunt Clericis.*

## CASUS SECUNDUS.

P*Arochianus Parocho non benevolus communionem Paschalem in Ecclesia Regularium recipit. Quæritur, an licitè.*

Ad majorem intelligentiam materiæ, de qua in casu, præmissa fuerunt quatuor notanda.

Primum, quod olim omnes Christi fideles tenebantur audire Missam, Divinaque Officia festivis diebus in propria Pa-1 rochia, adeout non licebat adire aliam Ecclesiam. *cap. Primatus 6 dist. 71 cap. in Dominicis 4 & cap. nullus 5 9 quæst. 2.* Et multò minus permissum erat iisdem fidelibus percipere Sacramenta extra suam Ecclesiam Parochialem, aut ab alio Sacerdote, quàm à proprio Parocho, vel ab ejus delegato. *cap. Placuit ult. De Pœnit. dist. 6.* & est repetitum *in cap. 2. de Parochis.*

Secundum. Cessabat autem priscis temporibus occasio se absentandi à Parochiali Basilica, & divertendi ad Ecclesias Regularium pro Divinis Officiis, & Missis audiendis, atque pro Sacramentis participandis, tum quia Regulares omnes sive Monachi, sive Mendicantes non fiebant 2 Sacerdotes, immò prohibebantur ordinari, tum etiam quia vivebant more reliqui populi sæcularis sub Parocho, & ab eo Sacramenta, aliaque Divina recipiebant; & eidem solvebant Decimas, & erant in omnibus, & per omnia subditi Episcopo, ac Ordinario loci, tàm quo ad personas, quàm quo ad Ecclesias. Fagnan *in cap. Nimis prava num. 3 De Excessib. Prælatorum.* Rota *decis. 17 num. 2 par. 1 rec.* Emin. Card. de Luca *De Regularib. disc. 1. num. 5 Et de Jurisdict. disc. 28 num. 8* Emin. Cardin. de Albitiis *De Jurisdict. Cardinalium in suis Titulis Discept. 2. à num. 4. & seqq.* Et de prædicta subjectione Regularium constat *ex cap. Constitutus. cap. Cum Venerabilis. Et cap. Cum dilectus filius. De Religios. domib.*

Tertium. Et quia cursu temporis pro bono communi Ecclesiæ recessum fuit ab antiqua simplicitate, & concessum fuit Regularibus, ut ad sacros Ordines promoverentur, & in suis Ecclesiis per seipsos Missam, & Divina Officia celebrarent, non per hoc poterant administrare Eucharistiam personis laicis. Pignatelli *tom. 6. consult. 98 num. 86.* Cumque de facto cæ-3 pissent aliqui Regulares eam distribuere, & orta essent jurgia inter eos, & Parochos dolentes, quod à Regularibus non solùm testatores retraherentur, ne legata relinquerent matricibus Ecclesiis, sed etiam quod ipsi Regulares avocarent laicos ab accessu ad Ecclesias Parochiales, ac iisdem administrabant Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, idcircò ad obviandum his indolentiis, in Concilio Viennensi anno 1311 sub Clemente Papa Quinto, promulgata fuit excommunicationis sententia, ipso facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata contra Regulares præmissa facientes, ut legitur *in Clem. 1. de Privileg.* in cujus fine tantummodò permittitur Regularibus, ut possint administrare Sacramenta familiaribus suis domesticis, & pauperibus degentibus in hospitalibus eorumdem. Porrò appellationi familiarium intelliguntur, qui diu, noctuque permanent in Conven-4 tu, nam simplices servientes, qui serviunt de die, & de nocte vadunt ad suas domos, debent recipere Sacramenta in Parochia, ut declaravit *S. Congregatio Concilii in una Firmana 17 Julii 1655* de qua in Synodo Diœcesana Abbatiæ Farfen. *in Tit. de SS. Euchar. Sacram. Vers. Sæculares.*

Quartum. Sed quia vel multitudo fidelium sic requirebat, vel sic conveniebat doctrinæ, pietati, & zelo Regularium, placuit Apostolicæ Sedi iisdem privilegia conce-

concedere, & permittere, ut non solùm possent in eorum Ecclesiis publicè Missas tàm solemnes, quàm privatas, & alia Divina Officia celebrare, sed etiam Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ fidelibus ad eos confluentibus impartiri, excepto tamen tempore, in quo ipsi fideles tenentur ex præcepto Ecclesiæ Eucharistiam

5 sumere, videlicet *pro Viatico in articulo mortis*, *& in festo Natalis Domini*, *Paschæ Resurrectionis*, *& Pentecostes*, ut antiquitùs observabatur. *cap. Etsi non frequentius 26 & cap Sæculares 19. De consecr. dist 2.* quæ tria tempora, refrigescente fidelium charitate, restricta fuere ad solum festum Paschæ Resurrectionis Domini, adeò ut hodie semel tantùm in anno Eucharistia de præcepto sit recipienda in Paschate *cap Omnis utriusque sexus De Pœniten & Remissionib* quod fuit confirmatum in Tri-

6 dentino Concilio *sess 13 de Euchar can 9* Appellatione autem Paschatis pro hac obligatione adimplenda intelliguntur dies octo ante, & dies octo post Dominicam Resurrectionis, ut declaravit Eugenius Quartus Constitutione sua XX quæ incipit *Fide digna &c* De consuetudine autem non est concors observantia, itam in Hispania intelliguntur tota Quadragesima, in Dalmatia post medietatem Quadragesimæ, teste Pace Jordano *tom. 1 lib 3. tit 3 num 47 & 48* ubi notat ex rationabili causa posse à Parocho hoc tempus suis Parochianis prorogari; & appellatione Paro-

7 chi venit Papa in toto mundo, Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus, qui habet distinctam Parochiam subjectam suæ Ecclesiæ Parochiali. At regularibus, & Mo-

8 nialibus injunctum est de Jure Ecclesiastico, ut communicent semel saltem in mense *Clem. Ne in agro § Sanè de Statu Monachor* Sicut etiam Clericis, quamvis in minoribus Ordinibus constitutis *cap Clericus 12. quæst 1* Sed *Trid sess 23 de ref cap 11 & de Regular. sess. 25 cap 10.* ad dictam frequentiam Communionis mandat exhortari.

Igitur ex Privilegiis Apostolicis pluries, & per plures Summos Pontifices concessis Ordinibus Regularibus, (quæ Privilegia referuntur à Mancino *in Tractatu Visitandi Infirmos Practic 8 Dub 9 Vers Sed postea* à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita *De Privil Religios Verb Eucharistia* Et à Pignatello *tom 4 consult 152. num 11*) possunt nunc Regulares administrare Eucharistiæ Sacramentum fidelibus toto anni tempore, excepto tamen die

9 Paschatis Resurrectionis Domini, nam in eo Pontifices volunt, ut Christi fideles ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis, in propria Parochia communicent, ut fuit statutum *in cit. cap Omnis utriusque sexus* Et declaravit Sacra Congregatio Concilii die 23 Januarii 1586 de qua Fagnanus *in eodem cap. Omnis utriusque sexus num. 43 De Pœnit & Remissionib* sic enim expedit, ut proprii Pastores saltem semel in anno agnoscant vultum sui pecoris, & ideò Regulares, qui tali die Resurrectionis Dominicæ administrant Eucharistiam personis laicis, absque expressa licentia Parochorum incidunt in Excommunicationem latæ sententiæ, reservatam

10 Summo Pontifici vigore prædictæ *Clemen. Religiosi De Privileg* Et locorum Ordinarii, postquam de hoc sibi constiterit, possunt eos excommunicatos facere publicè denunciari Fagnan *in cap Cum Capella num 26 de Privileg tom 7* Beja *de Casib. Conscientiæ part. 4. cas 14.* Jordan *d tom 1. lib 3 tit 3 num 50.* Thesaur *de Pœnis Ecclesiastic par 2. Verb Parochialia jura num. 2.* Immò procedere contra illos etiam ad pœnam suspensionis à Divinis, ut Summus Pontifex Urbanus VIII significare fecit Archiepiscopo Neapolitano die 20 Martii 1639. ut habetur in Constitutionibus Michaelis Justiniani *Vicarii Apostolici Aleriæ. lib 3 tit 1 num. 10.*

Et quoniam disputant Moralistæ, an saltem Regulares in die Dominico Resurrectionis Domini possint Eucharistiam elargiri laicis illis, qui vel in hebdomada antecedenti eam receperunt in Parochia pro adimplendo præcepto, vel animum habent eam recipere in hebdomada sequenti, & super hoc multi multa dicunt; amplectenda est opinio Navarri *in Manuali cap 21 num 25* Henriquez *lib 8 cap. 55* & Azorii *tom 1 lib 8 cap 30. quæst 7.* docentium, Regulares absque Episcopi, vel

vel Parochi licentia nulli eo die Resurrectionis Domini Eucharistiam impertiri debere, quia in Privilegiis Sixti IV & Leonis X. habentur hæc verba: *Præterquam in die Resurrectionis Dominicæ* & privilegia, quando juri Communi derogant, non debent laxari, sed stringi, tantò magis quia sic plures declaravit Sacra Congregatio Concilii *die 13 Januarii 1586 die 14 Martii 1615 die 2. Maii 1619* ut testantur Gavantus *in Manual. Verb. Eucharist. a num* 23 Nicolius *in Floscul. Verb. Regulares num* 30 Barbos. *de Parocho cap 20 num 10. & in Decision. Apostolicis collectan 335 Verb Eucharistia num* 4.

His prænotatis resolvendo Casum propositum, dicendum est, Parochianum non benevolum Parocho, recipientem Communionem Paschalem in Ecclesia Regularium, si absque speciali licentia ipsius Parochi, aut Curiæ Episcopalis id agat; non licitè agere, tum respectu sui ipsius, tum respectu Regularis Eucharistiam sibi ministrantis. Agit illicitè quo ad se, quia non satisfacit Præcepto Ecclesiæ; ut declaravit *Sacra Congreg. die 23 Januarii 1586* apud Mancinum *d. Practica Octava dub 9 Vers. Fuit etiam* Jordan. *d tom 1 lib 3 tit 3 num 79* & Barbosa *de Parocho cap 20. num 11 & ibi* Nugnus, Suarez, Portellus, & Villalobos, quibus adde Bonacinam *de Sacram Eucharist. tom 1 disp 4 quæst 7. punct. 2. num. 7. Et Collegium Salmanticen. tom 10. de Sacram. in genere tract 4. cap 9. num 17* Et peccat mortaliter, nam se non conformat ordinationi Ecclesiæ & cooperatur peccato mortali, quod committit Regularis ministrans ei Eucharistiam sine debita Jurisdictione, & facultate. Reginald. *in Prax lib 29 num. 90 & 94. &* Gobat *in Theolog. Experim. Sacram tract. 3 num 73*.

Illicitè igitur agit etiam respectu Regularis ministrantis, qui pariter mortaliter peccat, transgrediens mandata Ecclesiæ, & usurpans sibi alienam Jurisdictionem; qua de causa incurrit etiam Excommunicationem Papalem ex *cit. Clem. Religiosi. de Privileg.* A qua eum tueri, seu præservare non potest ignorantia, quia, cum hoc Præceptum, de Communione Paschali recipienda, sit notissimum; insertum in corpore Juris, de quo loquuntur omnes libri, & erudiuntur etiam pueri, & puellæ in scholis Doctrinæ Christianæ, non potest esse in Regulari Sacerdote nisi ignorantia crassa, culpabilis, & supina; quæ non excusat ab incursu censuræ latæ *in d. Clem Religiosi* ut bene probat Thesaurus *de Pœnis part 1 cap 15* ubi plurimos citat Theologos, & Canonistas. Quamvis contrarium astruat Philippenus *de Privil. Ignorantiæ num 570*.

Neque suffragaretur eidem Regulari supposito, quod ille Parochianus habuerit licentiam à suo Parocho; quia in re prohibita non sufficit supponere, sed opus est certitudine, & legitima probatione, prout expressè loquitur Bulla Leonis X. circa administrationem Sacri Viatici, vel Extremæ Unctionis faciendam per Regulares laicis infirmis, dicentibus, proprium Parochum illa Sacramenta sibi dare denegasse; ait enim Pontifex, quod Regulares eadem Sacramenta *dare nequeant, nisi denegatio sibi, illegitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur* ut observat Novatus *in Summa Bullar. part 2. Commentar. 114* Quapropter prudentis Regularis est, non citò credere Parochiano non benevolo Pastori suo, sed ab eo legitimum testimonium, de licentia habita communicandi extra Parochiam exigere, vel eum hortari, ut pareat præcepto Ecclesiæ; & suo Parocho obsequatur, attento maximè Juris axiomate, quod laici infesti sunt Clericis *cap. Laici 2. quæst 7 & cap. Clericis 3 De Immunit. Ecclesi. in 6* Negandum tamen non est, quod si Parochianus alienus petens Communionem Paschalem à Regulari Sacerdote, affirmans, se habere licentiam à suo Parocho, esset Vir probus, benè cognitus eidem Regulari, & timoratæ conscientiæ, posset ei credere, & absque incursu Censuræ Sacram Synaxim præbere, juxta Magistralem doctrinam, ac punctuale responsum Lapi *allegat* 126. prout etiam si idem Vir probus, nobilis, ac solitus frequentare Sacramenta, assereraret, se satisfecisse Præcepto in Parochia intra hebdomadam sanctam, vel

satisfa-

satisfactum antequam transeat Octava Paschæ, ut præter Morales Theologos concedit Jordanus *cit tom 1 lib 3 tit 3 num. 79*

## DECISIONIS XXV

Ad Maii Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Investigat, quanto tempore conveniat differre sumptionem cibi corporalis post sumptam EUCHARISTIAM? Explicatur varietas Horarum pro officiis Divinis apud antiquos. Ponderatur, quamdiu species Sacramentales durent in stomacho ex Medicorum opinione, ac Theologorum.

### SUMMARIUM.

1 *Cibus corporalis post Eucharistiam sumptam quanto tempore differendus?*
2 *Nox apud Hebræos dividebatur in quatuor partes, quæ dicebantur Vigiliæ*
3 *Horæ diei erant duodecim, & dividebantur in quatuor partes*
4 *Officium Divinum olim quibus horis recitaretur?*
5 *Communione recepta non sumebatur cibus, nisi post sex horas de Jure antiquo.*
6 *Sputum est interdicendum recepta Communione sacra*
7 *Species Sacramentales dum durant in stomacho, augetur gratia*
8 *Species Sacramentales quanto tempore durent in stomacho?*
9 *Laici post receptam Sacram Communionem quid debeant facere?*

### CASUS PRUDENTIALIS.

*Fuit interpellatus Parochus à pia persona, quæ Sacram sumpserat Eucharistiam, quanto tempore conveniret, differre sumptionem cibi corporalis? Quæritur, quid respondendum sit ab eodem Parocho?*

TRiplex responsum dari posse, dictum fuit. *Unum* secundùm Jus *Alterum* juxta Doctorum Sententiam *Tertium* respectu Rationis

Quo ad Primum De Jure respondendum foret à Parocho, cibum corporalem non esse sumendum, nisi transactis sex horis post receptam Sacram Eucharistiam, ut disponit textus *in Can. Tribus gradibus. 23 De Consecr. dist* 2. ubi S. Clemens Papa ita scripsit *Qui autem residua Corporis Domini, quæ in Sacrario relicta sunt, consumunt; non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent, Sanctæ Portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur manè Dominica Portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserunt, & si tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad Vesperam* Pro intelligentia notandum, quod apud Hebræos, sicut nox dividebatur in quatuor partes, quæ vocabantur vigiliæ, juxta illud *Luc 12. Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia Vigilia venerit* Et illud *Matth 14 In quarta autem Vigilia noctis &c* ita dies constabat duodecim horis, de quibus Salvator ait ad Apostolos, *Jo 11. 9 Nonnè duodecim sunt horæ diei?* Quæ quidem horæ dividebantur in quatuor æquales partes, singula quarum continebat tres horas, & dicebantur Prima, Tertia, Sexta, & Nona, ut probat Barradas *in Evangel tom 4 lib 7 cap 13 Vers Erat hora tertia* Et Menochius *in Historia Sacra part 2 lib 7 cap 18 num 1.* Quamvis hisce temporibus Judæi admittant tres tantùm partes diei ad orandum in Synagogis, quarum primam vocant שחרית *Sciachrith*, idest Matutinam Alteram מנחה *Mincha*, scilicet Meridianam Tertiam ערבית *Ngarvith*, videlicet Vespertinam teste Julio Mauroceno *in suo opere adversus Hebræos tom 1 part 2 cap 14 pag 243* Hæc apud Hebræos Apud fideles autem in primitiva Ecclesia servabantur pariter quatuor vigiliæ nocturnæ, in quibus

quibus recitabatur Officium Divinum tribus nocturnis distinctum, in prima, secunda, & tertia vigilia noctis, in quarta autem decantabantur Laudes, dies verò recipiebat similiter quadruplicem divisionem, assignatis unicuique tribus horis, hæc est *Una* à prima, idest summo mane, usque ad Tertiam *Altera* à Tertia usque ad Sextam *Sequens* à Sexta usque ad Nonam *Ultima* à Nona usque ad Vesperam, ut latius Marcell. Francolin *de Horis Canonic cap* 15 *per totum*. *Et cap* 38 *num*.5 & 6 ubi examinat supra relatum canonem *Tribus gradibus* Igitur, si qui accepissent Sacram Eucharistiam hora prima, seu summo mane, debebant abstinere à cibò corporali usque ad horam sextam, sex horas expectando, post sacram Communionem, antequam comederent. Et idem impositum erat illis, qui Corpus Dominicum sumebant hora tertia, vel quarta, nam abstinebant à cibo corporeo usque ad vesperam Hæc de Jure Canonico in primitiva Ecclesia.

5

Quo ad Secundum Communis est Doctorum Sententia (fundata in auctoritate S Thom 3 *part*. *quæst* 80 *art* 8 *ad* 6) prædictum Canonem contraria consuetudine esse abrogatum, itaut non amplius sit servandum prædictum spatium temporis de præcepto, sed ex honestate sufficiat aliqua mora, & satis sit differre aliquantulum sumptionem cibi corporis. Sotus *in* 4 *dist* 12 *quæst* 1 *art* 8. *Vers sexto arg*. Grassius *part* 1 *lib* 2. *cap*. 44. *num*. 8. Sylvest *Verb*. *Eucharistia* 3 *Vers septimo quæro* Azor *part* 1 *lib* 10. *cap* 30. § *Quæres*, *an absolute* Bonacina *tom*. 1 *disp* 4. *quæst* 6 *punct*. 2. *num*.25. Layman *lib* 5 *tract* 4 *cap* 6. *num*. 23 *in fine*. Diana *part* 3 *tract* 4. *resol* 44. Quæ reposita fuit in opere Coordinato *tom*. 2. *tract*. 2. *resol* 86 §. 2. Gobat *in Theolog Experim tract* 4. *num* 282. Scortia *de Sacrific Missæ lib* 2. *cap* 7 *num* 3 Novissimè Bissus *in Hierurgia Sacra tom* 2. *Litt* S. *num*. 29. § 1 Et idem dicendum est de sputo, à quo convenit, sumpta Sacra Eucharistia, abstinere aliquantulum; quod docuisse S Jo Chrysostom testatur Sozomenus *lib* 8 *cap* 17 his verbis *Quod monere ille consueverat*, *ut post Communio-*

6

*nem aut aquam*, *aut pusillum degustarent*; *ne contra voluntatem unà cum saliva*, *sive pituito*, *quicquam sacrum excrearent ipse prius id faciens*

Quo ad Tertium, respectu rationis; oportet aliquam moram interponere, antequam, qui Communionem Eucharisticam accepit, cibum sumat corporalem. Siquidem utraque Schola Thomistarum, & Scotistarum concedit, quod Species Sacramentales toto tempore, quo remanent in stomaco, diffundunt ampliorem gratiam ex opere operato, si homo attentus sit ad eam diffusionem colligendam, immorans in actibus devotionis, & charitatis, ut ex Cajetano docet Gonet. *tom* 5 *disp* 8 *de Eucharistia num*. 37 Emin Card. de Lugo *eod*. *tract disp* 12. *sect* 2. *num* 46. Hiqueus *in* 4. *dist* 8 *quæst* 3 à *num*. 23 & Mastrius *in* 4. *disp* 3 *num*. 415 hanc reddens rationem *Hoc Sacramentum gratiam confert per modum nutrimenti*, *sed cibus nutrit præcipuè quando est in stomacho*, *adjutus calore naturali*. *Ergo etiam hoc Sacramentum quasi adjutum calore melioris dispositionis*, *animam spiritualem nutriet*, *quæ nutritio spiritualis in augmento gratiæ consistit* Quod etiam latiùs probat idem Mastrius *in sua Theologia Morali disp* 18 *num* 54. Porrò Species Sacramentales permanere inalteratas in nostro stomacho per spatium unius horæ opinantur Verricelli *in Moral*. *quæst* 35 & Sancius *in Selectis disp* 38 *num*. 2. circa finem, quorum opinionem etsi non approbent duo Eminentissimi Purpurati, Cardinalis nempe de Lugo *De Euchar disp* 10. *num* 54 & Cardinalis Brancatius *de Potu Chocolatis pag*. 200. ubi proposito quæsito, *Quanto temporis spatio Species Sacramentales in stomacho durent*? Respondet *Receptum est ex Medicorum placitis*, *eas ad summum ultra dimidiam horam inalteratas non permanere*; *& ii hac potissimum ratione ducuntur*, *quia calor naturalis*, *singulis horis*, *duas uncias solidi cibi consumere potest ut Martilius Cognotus*, *& Manelphus apud Eminentiss Cardinalem de Lugo*, *ab eodem consultus*, *asseruere* Sequitur nihilominus, tot sapientum Virorum sententia, per quadrantem horæ, vel etiam per dimidium horæ

7

8

horæ reali præsentia Christi Domini frui posse animam fidelem, quæ sacram Eucharistiam recepit, dum tanto tempore durare possunt in stomacho species Sacramentales inalteratæ. Igitur rationi congruit, ut per dimidium horæ, aut saltem per quadrantem abstineat à cibo corporali homo Christianus, & præcipuè Sacerdos, postquam communicavit, & interim se in orationibus, gratiarum actionibus, fidei, spei, charitatis, aliisque devotionis actibus detineat, ut uberiores fructus ex Divino Sacramento, etiam ex opere operato percipiat. Hinc in Constitutionibus præcitati Michaelis Justiniani *lib 3 tit 1 num 20.* ita scriptum legitur pro laicis, qui sumpserint Sacram Eucharistiam. *Dipoi si alzino modestamente, e partendo dall'Altare, si ritirino in luogo remoto, nel quale si trattengano in oratione, e meditationi pie; e con tutto il cuore, e pietà d'animo rendano gratie à Dio di tanto beneficio, e dell'infinita carità, che hà usato verso il popolo Christiano, e li avvertiranno, che inghiottiscano riverentemente le Particole, e si purifichino bene, nè sputino subito, ma per un quarto d'ora almeno s'astengano dallo sputare, e se la necessità l'astringa à sputare prima, si facci all'hora in luogo non sordido almeno, e remoto dagl'huomini, che possano. Non devono nè meno subito mangiare, mà doppò passata mez'hora dalla Communione, ò un quarto almeno.* Quæ verba non me piguit transcripsisse, tum ob eximiam virtutem, & pietatem Auctoris, qui egregiè functus fuit munere Vicarii Apostolici, tum ut Parochi sciant instruere de hoc plebes suas. 9

## DECISIONIS XXVI.

### Ad Junii Quæsitum Primum.

### ARGUMENTUM.

Scrutatur, an Christus in EUCHARISTIA possit ab intellectu creato cognosci? Quid de Animabus beatis? Quid de Angelis? Quid de Dæmonibus? Quid de Animabus Purgatorii, Et referuntur Exempla notabilia, & non iniucunda.

### SUMMARIUM.

1 *Intellectus hominis viatoris non potest videre Christum in Eucharistia.*
2 *Angeli, ac Beati lumine supernaturali vident Christum in Eucharistia.*
3 *Angeli, ac Beati an naturali lumine videre possint Christum in Eucharistia? negant Thomistæ. Affirmant Scotistæ. Et num. 4.*
5 *Beatitudo accidentalis Beatorum videre Christum in Eucharistia.*
6 *Anima Gulielmi à Cornu defuncti, quæ apparebat, cognoscit Sacram Eucharistiam delatam occultè à Priore Fratrum Prædicatorum.*
7 *Dæmones sua naturali virtute possunt, nisi impediantur, videre Christum in Eucharistia, & num. 10.*
8 *Diabolus non cognovit Mysterium Incarnationis Domini.*
9 *Dæmones ad præsentiam SS. Eucharistiæ obmutescunt, & fugantur.*

### QUÆSITUM PRIMUM.

*An Christus in Eucharistia possit ab aliquo intellectu creato cognosci?*

PUgnarunt scholæ inter se in resolutione hujus Quæsiti; & ideò discordes fuerunt calami nostrorum Parochorum in respondendo; quocirca ex pluribus hinc inde dictis, & deductis, sequentes conclusiones emerserunt.

Conclusio Prima. Intellectus hominis viatoris, operans dependenter à sensibus, non potest intuitivè cognoscere, seu videre Christum existentem in Eucharistia: 1 Ratio est, quia cum intellectus humanus in hac vita non possit intelligere nisi ea, quæ sensus percipit, juxta illud 3. *de Anima. Oportet intelligentem phantasmata speculari.* existentia autem Christi in Eucharistia non subiacent sensibus, ut experientia docet, sequitur, intellectum

creatum, alligatum sensibus, non posse cognoscere, aut videre Christum in Eucharistia. In hoc conveniunt tàm Scotistæ, quàm Thomistæ antiqui, & moderni, quos allegant Gonet *d. tom. 5. tract. de Euchar. disp. 5. num. 79.* Mastrius *in 4. sent. disp. 3. num.* 251. Emin. Card. de Lauræa *tom. 1. De Euchar. disp.* 22. *num.* 111. & ex Moralistis. Bonacina *tom. 1. De Sacram. Euchar. disp. 4. q. 3. punct. 5. num. 1. in fine.*

Secunda Conclusio. Intellectus creatus separatus à sensibus, qualis est intellectus 2 Angelorum, & Animarum beatarum, potest videre, & intuitivè cernere Corpus Christi, eum suo modo existendi in Eucharistia, lumine supernaturali, tum in Divina essentia per cognitionem matutinam, tum extra per cognitionem vespertinam. Et de hoc non est altercatio inter Theologos; sed omnes conveniunt. S. Thom. *3. p. quæst. 76. art. 7.* Lessius *in opere posthumo d. quæst. 76. de Euchar. num.* 47. Gonet *d. tom. 5. disp. 5. num.* 81. Gabriel *in Canon. Missæ sect. 45. prope finem.* Abelly *tom. 2. & part. 2. tract. 1. cap. 4. sect. 5. in difficult. 5.*

Tertia Conclusio. Angelicus intellectus, & Anima beata, naturali virtute, non potest 3 intuitivè videre Christum in Eucharistia secundùm Thomistas. At potest secundùm Scotistas, & hæc est controversia insignis inter eosdem. Ratio Thomistarum est, quia modus, quo Christus existit in Eucharistia est supernaturalis quoad substantiam, & excedit facultatem cognoscendi, quam habet intellectus creatus, qui sicut cognoscere non potest naturaliter Unionem hypostaticam, gratiam, & reliquos habitus supernaturales, ita non potest attingere ad cognoscendum modum, quo Christus est præsens in Venerabili Eucharistiæ Sacramento. Ita Gandavensis *Quodlibet. 11. quæst. 12. & ibi* Zuccollus Patavinus. *nec non* Card. Cajetan. *in comment. ad S. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 7.* Agudius *de Sacram. Euchar. part. 4. cap. 4. punct. 3. num. 42.* Gonet *d. disp. 5. num.* 80. Lessius *d. quæst. 76. num. 48. & 49.* & Emin. Card. de Lugo *De Eucharist. disp. 9. num.* 29. ubi tamen suam sententiam non profert, sed potius inclinat in contrariam.

Igitur Scotistæ docent, posse intellectum Angelicum, & Animam beatam naturali virtute cognoscere, & intuitivè vide- 4 re Christum in Eucharistia, ea ratione, quia, objectum proportionatum intellectus Angelorum, quantum ad cognitionem tàm abstractivam, quàm intuitivam, est quodcunque ens finitum, & limitatum, absolutum, & respectivum. Sed Corpus Christi existens in Eucharistia continetur sub latitudine hujus objecti. Ergo non excedit limites objecti naturaliter attingibilis ab intellectu creato ex natura potentiæ. Neque obstat, quod supernaturalitas existentiæ, & præsentiæ Christi in Eucharistia non sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato: nam respondent Scotistæ, supernaturalitatem non variare rationem rei in se formalem, siquidem naturale, & supernaturale non distinguunt naturam alicujus in se, sed tantùm in comparatione ad agens; & ideò non concludit, hoc, & illud esse aliud, & aliud in ratione intelligibilis; & sicut intellectus Angelicus potest naturaliter cognoscere, substantiam panis non esse sub accidentibus; ita potest intueri, esse sub eis Corpus Christi indivisibiliter sine modo quantitativo, non enim excedit potentiam intellectus Angelici intuitivè cognoscere, quod accidentia stent sine subjecto, corpus sine extensione, duo corpora in eodem loco penetrativè, idem corpus in diversis locis, & similia; de quibus latè Mastrius *d. tom. 4. disp. 3. à num. 252. & seqq.* Gabriel *d. lect. 45. in Canone Missæ.* Lessius *cit. q. 76. De Euchar. num. 49.* Emin. Cardin. de Lauræa *de Euchar. in cit. disp. 22. num. 112.*

Nostrum non est judicare inter has opiniones, sed expectare decisionem in patria cælesti, in qua sperare licet id, 5 quod notat Gabriel *d. lect. 45. vers. finem* his verbis: *Probabile est, quod videre existentiam Corporis Christi in Sacramento pertinet ad beatitudinem accidentalem animarum beatarum, quia illæ dum erant viatrices, habuerunt fidem, quæ firmiter crediderunt, Corpus Christi contineri sub Hostia. Visio autem succedit fidei in Patria, tanquam præmium merito.* Unum autem hic puto notandum, quod narrat Odoricus Raynaldi

naldi *in Annalib. Eccles. Anno 1324. num. 54.* Exemplum desumptum ex S. Antonino, *& ex Hist. Joan Villan*, animæ cujusdam Guillelmi à Cornu mox defuncti, quæ apparebat, & mirabilia narrabat de pœnis Purgatorii. Cum igitur Prior fratrum Prædicatorum magna hominum caterva stipatus ad eam adjurandam accederet, timens ne esset spiritus malus, secretò secum portavit SS. Eucharistiam, & vix ingressus, ubi dicta anima loquebatur, audivit eam sibi dicentem. *ô Prior? tecum habes Salvatorem Mundi.* Hoc idem exemplum diffusè narrat Bartolom Sybilla *in Speculo Peregr. Quæst. Decad. prima. quæst. 2. cap. 4.* attestans illud desumpsisse ex Instrumento authentico transmisso Summo Pontifici Joanni XXII & Cardinalibus, tunc temporis (scilicet Anno 1324.) apud Avenionem commorantibus. Ex hoc desumi potest argumentum, quod intellectus creatus, separatus à sensibus, naturali virtute poeest videre Christum Dominum in Hostia Sacra.

Quarta Conclusio. Dæmones, nisi impediantur, sua naturali facultate possunt intelligere quodcunque intelligibile creatum sibi præsens; & ideirco etiam præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Dicitur, *Nisi impediantur*, quia spiritus mali multa possunt ex natura sua, quæ non permittuntur eis, teste *Magist. Sent. dist. 7. lib. 2.* & sic intelligitur auctoritas SS. Patrum, quod diabolus non cognovit mysterium Incarnationis Dominicæ, etsi naturaliter potuerit videre integritatem Deiparæ tam in mente, quàm in carne, quia fuit impeditus à Deo. Ita Gabriel *d. lect. 45. pag. penult.* Lessius *cit. quæst. 76. num. 49.* Et Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 22. de Eucharistia num. 114.*

Hujus rei duo afferamus testimonia ex Jo. Bonifac. Bagatta *in Admirans. Orbis Christiani tom. 2. lib. 3. cap. 3.* his præcisis verbis. Videlicet ad num. 26 Raynald. *in Annal. Eccles. Anno 1527. Dum ad Americanos convertendos illuc profecti sunt Apostolici viri, collocaverunt pluribus in locis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cujus præsentia dæmones fugati sunt.* Et num. 27. Wadingus *in Chronicis Minorum Anno 1529. Postquam Mexici primùm, deindè in aliis Urbibus, Templa construxerunt Missionarii S. Francisci, & SS. Eucharistiam reverenter exposuerunt, cœperunt Idola omnia obmutescere; nulla deinceps dando oracula.*

His addendum, quod scribit *Augustin. Mannus in Select. Hist. cap. 242.* Sacerdotem scilicet Soc. Jesu, sæcularibus vestimentis indutum, transeuntem per loca hæreticorum apud Belgas, deferentemque clam in sinu Sacras Particulas, Mulier obsessa à Dæmone irruita, post trinam interrogationem dixit. Tu habes Hostias, in quibus adest CHRISTUS FILIUS DEI.

## DECISIONIS XXVII.

### Ad Junii Quæsitum secundum.

### ARGUMENTUM.

Ponit, an Christus in EUCHARISTIA possit videri ab oculo corporeo? Referuntur dissidentium Theologorum opiniones; ac plurium apparitionum testimonia, Quæsitum ipsum quinque conclusionibus declaratur, ac resolvitur; quid faciendum de Hostia conversa in carne visibili?

### SUMMARIUM.

1 *Oculus corporeus naturaliter non potest videre Christum in Eucharistia, sed an supernaturaliter? num. 2.*
3 *Exempla eorum, qui oculo corporeo viderunt Christum in Eucharistia.*
4 *A'ntias Carnoli Sacerdos Soc. Jesu laudatus.*
5 *Apparitiones Christi in Eucharistia fieri possunt quinque diversis modis.*
6 *Hostia consecrata si miraculosè fiat caro Christi visibilis, non est sumenda à Sacerdote, sed servanda in Sacrario.*

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*An Christus in Eucharistia possit videri ab oculo corporeo?*

Responsum fuit cum distinctione. Vel quærimus an *naturaliter* oculus corporeus possit videre Christum Dominum in Eucharistia? vel *supernaturaliter*? Primo modo communis sententia est negativa; esto, quod Nominales teneant, esse possibile etiam naturaliter, sed actu non videri, quia Deus non vult. Rationes negantium plures sunt, quarum una; nam visio corporea fit per figuram Pyramidalem, cujus basis sit in objecto, conus verò terminetur ad oculum. Sed basis Pyramidalis non potest fundari in objecto inextenso, & indivisibili, quale est Corpus Christi existens in Sacramento. Ergo videri non potest ab oculo corporeo. Ita Emin. Card. de Lauræa *de Euchar. disp.* 22. *art. ultimo*. Lessius *eod. tract. quæst.* 76. *art.* 7. Mastrius *in* 4. *sent. disp.* 3. *num.* 259. & Emin. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 9. *num.* 19. Secundo modo, An videri possit *Supernaturaliter*? Alii concedunt, ea ratione quia, satis esse videtur, ut objectum sit sensibile secundùm se, ut ab eo possit sensatio specificari. Corpus autem Christi in Eucharistia retinet talem sensibilitatem, etiamsi sit privatum locali extentione. Alii tamen asseveranter negant, docentes neque per miraculum posse videri Corpus Christi in Eucharistia ab oculo corporeo, ob modum indivisibilem, & spiritualem, quo existit; qui quidem modus non est attingibilis à sensu neque per absolutam Dei potentiam, ut disputando concludit Mastrius *in cit. disp.* 3. *à num.* 256. *& seqq.* & in sua Philosophia *lib. de Anima disp.* 5. *q.* 7. *num.* 237. Lessius *cit. quæst.* 76. *De Euchar. art.* 7. Aegidius *d. part.* 4. *cap.* 4. *punct.* 3. *num.* 40. Et Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. disp.* 22. *art. ult. per totum.*

Concedamus, quod Scholastici scribunt. Sed quomodo concordabimus eorum doctrinam cum exemplis antiquis, & modernis, quæ leguntur in Historiis Ecclesiasticis, & in Vitis Sanctorum, videlicet Christum Dominum pluries visum fuisse oculis corporeis plurimorum in Eucharistia? Nonnulla exempla refert Sotus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 8. & præter illa, alia plura, & præcipuè sequentia, habentur. S. Maria Œniacensis sæpè videbat in Eucharistia Christum Dominum in forma pueri, quem circundabat, & adorabat multitudo Angelorum; teste Jacobo Card. de Vitriaco *in Hist. Occident. cap.* 5. & Raynald. *in Annalib. Anno* 1200. *num.* 50. consimilem visionem in Hostia Sacra, quæ ceciderat in terram, in Ecclesia S. Amati Episcopi Civitatis Duaci, non pauci viderunt, inter quos *Thomas Cantipratensis*, Alberti Magni auditor, & condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, ut ipse de se scribit *lib.* 2. *cap.* 40. & memorat Raynald. *Anno* 1254. *num.* 75. In Capella Sancti Ludovici Regis Franciæ, dum quidam Sacerdos celebraret, apparuit visibilis in Hostia Consecrata Salvator Dominus, sub figura pulcherrimi pueri, quem omnes adstantes intuebantur, & aciito Sancto Ludovico ad videndum, respondit: vadant, & videant qui non credunt, mihi sat est credere, Christum Dominum verè, & realiter esse sub speciebus consecratis Panis, & Vini. Raynald. *in Annalib. Eccles. Anno* 1256. *num.* 18. Eadem visione in Sacramento Eucharistiæ dignatam fuisse S. Birgittam legimus suarum Revelationum *lib.* 6. *cap.* 86. Sanctum Laurentium Justinianum pariter vidisse Christum Dominum in Hostia Consecrata sub puerili forma narrat Surius *die* 8. *Januarii cap.* 3. Et, ut ad proximiora tempora descendamus, visum esse Christum Dominum in Hostia à S. Ignatio Loyola testantur Daniel Bartoli *lib.* 1. *ejus Vitæ pag. mihi* 43. Et Vigilius Nolarii, (cujus *Aloysius Carnoli*, piissimus Sacerdos, Societatis Jesu, & Missionarius utilissimus in hac Diœcesi Patavina) qui scripsit eamdem Vitam ejusdem Sancti sui Patriarchæ Ignatii *cap.* 5. Idipsum de S. Philippo Nerio scribit Petr. Jacob. Bacci in ejus Vita *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. Et de Sancta Teresia *Didacus de Tepes Episcopus Terraconen.* qui fuit ejus Confessarius, & ejusdem Sanctæ Vitam, & actiones colle-

collegit. *lib* 3 *cap.* 20. Quique consimilia alia plura exempla tum de apparitionibus Salvatoris in Eucharistia, tum de effusione sanguinis ex eadem, legat Nicolaum Laghi *De Miracul. SS Sacramenti tract* 1. *dist* 4 Joan Baptistam Matthæol. *in Sylva Histor tom* 2. *lib* 8. *cap* 2. *tit* 4. & Joan. Bonif. Bagattam *in admirand Orbis Christ. tom.* 2. *lib.* 3 *tit* 3. *Appendic* 2.

Quid igitur dicendum? quid sentiendum? quid credendum de tot apparitionibus, quas oculis corporeis supradicti famuli, ac famulæ Dei intuiti fuerunt, ac alii plurimi per tot historicos, & religiosos, gravesque Viros relatis? Respondetur has apparitiones examinari à S. Thom 3 *p. qu.* 76 *art* 8 à Soto *in* 4. *dist* 10. *q.* 1 *art.* 8 à Valentia *De Euchar. disp* 6 *qu.* 4 *punct.* 1 à Gabriele *in Canone Missæ lect* 51. à Leonard. Lessio *in Opere posthum. quæst* 76 *à num.* 52. *& seqq.* ab Abelly *in Medulla Theolog. tom* 2. *part* 2. *tract* 1 *cap.* 4. *sect* 5 § 3 *Difficultate* 6. à Franc. Collio *De Sanguine Christi lib.* 4. *disp* 9. *à cap* 1. *usque ad cap* X. in quibus allegat Alensem, Egidium, Richard Durand Paludan. Dionys. Carthus. Joan de Pohaco & alios A Gabr Barleta *in Serm. fer.* 4. *hebdom. Sanctæ*, *&* à Marcantio *in Candelabr. Mystic. tract.* 4 & novissimè à Suarezio *in* 3 *p tom* 3 *disp* 55 *sect* 1 Coninch *de Sacram. q* 76. *art* 8. *dub* 1. *&* Quarto *in Rubric. Missal. p* 3 *tit* 3 *sect* 3 *dub* 1. 2 3 *&* 4.

Horum Theologorum opiniones, & sententiæ firmant sequentes conclusiones quinque

*Prima* est, quod aliquando Dominus Noster Jesus Christus apparet servis suis dilectis in propria, & sibi intrinseca figura, permittendo se ab eis amplecti, & osculari, nullam enim involvit contradictionem, ut unum corpus sit in duobus locis, & sic quod Corpus Christi sit in cœlo, ac etiam sit super altare, vel in brachiis suorum dilectorum servorum, vel sub specie Infantuli, vel in sua propria magnitudine, prout verè apparuit S. Paulo eunti in Damascum *Actor* 9 ut docet S. Thom. 3 *p. q* 57 *art* 6 & probat Menoch *in Historia Sacra Act. Apostol. lib.* 1. *cap.* 23 *num* 3 & B. Petro Apostolo Romæ, teste Hegesippo *lib* 3. *de Excidio Urbis Hierosolym.* & aliis cumulatis per Lessium *De Euch quæst* 75 *num* 25 ubi respondet argumentis contrarium opinantium.

*Secunda Conclusio.* Aliquando, dum Hostia videtur versa in Carnem, vel species vini in Sanguinem, id contingit sine ulla intrinseca mutatione specierum Sacramentalium, eò quia immutatio fit tantummodò in oculo videntis sine mutatione objecti. Hoc autem evenire potest tripliciter, secundùm Sotum *in* 4. *d dist* 20 *q* 1 *art* 8 §. At verò. Vel læsione sensus, ut in lethargo, & phrænesi, vel ex immutatione aeris, vel productione specierum per divinam virtutem in oculo, aut in imaginativa; quemadmodum in visionibus prophetarum; & hic tertius modus est convenientior, non autem duo primi, ut docet S. Thom. 3 *p q* 76 *art* 8. Et tunc mutatio Hostiæ Sacræ parùm durat, & non solet videri ab omnibus, sed ab aliquibus tantùm, & Christi Corpus existit absque dubio in Eucharistia.

*Tertia Conclusio.* Aliquando Deus mutat unam tantùm partem specierum Sacramentalium, inductis quibusdam qualitatibus sensibilibus Carnis, vel Sanguinis, verbi gratia, colore, vel spissitudine, & conservat quantitatem, & alia accidentia occultiora earumdem specierum Sacramentalium, quæ quidem accidentia conservata sufficerent ad retinendam substantiam panis, & vini, si ibi esset, & tunc etiam sub tali specie Carnis, & Sanguinis manet Christus Sacramentaliter in Hostia illa, & sub illa figura, quæ apparet, ut bene explicat Lessius *in cit. q* 76 *de Euchar num.* 53. & Valentia *tom.* 4 *d disp* 6 *De Euchar qu.* 4. *punct* 1. *Vers. Porrò*,

*Quarta conclusio.* Aliquando autem mutatio Hostiæ, vel speciei consecratæ Sanguinis, fit quo ad totum temperamentum earumdem specierum Sacramentalium, adeout substantia panis, & vini, si ibi foret, per dictam mutationem, nequiret conservari, ob destructam omninò quantitatem dimensivam eorumdem accidentium, & in hoc casu cum ibi non rema-

remaneat Corpus Christi Sacramentaliter, ut docet S. Thom. *3. p. qu. 77. art. 4.* hæsitant Theologi in decidendo, quid sit credendum, & quid adorandum in illa apparitione, & figura carnis, vel sanguinis, vel pueri, aut alterius imaginis, quæ videtur? Et in hoc casu opinatus est Alex. de Ales *4. p. q. 11. membr. 2. art. 4. t. 3. quæstiune penult.* (quem refert Gabriel *cit. lect. 51.* & Collius *d. lib. 4. disp. 9. cap. 1. Vers. hujus opinionis*) sub illa specie apparente esse veram carnem naturalem, aut sanguinem Domini Nostri Jesu Christi. Rationes sunt. *Primò* quia hoc non est impossibile, nam idem corpus, etiam quantitativo modo, potest esse in pluribus locis, & consequenter videri. *Secundò*, quia hoc est convenientius, cum talis apparitio fiat vel in testimonium veritatis, & realis præsentiæ Christi in Sacramento, vel in singularem favorem, & consolationem alicujus justi. *Tertiò* ne detur occasio erroris, in adorando Carnem Christi, si ibi non sit ejus vera caro. Ita *Quartus cit. p. 3. tit. 3. sect. 3. dub. 2. in Rubric. Missal.* At hoc confutat S. Thom. *in d. q. 76. art. 8.* & Cajet. *ibid.* docentes, esse tunc quid miraculosum, conservandum, & adorandum sicut adoraretur, & veneraretur Vestis Christi; quod prosequitur Collius *dict. disp. 9. cap. 4. & seqq.* Placet tamen mihi conciliatio relata per Lessium *d. q. 76. num. 54.* dicentem; esse quidem possibile Deo, destructis dimensionibus, & cæteris qualitatibus specierum Sacramentalium, substituere ibi veram carnem naturalem, atque sanguinem, totumque corpus Christi Domini: sed credendum esse id non fieri. *Primò*, quia interdum ista species Carnis, & Sanguinis diu perseverat, & sensim nigrescit, & corrumpitur, ut patet in multis locis; Corpus autem Domini, & Sanguis est incorruptibilis. *Secundò*, quia ubicunque est Corpus Domini, ibi etiam est Sanguis, & Anima juxta Concilium Triden. *sess. 13. cap. 3.* nam partes Domini nunquam amplius separabuntur. Atqui non est probabile in illa portiuncula carnis tot annis manere Sanguinem, & Animam ejus. *Tertiò*, quia non est credibile, quando Sanguis miraculosè manat ex Hostia, esse Sanguinem Domini in propria specie naturali, nam Sanguis Domini non potest esse extra venas, & manere extra corpus. Est igitur dicendum, esse quiddam miraculosè efformatum, ad significandum ibi latere Corpus vivum, habens carnem, & Sanguinem; & adorandum fore tanquam signum, & vestigium veri Corporis latentis Christi Domini, non per latriam, nisi ad cautelam in theca carnis miraculosæ, seu sanguinis, reponatur Hostia consecrata; ut advertit Marcantius *in cit. Candelabro Myst. tract. 4. lect. 6. propos. prima in fine.*

*Quinta Conclusio.* In prædictis apparitionibus, & mutationibus consecratæ Hostiæ in Carnem, vel Sanguinem, Sacerdos non est obligatus dictam Carnem, vel Sanguinem miraculosum manducare, vel bibere, sed in Sacrario reponere. An autem debeat novam hostiam, & vinum consecrare, relinquitur in arbitrio ejusdem Sacerdotis, ut tradunt Valentia *d. puncl. primo in fine.* Lessius *dict. quæst. 76. num. 55.* Card. Toletus *in Summa lib. 2. cap. 9. num. 3.* Abelly *d. p. 2. tract. 1. cap. 4. sect. 5. § 3. in fine*, & Quartus ubi supra *dub. 5.*

## DECISIONIS XXVIII

### Ad Junii Primum Casum

### ARGUMENTUM

Examinatur, an sit Communicandus Concubinarius, qui profitetur, non amplius tangere Concubinam, sed pro gubernio domus eam tenere? Exponitur hoc nomen Concubina, declarando, quid Jus Canonicum antiquum, quid Jus Civile; quid Ecclesia hoc tempore intelligat pro Concubina? An Polygamia esset licita apud Gentiles, & apud Judæos? Casus propositus negativè resolvitur pluribus rationibus.

SUM-

## SUMMARIUM

1 *Concubinæ an olim permissæ?*
2 *Concubinæ in testamento veteri quomodo permissæ?*
3 *Concubinatus permissus de Jure Civili Pandectarum.*
4 *Concubinatus an sit contra charitatem Dei, vel proximi? & num. 26.*
5 *Concubinarius, non ejecta è domo Concubina, non est admittendus ad Sacramenta.*
6 *Fornicatio est peccatum mortale.*
7 *Hæreticum est asserere licitam copulam carnalem extra Matrimonium.*
8 *Concubinatus semper fuit damnatus à Jure Canonico.*
9 *Concubinatus prohibitus etiam à Jure Civili.*
10 *Concubinarii sunt excommunicandi.*
11 *SS. Augustinus, & Jo. Chrysostom. invehebant contra concubinarios.*
12 *Concubinæ è domo eiicendæ.*
13 *Eiicere significat longè expellere.*
14 *Occasionem proximam peccandi qui non fugit, non est capax Sacramentorum.*
15 *Publicus peccator, etsi confessus, nisi tollat scandalum, non est communicandus.*
16 *Concubinarius, etsi dicat non cangere amplius Concubinam domi suæ stantem, non est absolvendus.*
17 *Confessarii in Diœcesi Patavina habent expressam prohibitionem absolvendi Concubinarios, nisi actualiter dimissa Concubina.*
18 *Edictum Emin. Card. Barbadici Episcopi Patavini circa Concubinarios.*
19 *Cap.* Is qui, *& cap.* Christiano dist. 34. *declarantur.*
20 *Concubina olim erat vera Uxor, sed ducta absque solemnitatibus Juris.*
21 *Doctor dicens, licitum esse habere Concubinam secundùm Canones, fuit à S. Inquisitione processatus, & correptus.*
22 *Polygamia permissa in veteri testamento, ex Divina dispensatione.*
23 *Afri libidinosi.*
24 *Polygamia inter gentiles an esset peccatum?*
25 *Concubinatus de jure Civili nunc non est permissus, nisi quoad successionem filiorum.*
26 *Concubinatus est contra charitatem Dei, ac proximi.*
27 *Opinio est damnata, quod sit licitum tenere Concubinam, etiam copula cessante.*
28 *Concubina prius eiicienda, deinde impertienda absolutio.*

## PRIMUS CASUS.

*Concubinarius profitetur, non amplius tangere Concubinam, sed pro domus gubernio eam tenere, & suis, ac ipsius conscientiam expiasse Sacramento Pœnitentiæ. Petit Communionem. Quæritur, an communicandus?*

Disputationis gratia videtur respondendum affirmativè ex sequentibus.

1 Primò *ex cap. Is, qui dist.* 34. ubi in Concilio Toletano censetur approbatus usus Concubinæ inter personas solutas; ait enim: *Is, qui non habet uxorem, & pro uxore Concubinam habet, à Communione non repellatur: tamen, ut unius mulieris, aut uxoris, aut Concubinæ sit conjunctione contentus.*

Secundò ex *cap. Christiano ead. dist.* 34. ubi S. Isidorus ita loquitur: *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantùm aut uxorem; aut certè loco uxoris (si conjux deest) Concubinam.* Ergo qui unam tantùm habet, non est à Communione repellendus.

2 Tertiò; ex exemplis SS. Patrum in veteri testamento, quibus licitus erat usus Concubinarum; nam de Abrahamo legitur: *Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac; filiis autem Concubinarum largitus est munera. Gen.* 25. 6. De Gedeone refertur; *Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. Judic.* 8. 31. Et de Re-

de Rege David, fugiente impetum Absalonis *Egressus est ergo Rex, & universa domus ejus pedibus suis, & reliquit Rex decem Concubinas ad custodiendam domum* 2 Reg 15 16 De Salomone autem *Fueruntque ei uxores quasi Reginæ septingentæ; & Concubinæ trecentæ* 3 Reg 11 Et passim de aliis.

Quartò ex Sermone S. Augustini *Dominicæ 22. post Pentec.* ubi disertissimè narrat, 3 Episcopos Africanos, ob temporum iniquitatem, & peccantium multitudinem, permisisse usum Concubinarum, atque ad sacram Communionem admisisse Concubinarios; idque factum fuisse in Hispania, ob effrænatam libidinem virorum, de qua Salvian Episcopus Massilien *lib 7 de Providentia*, deducit Ferdinan. de Mendoza *lib 1 de Confirm. Concil Illiber cap 8* ut refert Barbos *in Collectan DD ad dict capit 15, cui dist. 34.*

Quintò ex Jure Civili Pandectarum, à quo non improbatur Concubinatus inter personas solutas *l. 1 & 3 & tota tit ff de Concubin l Item legato 47 §. Parvi, ff de legat 3 l Massurius ff de Verb signif* Bartol *in l 3 ff de Concubin* Menoch *de Arbitr Judic casu 418 num. 21* Cevall *contra com quæst. 295* & Ricciull *de Personis, quæ in statu reprobo lib 3 cap 8.*

Sextò ex ratione: nam Concubinam habere non videtur esse contra charitatem 4 Dei, quia copula carnalis non est directè peccatum contra Deum; neque contra charitatem proximi, & præcipuè prolis nasciturae: nam supponimus, Concubinarium velle educare, & curam habere filiorum, ex Concubina suscipiendorum, ut videmus in praxi. Sed quod non est contra charitatem Dei, vel proximi non est peccatum mortale S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 2. Ergò.

Septimò; tantò minùs, quia Concubinarius, de quo in casu, profitetur, non ampliùs tangere Concubinam, sed pro domus gubernio eam tenere, quo casu plurimi Theologi censent, id ei permittendum, maximè si Concubinatus non fuisset publicus, sed secretus, ut conatur probare Sancius *in Selectis disp 10. per totam* Tabiena *Verbo Concubinatus num 2.* Castropal. *tom. 1 tract 2. disput 2 punct 9 num. 15.* & alii, quos citat Summa Dianæ *Verb. Confessarius quo ad examen num 32.*

His tamen minimè obstantibus dicendum, & tenendum est, Concubinarium sive publicum, sive secretum, non dimissa, ejectaque Concubina, reperiri in statu peccati mortalis, & per consequens non 5 posse admitti ad Sacram Eucharistiam percipiendam.

Primò, quia Concubinatus idem est, ac continua fornicatio, immò tantò detestabilior, quantò magis est habituata, & familiaris Covarruvias *De Spons. part. 2 §. 4. cap 8 num 3* Gratian *discept forens cap 31 num 5* Sed fornicatio est peccatum 6 mortale, juxtà illud *Tob. 4. Attende tibi ab omni fornicatione* & Apostoli ad *Gal. 5 19 Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* & *1 Cor 16.18. Fugite fornicationem* Ergo

Secundò: Quia hæreticum est asserere, quod concubitus carnalis, extra matrimonium, sit licitus *Clem. Ad nostrum 3 De* 7 *Hæretic* ubi damnatur error consimilis Beguardorum, & Beguinarum, quem antiquitùs profitebantur hæretici Nicolaitæ; ut advertit Salelles *de S. Inquisit tom 2. lib. 3 cap 5 num 112.* Et novissimè decisum est in sacro Concilio Tridentino contra Concubinarios *sess 24. de Refor Matr cap 8.* Ricciull *de Personis in statu reprobo lib 3 cap 8 num. 15*

Tertiò quia semper jus Canonicum damnavit Concubinatus, & detentionem mu- 8 lierum non uxorum, *Cap. Concubinæ cap. Ancillam & cap Non omnis 32 q 2 cap. Nemo Cap Dicat aliquis & cap Meretrices 32 quæst 4. cap Audite 6 ibi Concubinas vobis habere non licet; & si non habetis uxores, tamen non licet vobis habere Concubinas dist 34.* Quod ex professo deducunt, & probant Bermon. *de Public. Concubin in Verb Et cum omnis fornicationis crimen num. 4 5 & 6* Menoch *de Arbitr Jud casu 418 à num 14. & seqq* Farinac. *de delictis carnis quæst 138 num. 27 28 & 29.* & Abb. *in cap Cum per Venerabilem num 31 Qui filii sint legitimi*

Quar-

Quartò. Quia Concubinatus est etiam prohibitus de Jure Civili, tum quia per 9 ipsum jus improbatur fornicatio, & illicitus concubitus extra Matrimonium. *l. Pantbonius ff. si à parente quis fuerit manumiss. l. Palam. ff. De Ritu Nuptiar. l. 4. ff. de condition. ob turpem caus. l. Imperialis, C. De Nuptiis.* Tum etiam quia, qui vivit in Concubinatu, vivit in peccato mortali. *§ Illud. Auth. Quibus modis Natur. eff. sui. cap. 1. De filiis natis ex Matrim. ad Morganic. contract. in Usib. feudor.* Et ita sentiunt plurimi Professores Juris Civilis, quos cumulat Farinac. *in cit. q. 138. n. 31.* Cevall. *in com. contra commun. quæst. 295.* Mandos. *cons. 102. num. 8.* Menoch. *cons. 461. num. 20.* Mantica *de Conject. ult. Vol. lib. 11. tit. 9. num. 3.* & Ricciull. *in d. lib. 3. cap. 8. num. 5.*

Quintò, quia tantùm abest, posse admitti ad sacram Communionem Concu-10 binarios, quod immò ipsi sunt excommunicandi, tum ex sacris Canonibus, & Conciliis antiquis, relatis per Emin. Cardin. de Lauræa *disp. 24. de Matrim. à num. 160. & seqq.* tum præcipuè ex Sacro Concilio Tridentino *cit. sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 8.* præmissa tamen trina monitione, quam servare non oportebit, si procedendum sit ad alias pœnas, videlicet carceris, exilii, aut pecuniariam contra eosdem Concubinarios, ut advertunt Panimoll. *decis. 17. Annot. 1. num. 65.* Diana *par. 1. tract. 2. resol. 88. aliàs 87.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 2. res. 292.*

Sextò. Quia Sancti Patres numquam toleravere Concubinarios detinentes apud 11 se Concubinas, sed eos semper, & incessanter increparunt, donec eas dimitterent. Sic S. Augustin. 243. *de Castitate Conjug.* ibi: *Coram Deo, & Angelis contestor, & ista mala semper prohibuisse, & numquam ea placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis Concubinas habere numquam licuit, numquam licebit.* Quod repetit *lib. 5. Homiliar. hom. 49.* quæ habetur *in dist. 34. cap. Audite.* Duas tantùm vias, ut viri cohabitent cum mulieribus, ait S. Joan. Chrysost. *Serm. contra Concubinarios*, his Verbis: *Una quidem vetus, ac justa, rationique consentanea, Matrimonium, quod à Deo Legislatore est institutum. Altera posterior, & injusta, ac lege adversa, nempè Concubinatus, sivè stuprum; quod à malignis dæmonibus introductum est.*

Septimò, Quia tanquam necessarium 12 requisitum, sine quo non potest Concubinarius effugere culpam coram Deo, & pœnas inflictas ab Ecclesia, est dimissio Concubinæ, & totalis ab ea separatio, ut advertit Concil. Trident. *cit. sess. 24. cap. 8. de Ref. Matrim.* ibi: *Si Concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint*, undè non sunt audiendi, si dicant, eas non amplius tangere carnaliter, sed ex alio honesto motivo illas secum detinere, nam oportet, ut eas dimittant, & se totaliter separent, siquidem *encere* significat extra domum 13 projicere, & omninò expellere, *c. Viduas 16. dist. 34.* exemplo Dæmonum, & Spirituum immundorum, qui coacti egredi è corporibus, dicuntur ejecti, juxta illud: *Erat Jesus ejiciens dæmonium: & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmonium locutus est mutus. Luc. 11. 14.* est igitur primùm ejicienda Concubina extra domum, deinde os aperiendum in Confessione, & ad Communionem.

Octavò. Ratio autem est manifesta; nam Concubinarius etiam occultus convincitur non habere propositum verum se emendandi, dum vult vivere in occasione proxima peccati, qualis est detentio Concubinæ, cum qua fuit solitus peccare, & ideò regula Juris, & bonorum Auctorum est, denanda esse Sacramenta illi, qui recusat ab occasione proxima peccandi se retrahere, etsi patiatur ma- 14 gnum aliquod detrimentum. Suarez *de Pœniten. disp. 32. sect. 2. in fine.* Grassius *in decis. aureis par. 1. lib. 1. cap. 28. num. 23.* Reginald. *in Praxi Pœnit. tom. 1. lib. 8. num. 19.* Navar. *in Summa cap. 3. num. 21.* & Emin. Card. de Lugo *de Pœniten. disp. 14. num. 156. & num. 157.* ubi hanc aliam reddit rationem, scilicet, quia *velle perseverare scienter in tali occasione proxima peccati mortalis, est novum peccatum mortale; obligatio enim non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter, cui obligationi*

S non

*non satisfacit; qui, cum possit, non vult relinquere occasionem proximam, & ideo non absolvitur, quia constat, illum non habere propositum non peccandi, cum actu peccet non vitando illam occasionem proximam, quam sub peccato tenetur relinquere.* Hoc ipsum fortissimis rationibus probat Emin. Cardinalis de Lauræa *in 4 sent tom. 2. disput. 12. de Pœnitentia art. 9* ubi *num* 228. arguit, nolentem relinquere occasionem proximam peccandi non habere propositum sufficiens pro validitate confessionis, ita dicens. *Propositum consistit in hoc, ut sit volitio non peccandi amplius: sed qui non decernit, causam proximam peccati relinquere, non habet talem volitionem, quia vult effectum, qui vult causam proximam; & non odit effectum, qui causam proximam non odit.*

Nonò non est danda sacra Eucharistia Concubinario, de quo in casu, quia ulterius extat scandalum inter fideles, cujus causa est repellendus Concubinarius ab Eucharistia, etiamsi accessisset ad Confessionem. Idem Eminen. Card. de Lauræa
15 *in d tom. 2. disp* 21. *art.* 12 *num* 347 ubi sic discurrit circa publicum peccatorem accedentem ad Confessionem, vel enim ejus publicum peccatum tale est, ut per solam Confessionem credatur remissum, & emendatum, ut blasphemus, iracundus, ebriosus, & in hoc casu, facta Confessione, potest admitti ad Eucharistiam. Vel ultra Confessionem requirit aliam probationem pro vera emendatione, & scandalo tollendo, & in hoc casu non statim danda est sacra Communio: & idcircò ipse Auctor Eminentissimus subdit: *Concubinarius, vel Usurarius publicus, Meretrix &c. si quando isti confitentur, & peccandi occasionem publicam non dimiserunt, relinquunt signum perseverantiæ publicæ in peccato.* Et deveniens ad conclusionem doctrinæ in his casibus, *num* 349 ait: *Dico primo, Peccatori publico confesso, relinquenti publicè signum perseverantiæ in eo publico peccato, non potest, neque debet confessor, qui eum audivit, ministrare alia Sacramenta neque in occulto, neque in pu-*
16 *blico.* Hanc eamdem doctrinam, de non communicando Concubinario detinente Concubinam, ratione scandali in populo, etsi profiteatur, non amplius tum carnaliter tangere, docuit Jordan *tom. 1 lib 3 tit 3. num. 60.* Navar *in Man. cap* 16 *num.* 20. Megala *Verb. Concubina num* 16 quem refert, & sequitur Diana *par* 5 *tract* 14. *res* 107 quæ sedet in Coordinato *tom* 1. *tract* 4. *resol.* 31.

Decimò: Quia non potuit prædictus Concubinarius expiare conscientiam suam, & ejusdem Concubinæ, Sacramento Pœnitentiæ, attenta prohibitione Eminentissimi, & Reverendissimi Præsulis facta
17 omnibus Confessariis Diœcesis hujus Patavinæ, usque sub die 10 Aprilis 1683 absolvendi consimiles personas, nisi actualiter dimissa Concubina, prout ex tenore sequentis Edicti.

„ GREGORIO, per Divina Misericordia del Titolo di S. Marco Prete „ CARDINALE BARBARIGO Vescovo di Padova, Conte di Pieve di Sacco &c. Al suo dilettissimo Clero, e Popolo di questa Città, e Diocese Salute „ nel Signore.

„ Non essendo tolerabile l'abuso, col
18 „ quale alcuni Confessori di questa Città, „ e Diocese, ò per poco studio, ò per molta libertà di coscienza, danno l'assolutione Sacramentale, & amministrano li „ Santissimi Sacramenti à quelli, che trattengono nelle proprie Case le Concubine, sopra l'assertione loro, di non havere più insieme copula carnale, il che è „ reprobatissimo da tutti i buoni Auttori sì „ Teologi, come Canonisti (a) non solo perche le sudette persone sono in prossima occasione di peccare, per cui restano „ incapaci d'assolutione, conforme alla dichiaratione fatta dalla Santità di N. S. „ INNOCENTIO PAPA XI (b) mà „ principalmente per lo scandalo, che risulta dal trattenere esse Donne, con le „ quali è notoria la mala prattica havuta, „ & per il pericolo manifesto, in cui essi „ versano di ricadere nella primiera colpa; „ per l'una, e l'altra delle quali cagioni „ non si possono dire ben disposti, per accostarsi à Santissimi Sagramenti: oltre il „ mal'esempio, che ne ticavano ben spesso i loro figliuoli, e nepoti, le discordie

„ nelle

„ nelle famiglie; il detrimento della riputatione, e molti altri gravissimi mali. Perciò con le presenti prohibiamo à tutti li Parrochi, e Confessori secolari, e Regolari, coll' Autorità nostra tanto Ordinaria, quanto Delegata dalla Santa Sede Apostolica, che in questa materia ci compettisce, l'assolvere le suddette persone, tanto huomini, quanto donne; se prima effectivamente le dette donne non saranno state licenziate dalle case, nelle quali sono cadute, e vissute in concubenato, e promettano da dovero d'astenersi affatto da qualsisia reciproca conversatione, come ricerca il vero pentimento dell' ofese già fatte al Signore Dio, a l'obligo di levare lo scandalo, & d'allontanarsi dal pericolo di ricadere in peccato. Protestando à Confessori, che trasgredissero questo nostro Precetto (che gli facciamo in virtù di Santa Obbedienza, & in ogni altra più efficace maniera) l'incorso nella scommunica fulminata da Sommi Pontefici contro chi presumesse diffendere opinione contraria, & il fevero castigo, che ne riceveranno dall' Eterno Giudice, oltre la privatione della facoltà di confessare, alla quale Noi procederemo contro gl' innobbedienti. Preghiamo poi nelle viscere del Signore tutti quelli, che sin hora havessero tenute le suddette Donne Concubine nella propria casa, à non lasciarsi ingannate da dottrine non sicure, ò pericolose, mà bensì à restare persuasi della necessità d'allontanare da se onninamente le dette Donne, per levare gl' altri dallo scandalo, e se stessi dal pericolo, come ricerca il vero pentimento, che professano delle colpe fatte contro sua Divina Maestà; acciò possino ottenere sicuramente il perdono, e la salute dell' anima; che è l'unico importantissimo punto, da essere procurato con l'ubbidire humilmente a Prelati, posti dal Signore Dio al governo spirituale de' fedeli. Dato in Padova dal Palazzo Nostro Episcopale il dì 10. Aprile 1683.

(Gregorio Cardinale Barbarigo Vescovo di Padova.

(a) S. Thom. *in 4. dist. 15 quæst. 1. art. 1.* S. Antonin. *3 par. tit. 14. cap. 26.* Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 14. num. 149* Azor *Instit. mor. par. 3. lib. 3 cap. 6 in fin.* Tamburin *de Exped. Confess. lib. 3. cap. 3 § 1. num. 2. & 12.* Navar *in Man. cap. 16 n. 20.* Sylvest. *Verbo Confessio quæst. 25 & Verb. Concubinat. num. 3* Mosconius *de Majest. Milit. Eccl. lib. 2. cap. 10. in fine* Summa *Angelica Verb. Concubin. num. 1.* Riciull. *de Personis, quæ in statu reprobo lib. 3 cap. 33* Gobat *in Exper. Theol. tract. 7. n. 535. in fin.* (b) *Propos. 61. & 62. inter damnatas die 2. Mensis Martii Anno 1679.*

Igitur stante tali Edicto in hac Diœcesi Patavina, & prohibitione, absolvendi Concubinarios, dicentes non amplius tangere mulieres suas Concubinas, in propria eorum domo detentas, manifestum est, neminem Confessariorum posse eosdem absolvere, tanquam casum Ordinario reservatum; & præsumentes impertiri absolutionem hujusmodi Concubinariis, præter ejus invaliditatem, incurrere pœnas latas contra Confessarios absolventes à casibus Episcopo reservatis in Decretis Sacræ Congregationis, emanatis jussu Summorum Pontificum Clementis Papæ VIII. *die 9. Januarii 1601. & die 26. Novembris 1602.* Pauli Papæ V. *die 7. Januarii 1617.* Urbani Papæ VIII. *die 17. Novembris 1628.* Innocentii Papæ X. *die 7. Decembris 1647.* De quibus Laurentius de Franchis *in Controvers. inter Episc. & Regul. par. 1. à num. 1458 & seqq. usque ad 1468.* Novarius *in Summa Bullar. par. 2 Commentar. 135 & par. 2 Comment. 46* & novissimè in Bulla Clementis Papæ X. *diei 2. Augusti 1670.* incipien. *Superna Magni Patrisfamilias.* Quæ est in Bullario *tom. 6* (inter illas prædict. Summi Pontificis) *Constitutio 7.* Et legitur etiam *pag. 605* post Busembaum impressum Venetiis anno 1686. Quod si absolutione expers remanet Concubinarius casus nostri, detinens adhuc domi Concubinam; irrefragabilis est consequentia, eumdem non esse admittendum ad sacram Communionem. *Cap. Qui scelerate. & cap. Timorem de Consecr. dist. 2.* Et in puncto Sacr. Trid. Concil. *sess. 13 De Sacrosan. Euchar. Sacrum cap. 7* nec non

 *can. 11.*

*can.* 11 latè Emin. Card de Lauræa *de Euchar disput* 25 *num.* 124. 125 *&* 126

Neque obstant argumenta in contrarium, disputationis causa, in principio adducta

Non primum *ex cap Is, qui.* Neque 19 secundum, *ex cap. Christiano dist.* 34. in quibus Canonibus dicitur, haberi posse Concubinam à non habente uxorem. Nam notissima, eaque concors Theologorum, Canonistarum, Juristarum, & Moralistarum responsio est, quod nomine Concubi- 20 næ ibi intelligitur uxor vera, sed ducta absque solemnitatibus, eo tempore de Jure Civili requisitis, præcipuè sine legalibus, & dotalibus instrumentis, erat autem vera uxor, quia ex testimonio S Augustini, relato *in cap Solet* 32 *quæst* 2. tria requisita, ad verum Matrimonium necessaria, concurrebant, idest ut esset uterque solutus, ut alteri non adhærerent, & filiorum procreationi vacarent, & ut simul usque ad mortem permanerent Emin. Card de Lauræa *de Matrim. disp* 24. *art* 7 *à numer.* 168. *& seqq.* Covaruvias *de Sponsal par.* 1 *cap* 4. *num.* 9. *DD in l Masurius ff De Verb signific.* Menoch *de arbitr. Jud casu* 418. *num.* 20. Barbos *in collect DD ad d. cap Is, qui* ubi alios cumulat, *dist* 34 Racciullus *De Person in statu reprobo d lib.* 3 *cap* 1 *num* 10. ubi observat; uxores privatim assumptas in uxores fuisse appellatas Concubinas, antequam ab Ecclesia prohiberentur clandestina Matrimonia, quibus proscriptis, nomen Concubinæ indidit eam tantùm, quæ libidinis explendæ causa domi retinetur *cap* 2. *&* 3 *cap. Vestra cap Tua & cap fin De Cohabit Cleric. & mulier* Suedus *de Alim tit* 1 *quæst* 9 *num* 11 Card. Paleottus *de Nothis, & Spuriis cap* 12. *num* 12. *&* 13 Anastas Germon. *lib* 1 *animadv. cap* 11 Soto Major *in cap* 6 *Cantic num* 7. Abulens *in cap* 19 *Jud quæst* 4. quos allegat Carena *de Sancto officio par* 3 *tit* 3. *num* 33 ubi lepidum casum refert cujus- 21 dam Doctoris, denunciati in Sancta Inquisitione, eo quia dixisset in Villa, in qua habitabat; non habenti uxorem licitum esse habere Concubinam vigore Sacrorum Canonum, super qua expressione interrogatus, respondit, se intellexisse de uxore absque solemnitatibus ducta, juxta *tex in cap Is, qui, & cap Christiano dist* 34 Fuit tamen à S Tribunali graviter objurgatus ob propositionem, quæ his temporibus censetur scandalosa, & obligatus ad declarandum coram Parocho, & rusticis illius Villæ, quod olim per eosdem Canones nomine Concubinæ intelligebatur vera uxor, quamvis sine solemnitatibus, & Instrumentis legalibus ducta.

Tertium non obstat desumptum ex SS. Patribus veteris Testamenti, nam cùm illis ex Dei dispensatione, ad multiplicandum 22 populum fidelem, licitum esset habere plures uxores, inter illas, quæ prior erat in dignitate, vocabatur Uxor, reliquæ dicebantur Concubinæ, sed erant veræ uxores; ut inter Theologos comprobat Emin Card. de Lauræa *dict tom* 3 *tract de Matrim disp* 24. *art* 7 *à num.* 149 & Mastrius *in* 4 *Sent disp.* 7 *num* 218 *&* 219 ubi rationem reddit justitiæ hujusmodi dispensationis; itaut Polygamia esset licita quoad maritum, non autem quoad uxorem. Et inter expositores Sacræ Scripturæ, Tostatus, Lippoman. Oleaster, Delrius, Cornelius à Lapide, & alii apud Serlogum *in Cantic. tom* 3 *Vestigat* 34. *num* 7

Quartum non obstat, quia etsi inter Afros, & Hispanos antiquis illis tempori- 23 bus grassaretur libido, & Concubinatuum usus, ad eam explendam; attamen non fuit ab Ecclesia, neque à Sacris Conciliis approbatus, ut bene demonstrat Barbos. *in dict cap Is, qui* refellens calumniantium Mendozæ assertionem

Quintum non subsistit, quia vel consideramus Jus civile ante receptam Christianam Religionem, & nulli mirum si Romani, dum essent Gentiles, admittebant Concubinas. *l* 1 *& tot. tit ff de Concubinis* Racciull *de Personis in statu reprob d lib.* 3 *tit* 1 *num* 3. exemplo Hebræorum. Sed an ipsi Gentiles poterentur eadem dispensatione, itaut licitè uterentur Polyga- 24 mia? disputat Sanchez *de Matrim lib* 7 *disp* 80. *num* 13. ubi DD & Mastrius *in cit disp.* 7 *de Matrim. n* 220. Vel consideratio

cait,

cadit, postquam Imperatores Romani amplexi sunt Evangelium, & in hoc casu eorum leges non admittunt Concubinas, nisi quo ad successionem filiorum, secus etenim quo ad animam, & æternam salutem, 25 quia Concubinatus resolvitur in fornicationem, quæ etiam de jure civili est prohibita. *l. Imperialis. C. de Nuptiis l. Plenthonius ff. Si a parente quis fuit man. l. 4. ff. de Condit. ob turpem causam.* Ricciull. *d. lib. 3. cap. 8. num. 3. & 6.* & Gratian. *discept. for. d. cap. 51. num. 5.*

Sextum est falsum: nam Concubinatus est contra charitatem Dei, quia est peccatum mortale, prohibitum à lege Di- 26 vina, qui autem legem non servat, Deum non diligit, juxta illud *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Joan. 14. 21.* Et è contra: *Qui non diligit me, sermones meos non servat ibid. num. 24.* S. Thom. *1. 2. quæst. 87. art. 4.* Est etiam contra charitatem proximi, nam offendit statum prolis nascituræ, quæ oritur cum nota ignominiæ, non delenda toto tempore ejus vitæ, incapax bonorum, dignitatum, & fidei commissorum, itaut plures nothos, & spurios tædeat vivere, ut probat S. Thom. *lib. 3. contra Gent. cap. 122.* Segner. *part. 1. Christ. Instruct. disc. 23. num. 4.* & Card. Paleott. *de Nothis, & Spuriis cap. 65. per totum.*

Septimum tandem cadit argumentum ab auctoritate Doctorum, permittentium retentionem Concubinæ in propria domo ejus, qui assent, cum illa amplius non pec- 27 care, siquidem eorumdem Doctorum sententiam, doctrinam, & opinionem, tanquam scandalosam, & erroneam, damnavere Alexander Papa Septimus *die 2. Septembr. 1666.* ad propos. 41. conceptam his verbis: *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Et Sanctissimus D. N. Innocentius Papa Undecimus, qui *Anno 1679. die 4. Martii*, pariter damnavit sequentes opiniones.

61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

Constat autem, ex eisdem Decretis Pontificiis inflictam esse excommunicationem Papalem contra defendentes easdem damnatas opiniones; & præceptum esse in virtute Sanctæ obedientiæ districtè, & sub interminatione Divini judicii omnibus Christi fidelibus, ne easdem opiniones ad praxim deducant.

Quapropter concludendum, esse prius ejiciendam Concubinam, deindè Concubinarium absolvendum, & communican- 28 dum, & ita ego practicavi 40. ab hinc circiter annis, cum junior essem, cum quodam Concubinario, in periculo vitæ ob febrem mortalem constituto, qui licet ægrè audisset resolutionem meam de eo non absolvendo, neque communicando ob existentiam Concubinæ in eadem domo, facta deinde ejectione, & receptis Sanctissimis Sacramentis, obivit in Domino, meam assistentiam flagitans, ac me exaltans corde sincero, ob ejectum dæmonem illum è domo sua.

## DECISIONIS XXIX.

### Ad Junii Secundum Casum.

### ARGUMENTUM.

Sciscitatur, an Sacerdos, qui commodè celebrare non potest; seipsum possit communicare, ex devotione?

### SUMMARIUM.

1 *Sacerdos extra Missam an seipsum possit communicare?*

2 *Sacer-*

2 *Sacerdotes olim non celebrantes communicabantur à celebrante.*
3 *Sacerdos extra Missam potest seipsum communicare, & num 5 & 6*
4 *Eucharistia olim concedebatur laicis, & Eremitis, ut seipsos communicarent.*
7 *Diacono præsente, an Sacerdos possit seipsum communicare?*
8 *Eucharistia an possit deferri in casu mortis, absente Sacerdote, & Diacono, à simplici Clerico, vel Laico? remissivè.*

## CASUS SECUNDUS.

*Sacerdos non celebraturus neque hostiam, neque Parochum reperit, sed clavem ciborii Quærit, an seipsum communicare possit, ut suæ devotionis satisfaciat?*

MUlti negarunt; plurimi affirmarunt, & pro utraque opinione tum rationum, tum Doctorum ingens numerus fuit relatus

Quod non possit Sacerdos extra Missam seipsum communicare oppinati sunt Filliuc. 1 *tom. 1. tract 4. cap 9. num. 285* Armilla *Verb Communio num 8* Cajetan *eod Verb.* Villalob. *in Summa tom 1 tract 7 cap 48* Novissimè Pasqualig. *in Theolog tom 2. disp 108 num 36* Horum rationes sunt 1 Quia ex Conc Trid *de Euchar sess 13 cap 8* duo tantùm sunt modi communicandi, unus à seipso celebrante in Missa, alter de manu Presbyteri 2 Quia non celebrans, etsi Sacerdos, recipit communionem more laicorum, & sic eam debet recipere de manu alterius Sacerdotis 3 Quia ovis est pascenda à Pastore; cumque non celebrans consideretur tanquam ovis, non à se, sed à Pastore est pascendus Eucharistia 4 Quia si ob gradum Sacerdotale licitum esset Sacerdoti non celebranti propriis manibus se communicare; absente alio Sacerdote, id etiam sibi liceret præsente altero Sacerdote, & tamen nemo audet hoc asserere 5 His rationibus addenda est non contemnenda eruditio deprompta ex studio antiquitatis; scilicet, quia in primitiva Ecclesia plurimi Sacerdotes, qui quotidiè non celebrabant, nihilominus communionem sacram accipiebant, non 2 suis manibus, & à seipsis, sed de manu alterius Sacerdotis Calalius *de Veterib Sacris Christian. Ritib part 2. cap. 15* Novissimè Mabillon *de Liturgia Gallicana lib 1. cap 6. num 2. Et in Præfat. ad Seculum Benedictin 2. num 36.*

At è contra quod possit Sacerdos, de quo in casu, sumere de per se Sacram Eucharistiam sustinet Diana *part 11 tract. 7 resol 42.* Quæ est impressa in Opere Coordinato *tom 2. tract 2. resol. 39* & ibi allegantur Leander, Dicastillus, Martinus de S. Joseph, Amicus, præter Sylvium, Homobon Fagund & Suarezium aliàs citatos per eumdem Dianam *part 2. tract 14 resol 33. in d tom. & tract 2. Coordin resol 40.* Quibus ego adjungo Bonacinam *tom.1 De Euchar disp 4. quæst 5 punct 1 num 13* Tamburin *de Commun cap 6 § 5* Volpi *in resol. Moral Verb. Euchar resol 59 num 6* Et Gonet. *tom 5 De Euchar disp 10. num. 19.* Rationes eorumdem sunt. 1 Quia nullum jus hoc prohibet. 2. Quia si Sacerdos extra 3 Missam potest aliis ministrare Eucharistiam; ergo etiam sibi ipsi, ne sit deterioris conditionis 3 Quia in die Parasceves non consecrat, neque Sacrificium facit, & tamen se communicat, 4 Quia in Eucharistiæ administratione non est necesse, ut alter sit Minister à suscipiente; olim etiam (ut dictum est supra) concedebatur Sacramentum laicis, & Eremitis, ut secum illud tenerent, & juxta suam devotionem 4 sumerent 5 Quia in Concilio Primo Niceno *can 14* conceditur Diaconis, ut possint, absentibus Presbyteris, seu Episcopis, sumere de per se Sacram Eucharistiam. Ecce Verba dicti Canonis *Accipiant (Diaconi) Eucharistiam secundùm ordinem post Presbyteros, ab Episcopo, vel à Presbytero Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant* Quæ leguntur etiam apud Cotonium *lib 2. controv 4 cap 7 num 160.* Ergo si id concessum est Diaconis, non est negandum Presbytero, si alii absint Sacerdotes, siquidem, & ipse est Diaconus

Hæc ratio est fortissima, & hæc opinio affirmativa est communior, quam etiam ample

amplectuntur (cessante scandalo, & urgente aliqua rationabili causa, qualis est illa simplicis devotionis) idem Coton. *d. cap. 7 num 157 Colleg. Salmanticen. tom 10. de Sacramentis tract. 4. cap. 9. num. 18.* Layman *lib 5 tract 4. cap 7 num. 6.* Emin Card. de Lugo *De Euchar. disp 18. num. 28* Et Emin. Cardin. de Lauraea *de Euchar. disp. 24 art. 5 num. 67 & 68*

Neque urgent multùm rationes contrariae, ad primam enim, & secundam respondetur, Presbyterum, de quo in casu, communicantem recipere Communionem à Sacerdote, qualis est ipse. Ad tertiam pasci à Summo Pastore Christo Domino, cujus ovis est idem Sacerdos. Ad quartam, cum alii Sacerdotes sint praesentes, à quibus communicari possit, cessare necessitatem, cujus intuitu dicimus, posse semetipsum communicare. Ad quintam, praxim antiquam non officere casui nostro; siquidem tunc Sacerdotes non celebrantes communicabantur ab aliis, quia alii Sacerdotes non deficiebant, sed erant praesentes, quod cessat in casu nostro. Hinc antiquitùs erat in usu, ut Anachoretae, & alii incolentes Eremos retinerent apud se Sacram Eucharistiam, & deficientibus Sacerdotibus eam acciperent à seipsis, ut legitur apud Emin Bonam *Rer. Liturgic. lib. 2. cap 17 num. 4.* Macrum *in Hierolexo Verb. Eucharistia.* Emin. Card. Baronium *Ann. 57 & ibi* Spondan. *num. 43* Et nos infra Decis. LXII.

Ex his supracitati Auctores proponunt duo alia quaesita, Unum, an praesente Diacono, teneatur Sacerdos recipere de manu illius Sacram Communionem? Alterum, an in casu mortis, deficiente Sacerdote, ac Diacono, possit Clericus simplex, & etiam merus Laicus deferre Viaticum Eucharisticum moribundo? Et pro utroque quaesito alii Doctores negant, alii verò affirmant; Lector recurrat, ad Gobatum *in sua Experiment. Theolog. tract. 4. à num 443 & seqq* ad Lezanam *consult. 48. n. 83* & ad ea, quae dicentur infra in secundo casu Mensis Augusti. Decis. XXXIX.

## DECISIONIS XXX

### Ad Junii Casum Prudentialem

### ARGUMENTUM.

Ostenditur, An Sacerdos communicandus extra Missam debeat habere *Stolam*? Declaratur, quid essent Stolae apud Hebraeos, & apud Romanos? Quid sint apud Venetos, & apud Ecclesiasticos? Agitur de Stolis, quas portant Parochi Patavini collegialiter incedentes; in signum quod olim erant, & adhuc sint de gremio Ecclesiae Cathedralis. Quare idem Parochi non praecedant capellanos ejusdem Cathedralis in Processionibus? Ostenduntur praerogativae, quas habet Parochus ob Stolam in functionibus Parochialibus, & praecipuè in funeribus, & exequiis defunctorum. Tandem deciditur, an omnes Ecclesiastici teneantur de Praecepto, feria Quinta in Coena Domini, communicare?

### SUMMARIUM.

1 *Stola apud Hebraeos erat vestis viritis; tegens totum corpus, à collo usque ad talos.*

2 *Medi utebantur Stola, idest veste oblonga.*

3 *Sacerdotes Hebraei utebantur Stolis lineis. Alii Levitae laneis.*

4 *Stola apud Romanos erat Vestis muliebris.*

5 *Octavius Ferrarius Lector publicus Patavinus laudatus.*

6 *Aures mulierum etiam antiquitùs forabantur.*

7 *Stola apud Venetos est pannus segmentum oblongum, dodrantalis latitudine*

8 Equitis

8 *Equitis titulo Veneti Senatores ornati Stolam limbo aureo ornatam deferunt*
9 *Parochi Patavini Doctores portant Stolam cum pellibus peregrinorum murium in limbo*
10 *Parochi Patavini sunt de gremio Ecclesiæ Cathedralis, & pluries in anno intrant in Chorum ad publicas preces*
11 *Parochi Patavini quare non habeant præcedentiam cum Capellanis Ecclesiæ Cathedralis?*
12 *Stola apud Ecclesiasticos quid sit? & num. 15*
13 *Orarium quid sit? & num. 16*
14 *Stola intelligitur appellatione Orarii*
17 *Stola quare vocetur Orarium? & numer. 19.*
18 *Monachis olim prohibito sudariola ad delicias*
20 *Orariis, idest Semicintiis lineis utebantur olim ministrantes in mensis.*
21 *Stola secundum Theologos significat Divinam gratiam, ac alia plura.*
22 *Stola secundum Canonistas innuit dignitatem Sacerdotalem*
23 *Stola in Parocho significat jurisdictionem*
24 *Parochus in funeribus habet præcedentiam super Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ, nisi consuetudo sit in contrarium*
25 *Parochus non potest impediri à Regularibus, ne ingrediatur eorum Ecclesias cum Stola, & Cruce, dum associat funus sui Parochiani*
26 *Novitates præsumuntur malæ, & pariunt discordias*
27 *Stolam pendentem è collo debet habere Sacerdos communicans extra Missam sub pœna peccati mortalis. Contrarium num. 31 & 35*
28 *Excommunicatio non fertur, ubi non est peccatum mortale*
29 *Rubricæ Ritualis habent vim legis.*
30 *Lex Ecclesiastica obligat ad culpam mortalem.*
32 *Sacerdotes extra Missam Patavii communicantes habent Stolam*
33 Hortamur *Verbum in re gravi habet vim præcepti*
34 *Doctorum plurium opinio ex eorum multitudine non excusat à mortali*
35 *Ecclesiastici tenentur se communicare in feria V. Cœnæ Domini*
36 *Sacerdotes, non habentes beneficium Ecclesiasticum, non tenentur communicare in feria V. Cœnæ Domini. Sed celebrare in Paschate*
37 *Consuetudo est licita celebrandi in feria V. Cœnæ Domini aliquam Missam privatam in Capellis, vel Oratoriis.*

## CASUS PRUDENTIALIS.

*An Sacerdos communicandus extra Missam debeat Stolam ad collum appensam habere? Et an feria Quinta in Cœna Domini omnes Ecclesiastici de præcepto teneantur intra Missam Solemnem communicare*

Duas habet partes Casus iste. Unam de adhibenda Stola in receptione Sanctissimæ Communionis per Sacerdotem. Aliam de Communione Cleri in Quinta feria majoris hebdomadæ.

Circa primam partem, ad ornatum materiæ duo pariter sunt examinanda. Unum *quid sit Stola?* Alterum *quid significet?*

Quo ad primum, scire oportet, aliam fuisse Stolam apud Hebræos, aliam apud Romanos, aliam apud Venetos, & aliam apud Ecclesiasticos.

Apud Hebræos Stola erat vestis Virilis, talaris, honorifica, qua tegebatur totum corpus à collo usque ad talos, & ea utebantur Viri; ut testantur plura exempla Scripturæ Sacræ, nam cum Pharao constituisset Joseph super universam terram Ægypti, *Vestivit eum Stola byssina* Gen 41 42 Cumque ipse Joseph se manifestasset fratribus suis, ipsique reversuri essent ad patrem suum Jacob, tunc Joseph *Singulis quoque proferri jussit binas Stolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque Stolis optimis* Gen 45 22 Similiter cum Rex Assuerus decrevisset honorare Mardochæum, dixit Amano: *Festina, & sumpta Stola, & equo, fac ut locutus es Mardochæo Judæo. Tulit*

*itaque*

*itaque Aman Stolam, & equum, indutumque Mardochæum in platea Civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat, &c Esther. 6 10.* Et omissis aliis, cum Filius prodigus pœnitens reversus esset ad Patrem *Dixit Pater ad servos suos, citò proferte Stolam primam, & induite illum. Luc 15 22.* Qui quidem mos vestiendi Stola insignes viros apud Hebræos, vel fuit per eosdem acceptus à barbaris nationibus, vel ad easdem ab illis transivit, nam etiam 2 Medi utebantur Stola pro vestitu, quam Cyrus transtulit ad Persas, teste *Xenophonte lib 8. de Cyro*, ita scribente *Itaque elegit Stolam Medicam & ipse ferrè, & ut familiares ea uterentur persuasit. Hæc enim et visa occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore*, (Eo quia erat vestis fluxa, & cadens ad pedes) *Præterea illa indutos pulcherrimos, & maximos conspici, hoc est decorem, & amplitudinem staturæ augere.* Et concordat Diodorus Siculus *lib 2.* narrans, *Arbacem*, qui primus ex Medis Assyriorum imperium, defuncto Sardanapalo, occupavit, *indutum Regia Stola Regem appellatum fuisse.*

Porrò Hebræi Sacerdotes utebantur Stolis lineis, non etiam alii Levitæ, quorum 3 Stolæ erant laneæ, donec à Rege Agrippa de facto, & contra instituta legis atriæ fuerunt etiam Levitis lineæ Stolæ concessæ, ut scribit Joseph Flav. *lib 20. antiq cap 17* his verbis *Leviticæ Tribus homines, quorum erat sacros hymnos in templo canere, adito Rege (Agrippa) induxerunt eum precibus, ut advocato Concilio, decerneret eis usum Stolæ lineæ, quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus: hanc enim novationem pertinere ad perpetuum ipsius Regni memoriam. Neque frustra fuit eorum postulatio. Rex enim de Concilii sententia permisit hymnorum Cantoribus; ut, deposito priori habitu, lineum, ut voluerunt, sumerent.* Quod etiam observavit Eruditiss. ac Eminentissimus Cardin. Brancatius in *Opusc. De Benedict. Diaconali pag. 332.*

Apud Romanos, è contra, Stola erat Vestis muliebris; juxta magistrale responsum Vulpiani Jurisconsulti *in l. Vestis. 25 ff de Auro, & Argen. leg.* in qua, cum dixisset. *Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria;* Explicans ea, quæ 4 spectabant ad mulieres, primo loco nominavit *Stolas*, ita scribens *Muliebria sunt, quæ Matrisfamilias causa parata sunt, quibus Vir non facilè uti potest sine vituperatione, veluti Stolæ &c.* Idcircò *Octavius Ferrarius*, (in quo nostris temporibus 5 adeo floruit eruditio Græcæ, ac Latinæ linguæ, & à quo Lycæum Patavinum voce, & typis fuit decoratum) *lib 3 de Re Vestiaria cap 17* definivit, quod *Ingenuarum, & honestarum Matronarum propria Stola fuit, tunica scilicet manicata, sivè manuleata ad plantas fluens, purpura, segmentis, sivè limbis aureis ornata, eademque multis rugis, ac plicis constricta.* Et adfert testimonium Martialis irridentis quamdam vetulam utentem ampla Stola his versibus

> *Cum tibi trecenti consules Vetustina,*
> *Et tres capilli, quatuorvè sint dentes,*
> *Rugosiorem geris Stola frontem.*

Sic Cicero redarguens effæminatos mores Marci Antonii, *Philipp 2. ait*, *Sumpsisti virilem Togam, quam statim muliebrem Stolam reddidisti.* Et Tertullianus *lib de Pallio* vituperans Achillem, morantem inter fæminas, dixit: *Ille ferarum medullis educatus, sustinet Stolam fundere, comam struere, speculum consulere, aurem quoque foratu effeminare.* Pari mo- 6 do Seneca *de Beata Vita cap 13* de Epicuro loquens per ironiam, subdit *Hoc tale est, quale Vir fortis Stola indutus.* Itaque Stola erat verè, & propriè Vestis muliebris apud Romanos, nam & Caligula vocabat Liviam *Ulyssem Stolatum*, & Valerius Maximus scribit de Matre, & Uxore Coriolani *lib 5 cap 11. In quorum honorem, Senatus Matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque ut fæminis semita Viri cederent, confessus plus salutis Reipublicæ in STOLA, quàm in armis fuisse.* Vitruvius quoque ostendit Stolam fuisse vestem fæmininem, loquens de Caryatidibus *libr. 1. cap 1.* his verbis. *Oppido capto, viris interfectis, matronas eorum in servitutem abduxerunt; nec sunt passi STOLAS, neque ornatus matronales deponere.*

T Apud

Apud Venetos Stola est panni Segmen- 7 tum oblongum, dodrantalis latitudine, quod sinistro humero iniciunt. Olim enim pro capitis integumento erat, inferiori parte in humeros, & dorsum decorè fluente, quæ vulgo *Capuccia* dicebantur, nempè cuculli, sed postquam pilei rotundi in usum venerunt, eadem res ornamenti causa servata est, & à Venetis Patriciis vocatur *Stola*, quam limbo aureo exornant, qui à Senatu, vel Regibus titulo Equitis sunt decorati, & ex purpura auro contexta effor- 8 matam portant, cum Senatores rubeas togas induunt, quod notat idem Ferrarius in *Analect. de Re Vestiar. cap* 16. *Idem in Dictionario De Origine Linguæ Italicæ Verb. Stola*. Hinc non inutile advertere, Congregationem Parochorum Paduæ adhibere ad ornatum satis consimilem Stolam, *Capuccinum* appellatam, quam in humero sinistro Parochi portant dum Cottam induunt, & 9 collegialiter procedunt, cum pellibus peregrinorum murium in limbo, si Doctoralem lauream possident, illam enim antiquitùs deferebant ad cooperiendum caput, dum ipsi noctu ad divinam psalmodiam chorum Ecclesiæ Cathedralis ingrederentur, unà cum Canonicis; tanquam de gremio ejusdem Cathedralis, & primi coadiutores in divinis officiis; quibus deinde ad Curam animarum in Ecclesiis filialibus Urbis dimissis, successere novi Capellani, instituti pro adimplendis piis Legatis relictis cum onere Missarum, & residentiæ Choralis, retento tamen jure per 10 eosdem Parochos eumdem chorum ascendendi pluries in anno, quamvis deperdito loco superiori, stando, & deambulando in Processionibus, illoque modernis Capellanis acquisito, ex non benè deductis Juribus Parochorum in judicio, quorum Advocati, excellentiorem statum protendentes, antiquiorem verò originem, ac retentum jus gremii tacentes, 11 litem perdiderunt, in qua fuissent victores, si antiquitatem Parochorum in servitio Cathedralis, & jus interveniendi, quod adhuc in choro habent, tanquam membra ejusdem Cathedralis, ostendissent. Rota coram Buratto *decis.* 862. Bordon *in Theatr. Præcedentiæ num.* 128. Bichius *decis.* 566. Ludovisius *decis.* 284. Cæsar de Panimoll. *decis.* 1. *Adnot.* 17. Sed hæc obiter sint dicta.

Apud Ecclesiasticos autem Stola duo habet nomina, etsi unicum esse, si 12 quidem appellatur etiam *Orarium*, & quid sit tum *Stola*, tum *Orarium*, licèt unum sint, non ita planè potest definiri. Experientia docemur, Stolam nostram non esse vestem, sed veluti torquem à collo per humeros ad pectus pendentem, & usque ad genua protensum. Nihilominus Orarii nomine, (quod est idem ac 13 Stola) intelligi vestem clericalem, indicat *tex. in cap. Ut Presbyteri* 17. q. 4. ubi ex Concilio Triburiensi statuitur, *Ut Presbyteri non vadant, nisi Stola, aut Orario induti, & si in itinere spolientur, aut vulnerantur, vel occiduntur non Stola vestiti, simplici emendatione solvantur, si autem cum Stola tripla*. Non enim est verisimile, quod per vicos, & plateas, ac etiam per longa itinera Presbyteri tenerentur deferre Stolam nostri temporis à collo pendentem, sed potius, incedere cum veste clericali, quam significare illi Patres voluerint, dictis vocibus *Stola*, & *Orario*, quod apertius videtur innuere *tex. in cap. Nullus*. 21. q. 4. sic disponens, *Nullus eorum, qui connumerantur in clero, vestimentum indecens habeat, sivè in civitate degens, sivè in itinere ambulans: sed Stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis*: ubi glossa *in d. Verb. Stolis* ait, *idest Veste talari*. Ergo Stola apud Ecclesiasticos denotabat vestem talarem, ad quam allusit alia glossa *in l. 1. Cod. Nulli licere in frænis lib.* 11. ubi comparativè loquens ad vestimenta aliarum personarum dixit *Clamys militum, Purpura Regum, Toga Advocatorum, Habitus rusticorum, Cuculla Monachorum, Stola Sacerdotum*.

Cæterum nomine *Orarii* Stolam, qua nunc utimur, intelligi omnes Ecclesiastici Scriptores testificantur. *Gemma animæ lib.* 1. 14 *cap.* 204. *Deindè circumdat collum suum Stola, quæ & Orarium dicitur*. Rabanus Maurus *lib.* 1. *cap.* 19. *Quintum est, quod Orarium dicitur, licèt hoc quidam Stolam vocent*. Alcuinus de Divinis officiis *cap.* 39. *Sequitur Orarium, idest Stola*. Et adstipulantur vete-

rum

rum Conciliorum Patres, à quibus multa de usu Orarii sancita sunt, quæ satis, superque constat ad Stolam nostri temporis pertinere, ut ex exemplis relatis per Macrum *in Hierolex Verb Orarium*, & novissimè per Emin. Cardinal Bonam *libr. 1 Rerum Liturgic cap 24 à num 6* Et Octavium Ferrar *in Analect. de Re Vestiar cap* 23 qui sentire videntur, Apostolorum ævo Stolam, seu Orarium, fuisse quidem vestem oblongam, Ecclesiasticam, totum corpus ambientem, qua indui Præsbyteri sacra faciebant, at deinde, cum fuerit introducta *Alba* (quam *Camisum* appellamus) & Planeta pro usu Sacrificii, Stola antiqua 15 mutata est in torquem, ut expresse docet Durand *in Rational Divin offic lib 3 cap.* 5 Sed retinuit hanc nomenclaturam à fasciis, quæ in limbo Stolæ antiquæ assuta erat, cujus fasciæ latitudinem imitatur Stola nostri temporis, retento totius vestis nomine in parte infima illius, ut conjicit Vincen Ricard *in Comment ad Orat.6 S Procli*, & observat Baysius *de Re Vestiar cap* 17 atque admittit Emin Card Bona *d cap* 24. *num 6* & Mabillon *in Liturg Gallic lib 1 cap 7 num 1 in fine*

Nec ignorandum, antiquitus Orarium nihil aliud fuisse, nisi Sudarium, strophium, aut linteolum, quo facies abster-16 gitur, teste *Flavio Vopisco in Aureliano* scribente, ipsum primum donasse Oraria populo Romano, quibus uteretur ad favorem, quia videlicet sublatis in altum Orariis, censebantur obtendere favoris signum, & Regem venerari Ac *D Ambrosio* in Oratione, quam habuit in obitu Satyri fratris sui, dum describens tempestatem, qua jactabatur, *Divinum*, inquit, *fidelium Sacramentum ligari fecit in Orario, & Orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare*, quo loco Orarium non Stolam, sed linteum significat, non enim Stola pertinebat ad Satyrum, qui laicus erat Idem depromitur Ex S. Ambros. *Epist* 54 De miraculis SS. Gervasii, & Protasii, ibi: *Quanta Oraria jactitantur, & tactu ipso medicabilia reposcuntur*; Et ex S Augustino *lib 22. de Civit Dei cap 8* ibi *Ocisum lapsum ligavit Orario*. Sed quæ relatio Orarii antiquorum ad modernam Stolam, erant Oraria, ut dictum est, Sudaria, & 17 linteola, magis longa, quàm lata instar fasciæ; cujus aliquam similitudinem repræsentans nostra Stola, obtinuit vocari Orarium, & Sudaria illa vocata sunt Oraria, ab ora vestis, quam antiqui adhibebant ad tergendam faciem, antequam linteola in usu essent, unde Plautus *in Mercatore Act 1 Scena 2. Sume laciniam*, partem scilicet extremam vestis, *atque absterge sudorem tibi*. Ita Macer *in Hierolex d. Verb Orarium* Et Card. Bona *d. lib 1 cap 24 num 6* Hinc prohibitum erat antiquis Monachis Oraria secum 18 retinere *cap Monacho. 27 qu 1* idest Sudariola ad delicias, quæ non conveniebant pœnitentibus viris

Porrò Stolam etiam appellari Ora-19 rium, quia dabatur Oratoribus, idest, Diaconis Evangelium prædicantibus, vel à Verbo græco ὁρῶ, quod significat *observo*, seu *custodio*, nam Diaconi debebant diligenter observare, & custodire, quæ fiebant in Sacris Mysteriis, vel *ab Hora*, quia iisdem competebat indicere tempus orandi, & psallendi, existimat *Hierolex*; & Card. Bona ubi supra ex Alcuino, Rabano Mauro, Beda, & aliis Placet tamen opinio Octav Ferrarii *in Analect de Re Vestiar cap 16* observantis, Oraria antiquorum verè, & pressim fuisse semicinctia linea, quæ ponebantur 20 in humero ministrantium ad mensas, vel quibus cingebantur ad pectus ad abstergendas manus, cumque Diaconi essent ministri Mensæ Sacræ, cui ad inserviendum accedebant cum linteis, sive semicinctiis ab humero sinistro pendentibus, idcircò eadem lintea, vel semicinctia sacra vocata sunt *Oraria* ad imitationem antiquorum, ac etiam *Stolæ ἀπὸ τοῦ ὤμου* idest humero innicere Et hæc de quidditate Stolæ

Alterum, quod restat præmittendum, & examinandum, est, Quid significet Ecclesiastica Stola, seu Orarium? Et equidem aliud secundùm Theologos, aliud secundùm Canonistas significat. Primi notant per Stolam significari gratiam 21 Divinam, qua homo recuperat innocentiam deperditam in Adam Ita ex SS. Hieron. Aug. & Beda, Barradas *in Evang. tom* 3.

*lib. 3 cap. 21 Vers. Citò proferte Stolam primam. Item Jugum Christi*, & ideò defertur super utroque humero. *Humilitatem*; quia tendit ad genua. *Fortitudinem*, sicque ab humeris descendit ad utrumque latus. *Perseverantiam in virtutibus*, & ita colligatur cingulo. *Obedientia Evangelii*, ideòque osculatur, dum collo apponitur. *Contemptum mundi*, per transversionem super pectus in signum Crucis, ex quo *memoriam Passionis Dominicæ* in prosperis, & adversis, *orationem*, & *prædicationem*, aliasque virtutes, quas ex Alcuino, Rabano, Alamario, Ivone, Gemma, & D. Bonaventura colligunt Durand. *de Divin. Offic. d. lib. 3 cap. 5.* Adnan. *in Exposit. SS. Sacrific. Altar. libr. 2. cap. 1.* Gavant. *in Rubric. Miss. part. 2. tit. 1 in Exposit. Tropolog.* Et Paulus Quartus *in iisdem Rubric. part. 1. tit. 19. sub num. 7.*

At secundùm Canonistas dignitatem Sacerdotalem Stola significat, dum defertur à simplici Presbytero in celebratione Mis-22 sæ, Vesperarum, Laudumque solemnium, sumptionis Communionis extra Missam (de qua infra) in sermocinatione, vel oratione coram exposita Sanctissima Eucharistia, aut dum exercet munus hebdomadarii, cantatvè Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, sive aspergit aqua benedicta populum die Dominico, vel Sabbato Sancto *d. cap. Ecclesiastica dist. 23* S. Thom. *3 part. supplem. art. 7 in corp.* Pignatell. *tom. 3 consult. 48. num. 40.* Quando verò Parochus Stola utitur in administratione Sacramentorum, in Processionibus, & in exequiis defunctorum signi-23 ficat Jurisdictionem Gloss. *in l. Unica Verb. Fidelis C. Nulli licere in frenis lib. 12.* Gratian. *discept. forens. cap. 298 num. 64.* Pignatell. *tom. 3 Consult. 48 num. 2.* Et per consequens Parochus in functionibus Parochialibus, & præcipuè dum comitatur funera suorum Parochianorum, indutus Stola, debet habere præcedentiam super quoscunque alios Clericos ibi intervenientes, etiamsi essent Canonici Ecclesiæ Collegiatæ cum eorum capitulo, 24 ut decisum refert Theodos. Rubeus *in Singularib. tom. 2. part. 4. de Præcedent. num. 84. relatus etiam inter discept. forens.* Gratiani *d. cap. 298.* ubi legitur Decretum *S. Congreg. Rituum diei 14 Octobris 1609.* Et idem esse decisum ad favorem Parochi contra alias Ecclesias Collegiatas *in Spoletana 21. Aprilis 1635 & in Lauden. 23 Maii 1639* testatur Pignatell. *tom. 7 consult. 46 num. 5.* undè non sunt audiendi contrarium scribentes Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 28 num. 67. 68.* Antonell. *de Regim. Milit. Eccl. lib. 3 cap. 18 num. 21.* Et Ceccoper. *de Canon. lib. 1 num. 202.* nisi dicamus, eorum opinionem habere locum, ubi legitima consuetudo sit contra Parochum, ad tradita per eumdem Gratian. *d. cap. 298. num. 8.* Marchettum *in Praxi Vicar. Capit. tit. 5. num. 13* & Pignatell. *d. consult. 48 num. 14 & num. 20.* ubi fortissimis rationibus, & punctualibus decisionibus ulterius demonstrat, Parochum impediri non pos-25 se à Regularibus, quin cum Stola indutus, & cum Cruce ipse quoque ingrediatur eorum Ecclesiam cum cadavere sui Parochiani defuncti, & assistat exequiis, dummodo permittat, officium fieri super defuncto ab iisdem Regularibus, ut servatur hic Patavii ab immemorabili, quam cùm impugnare conati essent nonnulli, paucis ab hinc annis, coacti fuerunt per Parochos, medio juris, abstinere à novitatibus, quæ semper præsumuntur ma-26 læ Rebuff. *in Rubric. de Rescript. num. 25* Jas. *in l. In rebus num. 5 de Const. Princip.* Et cum pariant discordias, reprobantur à Sacris Canonibus *cap. Cum consuetudinis De consuetud. cap. Quod dilectio in fin. de consanguin. & affin.*

His ad ornamentum Stolæ enunciatis, resolvendo primam partem quæsiti, 27 *An Sacerdos communicandus extra Missam debeat Stolam ad collum appensam habere?* Plures responderunt affirmativè, & quidem sub pœna peccati mortalis. *Primò*, quia *in cap. Ecclesiastica dist. 23* id præcipitur sub pœna excommunicationis. Sed 28 excommunicatio non fertur, ubi non est peccatum mortale *cap. Nemo Episcoporum. cap. Nullus Sacerdotum 11 quæst. 3* Layman *lib. 1 tract. 5 part. 1 cap. 5 num. 1.* Ergo *Secundò*, quia peccat Diaconus cantando Evangelium sine Stola, & proferendo, sine illa, Verba Christi. Ergo eò magis

Sacer-

Sacerdos recipiens sine Stola ipsum Verbum Divinum, nempe Corpus Christi. *Tertiò*, quia Rituale Romanum id praecipit in *rubr. de ordine Ministran. Sacr. Commun.* ibi: *Sacerdotes verò cum Stola communicent.* Sed Rubricæ Ritualis habent vim legis Gratian. *discept. for. cap.* 11. *num.* 7. 29 Loter. *lib.* 1. *q.* 16. *num.* 123. & Sperell. qui DD. cumulat *decis.* 179. *num.* 23. Sed lex Ecclesiastica obligat ad culpam mortalem S. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 6. *q.* 105. *art.* 1. 30 *q.* 147. *art.* 3. Baldell. *de legib. lib.* 5. *disp.* 19. & *disp.* 20. Ergo. Et ita videntur tenere, & sentire Naldus *in Summa Verb. Sacerdos num.* 6. Jordan. *lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 83. & Possevin. *de Offic. Curati cap.* 8. *num.* 23.

Nihilominus communis Sententia Doctorum est negativa. *Primò*, quia *cap. Ecclesiastica dist.* 23. vel loquitur tantùm 31 de celebratione Missæ sine Stola, ut ait Sylvester *Verb. Sacerdos. quæst.* 4. *Secundò*, vel quia non potuit infligere pœnam excommunicationis in tota Ecclesia, cum fuerit conditus ille Canon à solis octo Episcopis, absque Summi Pontificis licentia congregatis. Macer *in Hierolex. Verb. Stola*. *Tertiò*, vel quia quo ad culpam, & pœnam prædictus Canon non fuit acceptatus, vel contraria consuetudine abrogatus. Ita Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 12. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 20. quæ in Coordinato requiescit *tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 42. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *numer.* 2. Reginald. *lib.* 29. *num.* 112. Grassius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 2. Quartus *in Rubric. Miss. part.* 2. *tit.* 10. *sect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 5. Tamburin. *de Expedit. commun. cap.* 2. *num.* 10. Collegium Salmanticen. *De Sacramentis in genere tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 56. Emin. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 20. *num.* 98. Barbosa *de Paroecho cap.* 20. *numer.* 26. Bissus *in Hierurg. tom.* 2. *Verb. Stola num.* 191. § 7. ubi alios allegat. & Gobat *in Experim. Theol. tract.* 4. *num.* 47. Nec urgere videntur aliæ duæ rationes contrariæ, non illa de Diacono, quia est disparitas inter officium ejus solemne in Missa, & inter privatam Communionem Sacerdotis extra Missam. Quo verò ad Rituale Romanum non videtur obligare ad mortale vel quia agitur de re parva, vel quia non est usu receptum in hac parte.

Hæc verò ultima responsio veritati non accidet, siquidem omnes Sacerdotes innorati adhibent Stolam, dum extra Missam sivè sani, sivè infirmi Sacram Communionem recipiunt, ut per cursum annorum quinquaginta semper ego vidi, & observavi in hac Civitate, & ideò est usu receptum Rituale Romanum, quod autem 32 agatur de re parva, non videtur subsistere; cum tanta sint dicta, & præcepta in Sacris Conciliis de excellentia Stolæ, & Orarii spectantis ad habitum, & dignitatem Sacerdotis. Forsan excusabitur omissio Stolæ in hoc casu, quia Paulus V. in Bulla approbante Rituale prædictum, non jubet ejus executionem, sed hortatur: at regula est in jure, quod verbum *Hortamur*, ubi 33 agitur de re gravi, qualis est Sacrorum Rituum parifomis in Ecclesia observatio, habeat vim præcepti. Fagnan. *in cap. Qualiter num.* 38. *De Cleric. non residen.* Vel non erit grave peccatum ex multitudine Doctorum ita asserentium? Sed hoc non concedit P. Thyrsus Gonzalez *de Recto Usu Opin. prœmial. Dissert.* 13. § 14. ubi piè, & eruditè probat non sufficere multitudinem Authorum tanquam oves, & aves sententiam alterius sequentium, sed 34 vel vim rationis, vel auctoritatem legis esse attendendam.

Quare existimo concludendum in casu proposito, teneri Sacerdotem Stolam induere, aliàs peccare, nisi grave incommodum, vel totalis oblivio, aut Stolæ deficientia, talem omissionem excuset. Hæc de prima parte propositi Casus.

Secunda verò pars casus quærit, *An feria quinta in Cœna Domini omnes Ecclesiastici de præcepto teneantur intra Missarum* 35 *Solemnia communicare?* Et respondendum est affirmativè, quia extat *Can. in cap. In Cœna Domini* 17. *de Consecrat. dist.* 2. In quo Soter Papa præcipit, ut omnes fideles Sacram Communionem recipiant in ipsa feria Quinta Cœnæ Domini; & multò magis illis de clero, ut perpetuis temporibus fuit observatum in Ecclesia, quod probatur tum ex *Ordine Romano sub tit. de Cœna Domini*. ibi: *Fractis*

autem

*nuem oblatis communicent Præsbyteri primò, postea Diaconi, & cæteri omnes*, tum ex *Alcuino*, qui floruit anno 780. scribente *in lib. de Divinis offic. cap. De Cœna Domini: Dum cantatur Antiphona ad Communionem universum Clerum, & omnem populum communicare*, tum etiam ex praxi omnium Ecclesiarum Collegiatarum, & Monasteriorum, aliorumque Regularium, qui hanc servant laudabilem consuetudinem, recipiendi (dicta Sacra die Cœnæ Domini) Eucharistiam à Sacerdote, vel Prælato solemniter celebrante, in memoriam Communionis receptæ per Apostolos de manu Christi Domini. Et ideò hanc consuetudinem habere vim legis, & obligare scripserunt Francolin *de Horis Canon. part. 1. cap. 30 num. 4.* Azor *tom. 1. lib. 10. cap. 24 Quæst. Quinto.*

Eidem suffragatur id, quod est statutum in Regula Sancti Benedicti Abbatis in *cap. 38 num. 4.* his Verbis: *Cum autem Sacerdotes, qui propter infirmitatem, aut in die Dominicæ Cœnæ, aut ex aliqua causa non celebrant, communicare contigerit, juxta Decretum Sanctorum Patrum, Stolam semper super humeros habeant.*

Tandem, quia hoc præcepit, & servari mandavit Sacra Rituum Congregatio die 27. Septem. 1608 ut legitur apud Gavant. *in Rubr. Miss. part. 4 tit. 8.* apud Baudry *in Manuale Sacr. Cærem. part. 4. cap. 9. art. 2. num. 9.* Et apud Macrum *in Hierolex. Verb. Feria V. in Cœna Domini*. Ideircò in memoriam tanti Mysterii omnes de Clero ipsique Sacerdotes dicto die à celebrante recipere debent Sacram Communionem.

Duo autem genera Ecclesiasticorum videntur excipiendi. *Unum* est eorum, qui nullum beneficium habent, & nulli Ecclesiæ sunt addicti; hi enim non censentur obligati ad hoc præceptum, sed ad illud de 36 Communicando, vel celebrando in Paschate juxta *cap. Omnis Utriusque Sexus. De Pænit. & Remiss. in 6.* quod ex D. Bonavent. *in 4 dist. 12. art. 2. quæst. 2.* tenet Diana *part. 2. tract. 14 resol. 19.* Collocata in Coordinato *tom. 2. tract. 1. resol. 58.* Alterum est illorum Sacerdotum, qui die prædicta Cœnæ Domini privatam Missam celebrarunt in aliquo Oratorio, vel Capella juxta locorum, & Ecclesiarum consuetudinem; quam licitam esse ait Eminen. Card. de Lugo *De Euchar. disput. 20. num. 14* cum Suarezio *disp. 80. sect. 2.* & aliis 37 relatis per Dianam. *par. 11. tract. 5 resol. 32* sedente in Coordinato *tom. 2. tract. 1. resol. 73.*

## DECISIONIS XXXI.

### Ad Julii Quæsitum Primum

### ARGUMENTUM.

Indagatur, quomodo in EUCHARISTIA accidentia remaneant sine subjecto? Adducuntur rationes Theologicæ, & datur similitudo Fulminis destruentis gladium, remanente intacta vagina, evacuantis vinum, intacto subsistente dolio; & absorbentis substantiam Ovi, sine offensione putaminis. Additur exemplum tecti Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe, suspensi in aere tempore Sancti Philippi Nerii.

### SUMMARIUM.

1 *Accidentia in Eucharistia alia sunt sensibilia in se, alia in effectibus.*
2 *Accidentia in Eucharistia sunt sine subjecta substantiali miraculosè: & num. 3.*
3 *Accidentia neque aeri, neque Corpori, aut Sanguini Christi inexistunt in Eucharistia.*
4 *Accidentia an in Eucharistia habeant subjectum accidentale?*
5 *Accidentia in Eucharistia sustentantur à quantitate.*
6 *Quantitatis accidens stat in Eucharistia sine aliquo subjecto. Et quomodo?*
7 *Fulminis exempla pro demonstranda existentia accidentium in Eucharistia sine subjecto.*
8 *Fulmen destruit vinum, & non dolium.*

Num-

*Nummos, non autem sacculum. Gladium, & non vaginam. Ovum absque putamine.*

9 *Miraculum trabis in aere stantis in Ecclesia S. Mariæ Vallicellæ tempore S. Philippi Nerii.*

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quomodo in Eucharistia remaneant accidentia sine subjecto?*

1 DIxére Primò, accidentia panis, & vini alia esse sensibilia in se, ut sunt quantitas, figura, color, sapor, odor. Alia verò esse sensibilia, tantùm in suis effectibus, ut virtus calefaciendi, & inebriandi, nam constat experientia, solas species Sacramentales inebriare posse, si in magna quantitate bibantur, ut notat Ma-

2 strius *in 4. Sent. disp. 3. num. 360.* *Secundò* Prædicta omnia accidentia post consecrationem remanere sine subjecto substantiali, quia nihil substantiæ panis, & vini remanet, cui possint inhærere, cum tota panis, & vini substantia sit transubstantiata in Carnem, & Sanguinem Christi, *cap. Firmiter. De Summ. Trinit. & fid. Cathol. Concil. Constant. sess. 8.* ubi damnat hæresim Vvicleffi dicentis, *Accidentia panis non manere sine subjecto in Eucharistiæ Sacramento.* Item *Concil. Florentino, & Concil. Trid. sess. 13. de Sacrosancto Euchar. Sacram. cap. 4. & can. 2.* Corpori autem

3 Christi, aut ejus Sanguini præfata accidentia non inexistunt, ut fides docet, alioquin Corpus Christi esset album, rotundum, liquidum, fixile, atque adeo passibile. Neque etiam inexistunt aeri, ergo stant miraculosè sine subjecto substantiali, ut docent omnes Theologi. S. Thom. *3. par. quæst. 77. art. 1.* Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. & 2.* Eminentiss. Card. de Lauræa *De Euchar. disp. 23. art. 1.* & Gonet *tom. 5. De Euchar. disp. 6. art. 1.* *Tertiò*, cumque omnes Catholici concorditer id sentiant, non ita conveniunt de subjecto accidentali, An scilicet ipsum excludatur

4 quoad omnia accidentia, itaut omnia æqualiter existant, nulli subjecto nec substantiali, nec accidentali innitendo; vel potius in tota collectione accidentium sit aliquod ex ipsis, quod nulli alteri inhæreat, sed cætera omnia inhæreant ipsi tanquam immediato? Siquidem, omnia accidentia æquè remanere sine ullo subjecto tàm substantiali, quàm accidentali docent plures Theologi, quos citat Mastrius *in 4. d. disp. 3. num. 361.* Et Eminen. Card. de Lauræa *dict. disp. 23. art. 2. num. 42.* Porrò opposita sententia communis est inter scholasticos, docentes, solam quantitatem, præcipuum accidens in hoc Sacra-

5 mento, esse sine subjecto: reliqua verò accidentia recipi, & sustentari in quantitate, tanquam in proximo, & immediato subjecto, uti recipiebantur antea, quando simul cum quantitate inhærebant substantiæ: ideòque asserunt, nullam fieri muta-

6 tionem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate, nam sola quantitas remanet separata à proprio subjecto, reliqua verò manent, ut antea, totaliter, ac sufficienter sustentata à quantitate, quia quantitas est subjectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhærent, tanquam subjecto ultimato, ut latè S. Thom. *3. par. quæst. 77. art. 2.* Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 2.* D. Bonav. *ibidem art. 1. quæst. 2.* Emin. Card. de Lauræa *d. disput. 23. de Euchar. art. 2.* Gonet. *d. disp. 6. art. 2.* & Mastrius *disp. 2. Physic. quæst. 3. art. 2.* ubi de hoc ratiocinantur, & philosophicis etiam argumentis opinionem prædictam confirmant. *Quartò*, quamvis, ut dictum est, concorditer doceant omnes Scholastici quantitatem subsistere in Eucharistia sine subjecto, sunt tamen discordes in assignando modo ita de per se subsistendi: alii enim volunt, esse necessarium novum perseitatis modum, ut accidens separatum possit subsistere: alii opinantur, absque alio novo modo accidens ipsum sustentari à Deo, sed per novam actionem, alii absque novo modo, & absque nova actione; alii tandem per novum modum, & per novam actionem, sed quia hæc merè speculativa sunt, & parùm deserviunt Parochis ad instructionem plebium, ideò relinquuntur videnda à studiosis apud eosdem Gonet, Mastrium, & Card. de Lauræa, ac alios

per

per eos allegatos. Et apud Lessium *in Opere Posthum in 3 part.* D. Thom. *quæst. 77 art. 1. dub. 2.*

*Quintò*, sed quia, è contra valdè proficere potest Parochus in instruendo populo circa fidem prædictæ conclusionis, quod accidentia panis, & vini remanent in Eucharistia sine subjecto, dum substantia mutatur, sine alteratione accidentium, si exempla fulminis proponat, à quo solet 7 vinum consumi intacto remanente dolio, argentum, & æs destrui, sacculis illæsis, gladiosque liquefieri, manentibus vaginis, ideò non me piget, hic referre verba antiquorum Auctorum de præmissis testimonium facientia.

Plinius *lib. 2. Hist. Nat. cap. 51* ait, *Tertium genus fulminis, quod clarum vocant (de quo cap. praeced. § 1.) mirificæ naturæ esse, ut quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Marcia Princeps Romanorum icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit.* De primo videri etiam potest Lucret. *lib. 6.* & de Secundo Plutarchus *lib. 4. Sympos. quæst. 2.*

Seneca verò *lib. 2. Natural. Quæst. cap. 31.* ita scribit: *Cæterum mira fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec quicquam dubii relinquentia, quin divina insit illis, & subtilis potentia, loculis integris, ac illæsis conflatur argentum. Manente vagina, gladius liquescit. Et inviolato ligno, circa pila ferrum omne distillat.* Ad quod Senecæ caput notas faciens Muretus ita adjungit: *Mihi hoc contigit, ut paucis mensibus antequam Hippolitus Cardinalis Ferrariensis, qui ita de me meritus est, ut perpetuo animæ ipsius bene precari debeam, ex hac vita discederet, fulmen in Palatium ipsius decidens, ad mea usque cubicula pervenerit. Ibi gladii, qui ad lectum unius è famulis meis pendebant, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorsùs illæsa.*

Plutarchus pariter *lib. 4. Sympos.* seu Convival. *Quæst. q. 2.* ex Hermanni Cruserii interpretatione, sic loquentem introducit Dorotheum Oratorem: *Mihi certè constat, fulmen in domum apud nos delapsum multa miracula edidisse. Vinum ex doliis exhausit vase illæso: hominemque somno stratum transvolans, neque illum offendit, neque vestem attigit; sed ejus cinctum, in quo succinxerat nummos æreos, liquefecit, & fudit totum.* Et paulò post: *Pyxidularum argentearum, quæ ligneis inclusæ capsulis erant, argentum quidem colliquatum, & conflatum fuisse, lignum intactum, & integrum inventum.* Refert etiam prædicta P. Scotus *in Physica Curiosa tom. 2. lib. 11. § 2. 3. & 4.* ubi rationes examinat horum mirabilium effectuum; Idemque facit P. Sylvest. Maurus *in Comment. Aristot. Meteorologic. 3. cap. 1. art. 2.* ubi Philosophus ita ait *in textu num. 7. Quapropter, & resistentia quidem patiuntur aliquid, quæ autem non, nihil, ut clypei jam æramentum quidem liquefactum fuit, lignum autem nihil passum fuit.* Agit pariter de effectibus fulminis P. Nicol. Arnù *in sua Philosoph. tom. 5. De Meteoris quæst. 7. art. 2.* ubi sub num. 9. subdit: *Quintò experientia didicimus, quod ovum confirmet thæso putamine: vase intacto dolium exinaniat.* Et concordat Collegium Compluten. *tom. 2. tract. 2. de Meteoris disp. 3. quæst. 3. § 4.*

Igitur, si Deus hanc facultatem tribuit 8 fulmini, ut destruat vinum, non autem dolium; ut liquefaciat aurum, & argentum, non combustis sacculis, in quibus includebatur, ut manente vagina gladium absumat, ut substantiam ovi devoret, illæso putamine, quod quidem fulmen in Scriptura sacra vocatur Vox Dei: *Et Altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Ps. 17. 14. *Et Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Psal. 28. 7. Cur non poterit operari per verba Consecrationis Eucharistiæ, ut destructa interiori substantia panis, & vini, remaneant sine subjecto exteriora accidentia, adinstar dolii, sacculi, vaginæ, capsulæ, & corticis, sub quibus, & à quibus tegebatur vinum, aurum, æs, argentum, gladius, vitellus, albumen? Non inficiantur, hæc esse materialia

nalia quædam prædictarum substantiarum indumenta, & divisibilia, sed vis in eo consistit, quod Dei voce, scilicet fulmine, destruitur substantia, remanentibus tegumentis illæsis, quibus figurantur accidentia panis, & vini permanentia absque subjecto, destructa ejusdem panis, & vini entitate per verba consecrationis à Sacerdote prolata.

Non inelegans similitudo est miraculum illud, relatum in Vita Sancti Philippi Neri à Petr. Jacobo Bacci *lib. 2. cap. 2. num.* 6. his Verbis. *In quei principii, che si edificava la Chiesa mentre cresceva la fabrica, occorse, che essendo soprastante di quella il sopranominato Gio. Antonio Lucci, & havendo fatto lasciare un pezzo di tetto sopra un luogo della Chiesa vecchia, dove stava l'imagine d'una Madonna antica molto devota, la quale è quella istessa, c' hoggi stà nell' Altare maggiore, per potera sotto quello celebrare la Messa, e tenervi il SS Sacramento, fù una mattina fatto chiamare in fretta dal Santo Padre, il quale gli comandò, che facesse quanto prima disfare quel tetto; perche quella notte havea veduto, che stava per cadere, se la Vergine Gloriosa non l'havesse con le proprie mani sostenuto. Andò subito Gio. Antonio co i muratori per far l'obbedienza, e trovarono, che il trave principale era uscito fuori del muro, e se reggeva in aria. Si che tutti, quando viddero tal cosa, gridarono. Miracolo, miracolo.* Tecti illius tigna inhærebant Epistylio, tanquam in subjecto, ipsum autem Epistylium, & eo mediante, omnes trabes tecti ejusdem insidebant muro, sicut accidentia panis, & vini inhærent quantitati, & per eam ejusdem panis, & vini substantiæ. Itaque, Deipara intercedente, ac patrocinante, fecit Deus, ut Epistylium subsisteret absque subjecto extra murum, nec non omnia tigna tecti, quæ in Epistylio subjectabantur; ut credere non sit nobis difficile, accidentia Eucharisticæ panis, & vini consecrati subjectari in quantitate, hanc autem conservari, per Divinam potentiam, absque subjecto, separatam à substantia panis, & vini.

## DECISIONIS XXXII.

### Ad Julii Quæsitum Secundum,

### ARGUMENTUM.

Inquiritur, an in Calice consecrato remaneat Sacramentum, si in eo alius liquor misceatur? Theodorus Papa injecit Sanguinem consecratum in atramentarium, ut scriberet sententiam excommunicationis contra Pyrrhum Patriarcham hæreticum. Doctrina S. Thomæ de desitione Eucharistiæ ob mixtionem alterius liquoris. Quæstio resolvitur per distinctionem quinque casuum.

### *SUMMARIUM*

1 *Mixtio liquorum est duplex. Propria, & Impropria*
2 *Species Eucharistiæ consecratæ quando perdant consecrationem?*
3 *Theodorus Papa an injecerit Sanguinem consecratum in atramentarium pro scribenda sententia excommunicationis contra Pyrrhum Patriarcam hæreticum?*
4 *S. Thomæ doctrinam de desitione Eucharistiæ ob mixtionem alterius liquoris plures Theologi non sequuntur*
5 *Aqua modica si misceatur Sanguini consecrato, nihil ei officit, & ipsa convertitur in vinum*
6 *Aqua in magna quantitate addita Sanguini consecrato destruit Sacramentum.*
7 *Vinum additum in minori quantitate Sanguini consecrato, destruit partem aliquam Sacramenti secundum Thomistas nullam verò secundum Scotistas*
8 *Vinum infusum Sanguini consecrato in majori, vel æquali quantitate, destruit totum Sacramentum secundum aliquos DD. at non destruit secundum alios.*

9 *Vinum potentioris qualitatis, & majoris quantitatis additum Sanguini consecrato destruit Sacramentum secundum doctrinam S. Thomæ. Non destruit secundùm Card. de Lugo, & Mastrium num 10.*

11 *Accidentia Sanguinis Domini consecrati mutari possunt vel substantialiter, vel accidentaliter tantùm*

12 *Vinum addebatur Sanguini consecrato, dum antiquitùs, laici communicabantur sub utraque specie*

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*An desinat esse Eucharistia in Calice, si Speciebus consecratis, aliquis alius liquor misceatur?*

1 PRo intelligentia hujus difficillimi quæsiti tria sunt præmittenda, atque notanda. Primum, duas esse mixtionis species, Unam propriè dictam, quæ est mutatio substantialis, & conversio miscibilium in aliud diversum compositum, quod dicitur mixtum, de qua Arist. 2. *de Gener.* Aliam verò impropriè dictam, quæ fit, cum aliqua miscentur adinvicem secundùm minutissimas partes, per earum juxta positionem, manentium tamen in suo esse substantiali, sine corruptione earumdem, quæ quidem partes adinvicem uniuntur per continuationem, & talis est mixtio proposita in Quæsito; ut notat Mastrius *in 4. disp 3 quæst* 16 *num* 388 Secundum no-
2 tandum est, Species consecratas non amittere consecrationem, Christumque non desinere esse sub illis, nisi ipsæ perveniant ad eum corruptionis gradum, in quo non essent aptæ continere substantiam panis, & vini, si consecratio non præcessisset; quod advertunt omnes Theologi, & in puncto Gonet *tom. 5 de Euchar. disp 5 art 5.* & Eminen. Card. de Lugo *eodem tract. disp* 10. *num* 36 Hinc quando Theo-
3 dorus Papa, subscripturus sententiam excommunicationis contra Pyrrhum Patriarcam Monotelitam hæreticum, miscuit in atramento Sanguinem consecratum Domini Nostri Jesu Christi, ut notat Eminen. Card. Baronius *anno* 648. *num* 15 (si tamen factum illud verum fuit, de quo dubitat P. Ant. Foresti in *Mappamondo Histor. tom 3 in Vita Papæ Theodori num.* 2.) desiit esse Sanguis consecratus in atramentario, amissa omninò specie Vini consecrati. Tertium notandum est, S. Thom. 3 *par. quæst* 77 *art* 8 tenere desitionem Eucharistiæ, si misceatur cum speciebus consecratis alius liquor, ea ratione quia per divisionem, & interpositionem partium, corrumpitur vinum consecratum, non quo ad speciem, sed quo ad individuum, ita quod ex vino consecrato, & ex vino non consecrato fit aliud tertium vinum, numero diversum à primo. Sed hanc doctrinam Angelici Doctoris recen-
4 tiores Theologi non sequuntur, opinantes per commixtionem prædictam non corrumpi Species consecratas, sed manere easdem numero in sua entitate, etsi separatas in plures particulas, ut scribunt Eminen. Card. de Lugo *d. disp.* 10. *num.* 44. Valentia *de Euch disp 6 quæst 5 punct 3* Lessius *eod tract. disp* 77 *art* 8 *num.* 26 & Mastrius *d. disp* 3 *num.* 389.

His prænotatis pro resolutione Quæsiti distinguendi sunt infrascripti quinque Casus

Primus Casus est, *si Speciebus Vini consecrati misceatur Aqua in modica quan-
5 titate?* Et in hoc casu, (ut dictum est supra in secundo quæsito Mensis Martii,) illa aqua nihil officit Speciebus Sacramentalibus, neque destruit Sacramentum Sanguinis Domini non solùm in toto, sed neque in minima parte; ipsa verò aqua convertitur in vinum, vel ob virtutem, quam habent Species Sacramentales agendi, sicut si essent cum substantia vini, vel ob potentiam Divinam, quæ vult supplere defectum naturæ, ut occultetur miraculum Sacramenti. Ita ex Theologis Lessius *de Euchar. quæst.* 77 *art.* 8 *num* 15 Mastrius *in 4. d. disp. 3. num.* 393 & ex Canonistis Joan. Andreas *in cap. Cum Marthæ* 6. *num.* 15 *De Celebrat. Missar.*

Secundus Casus est, *si Speciebus conse-
6 cratis in Calice misceatur Aqua in magna quantitate?* In hoc casu, cum Aqua super infusa sit in quantitate excessiva, itaut

reddat

reddat inhabiles Species vini consecrati ad conservandam vini substantiam, si ibi adesset; & corrumpat omninò accidentia earumdem Specierum, procul dubio cessabit Sacramentum, & erit desitio Sanguinis Domini: ex doctrina S. Thomæ 3. par. quæst. 77. art. 8. Card. de Lugo, & Gonet citator supra in 2. notand. do; & admittit Mastrius d. disp. 3. num. 392. nec non Emin. Cardin. de Lauræa de Euchar. disp. 23 num 194.

Tertius Casus est. *Si addatur Speciebus Sacramentalibus vinum ejusdem qualitatis in minori quantitate, quàm sint Species ipsæ consecratæ?* In hoc casu opinio S. Thomæ est, *cit quæst. 77 art 8.* quod destruatur Eucharistia in ea parte, in qua vinum additum pervadit ipsas Species consecratas; in reliqua verò parte conservari Sacramentum, ob rationem supra allatam, quod scilicet Vinum superadditum immutat in ea parte Species consecratas, & ex illis, ac se ipso simul mixtis, fit aliquid tertium diversum numero à duabus prioribus. Contrarium tamen tenent, & docent Scotistæ, ac ferè omnes recentiores Theologi, Suarez, Vasquez, Coninch Card. de Lugo, Aversa, Meratius, Caspensis, & ex antiquis S. Bonavent. Alensis, Ricard. Durand. & alii, quos sequitur Mastrius *d. disp. 3 num 389.* ubi reddit rationem, propter quam Eucharistia remanet intacta in ipsis Speciebus Sacramentalibus, videlicet, quia Vinum superadditum non corrumpit, neque mutat aliquam partem earumdem Specierum, sed juxta eas se ponit, tanquam quid homogeneum sine illarum destructione, vel substantiali alteratione. Et hoc decidere videtur Innocen. III. *in cit. cap. cum Marthæ §. Quæsivisti: De Celeb. Miss.* ibi: *Si post Calicis consecrationem, aliud vinum mittatur in Calicem, illud quidem non transit in Sanguinem, nec Sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, Corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum.*

Quartus Casus est. *Si iisdem Speciebus consecratis addatur Vinum ejusdem qualitatis, sed vel in æquali, vel in majori quantitate, quàm sint eædem Species Sacramentales?* In hoc casu ex opinione S. Thomæ destruitur Eucharistia, quia ex tali mixtione formatur unum tertium vinum, numero diversum: Ulterius Species sacramentales ita dividuntur, & intersecantur à vino superaddito in æquali, majorivè quantitate ut vel, omninò destruantur, vel fiant minores minimis, & reddantur insensibiles, in quo statu cessat Eucharistia, quæ est Sacramentum sensibile, ut disputando dicit Emin. Card. de Lauræa *dict. disp. 23 de Euch. num. 195.* Cæterum contrarium tenet Suarez *disp. 57 sect. 4. concl. 3* Emin. Card. de Lugo *d. disp. 10 num. 42.* & Lessius *dict. quæst. 77. art. 8. num. 16* quibus adhæret Mastrius *d. disp. 3. num. 390.* ubi respondet rationibus contrariis; negando ex mixtione prædicta formari tertium quid Vinum numero diversum, nam species Sacramentales, & vinum additum non mutantur secundùm entitatem propriam, & unitatem numeralem intrinsecam, sed mutantur solùm secundùm determinationem, & continuationem quantitativam, & sic semper manent in propria entitate. Ad aliam verò rationem de diminutione tali, ut Species consecratæ reddantur insensibiles, respondet, negando deveniri posse ad tantam diminutionem; quia in homogeneis forma naturalis non determinat sibi certam quantitatem ab intrinseco, sed sub quacunque minima quantitate, quantùm est ex se, servari potest. Sed esto partes Specierum consecratarum per intersecationem cum partibus vini infusi, fiant minores minimis, non ideò destruuntur, sed per unionem cum illis conservantur, non enim existunt per se, sed inexistunt aliis, & ita conservantur, & licet insensibiles forent, si ipsæ partes minores minimis per se existerent, tamen redduntur sensibiles ex conjunctione cum aliis; ut latius probat idem Mastrius *eadem disp. 3. quæst. 5. num. 130.* & Lessius *d. quæst. 77. art. 8. num. 16.*

Quintus tandem Casus figurari potest, *Si in Speciebus Vini consecrati infundatur major quantitas Vini, non ejusdem qualitatis, sed potentioris, & majoris virtutis*, exempli gratia, si fuerit consecratum

 vinum

vinum Paduanum, satis debile, seu tenue; & ei addatur in majori quantitate Vinum Vicentinum, Creticum, vel Hispanum, cujus virtus est fortior, potentior, & activior? In hoc casu videretur amplectenda opinio Angelici Doctoris *in cit. quæst 77. art. 8.* tenentis, cessare Sacramentum, ob destructionem specierum Sacramentalium, quarum substantia, si adesset, à vino Vicentino, Cretico, seu Hispano, per potentiorem suam activitatem fuisset corrupta, & absorpta in se, ac suam entitatem. Ex qua mutatione formaretur liquor diversus non solùm numero, sed etiam specie, & introduceretur nova forma substantialis in aliam materiam, sub qua non esset ampliùs Sanguis Christi. Nihilominus contrarium respondet huic Casui Emin. Card de Lugo *De Euch. cit. disp. 10. num. 44.* his verbis. *Dicendum videtur per mixtionem specierum cum alio vino, sivè specie, sivè numero diverso, sivè potentiori, sivè debiliori, consecrationem non perdi. Et quidem si verum est id, quod diximus supra disp 4. sect. 3. Vinum extra uvam non habere virtutem ad producendum aliud vinum; sed illud debere produci à virtute nutritiva uvæ, sicut sanguis non potest produci, nisi à virtute animali, quæ residet in jecore, vel alibi, consequens erit, quod quantumvis misceantur species cum vino potentiori, & diversæ speciei, non fiet generatio substantialis novæ partis vini, cum non adsit potentia nutritiva uvæ, quæ sola potest ex alimento, & succo per venulas attracto, generare verum vinum, &c.* Potest confirmari opinio Eminent. Lugonis per aliam rationem positam à Mastrio *d. disp. 3. quæst. 16. num. 392.* his verbis. *Quod si liquor superinfusus speciebus consecratis vini sit ejusdem speciei cum ipsa, tunc non corrumpuntur species Sacramentales vini, sed manent eædem, & Christus manet sub speciebus consecratis, non autem sub aliis partibus superadditis, ut docebat Doctor* (Scotus) *loco sæpè cit. dist. 12. quæst. 4. §. Ad quæstionem, & Ratio est, quia unum simile non corrumpit aliud simile; cum omne agens intendat generare sibi simile, ac proinde quando simile invenit, illud corrumpere non potest.*

Neque obstabit, quod facta mixtione, de qua in casu, mutentur accidentia specierum consecratarum, idest sapor, odor, calor ut experientia cognosci potest, Nam adhuc respondetur, mutationem illam esse accidentaliter tantùm, non substantialiter, & ideò non desinit esse ibi Sanguis Dominicus per talem mutationem, quæ non desineret ibi esse substantia vini, etsi debilioris, si prius non fuisset consecratum. Ita idem Mastr. *ibid. num 390.* 11

Tandem ad majorem comprobationem prædictorum observari possunt duo dicta satis admiranda. Unum, quod *in Ordine Romano antiquo cap. 4.* jubetur, species consecratas misceri cum alio vino, ut ex illo totus populus possit accipere, & sanctificari. Alterum, quod mos erat apud Cistercienses, & quosdam alios religiosos (antequam prohiberetur usus Calicis extra Missam) ut, ad augendam quantitatem Dominici Sanguinis, quo omnes participare possent, adderetur vinum purum, ad hoc ut communicantes omnes indè aliquid sumerent, quod non fuisse illicitum ait Jo. Andreas *in cap. Ex parte 5. num. 3.* &, ibi Hostien. *De Celebrat. Missar.* Igitur, eo tempore supponebat Ecclesia, non desinere consecrationem Sanguinis, per quamvis additionem, infusionem, & mixtionem alterius vini non consecrati, aliàs non fuisset licita dicta mixtio, & fuisset data causa idololatrandi communicantibus, sumentibus ex dicta mixtione Sanguinem Christi, quod etiam tangit Emin. Card de Lugo *d. disp. 10. sub num. 41.* 12

## DECISIONIS XXXIII.

### Ad Julii Primum Casum

### ARGUMENTUM.

Edisserit, An liceat Sacerdoti celebranti, communicare laicum cum parte Hostiæ sui sacrificii? Referuntur non ignorandi Ritus antiqui circa Communionem laicorum.

SUM-

## SUMMARIUM.

1 *Sacerdos debet sumere totum Sacramentum ab eo oblatum.*
2 *Sacerdos celebrans potest cum parte suæ Hostiæ alium communicare.*
3 *Lex quod non dicit, neque nos dicere debemus.*
4 *Christus communicavit seipsum, deinde Apostolos.*
5 *Doctores tenent, posse laicum communicari cum parte Hostiæ Sacerdotis.*

## PRIMUS CASUS.

*Sacerdote celebrante, ingreditur Ecclesiam Vir nobilis, & petit communionem sacram, ad quam sumendam ex devotione est præparatus, & dispositus. Non existant Hostiæ parvæ, neque consecratæ, neque consecrandæ. Quæritur, an celebrans possit cum parte Hostiæ suæ, in illa Missa consecratæ, eumdem communicare?*

Videbatur respondendum negativè. Primò ex *cap. Relatum 11. & cap. Comperimus 12. De Consecr. dist. 2.* ubi præmissa indolentia contra Sacerdotes, qui abstinebant in Missa à sumptione, vel totius, vel partis Hostiæ immolatæ, 1 & consecratæ, præcipitur eosdem debere totum Sacramentum oblatum semper sumere. Ergo non licebit laicis partem dare. Secundò ex Rubrica Missalis tit. *de defectib. in Minister. ipso occurren. cap. 10. num. 3. Vers. Si Sacerdos.* Ubi decernitur, quod si Sacerdos celebrans post consecrationem decidat in casum mortis, suppleatur sacrificium ab alio Sacerdote, à quo sumatur Sacramentum, & ejusdem partem præbeat Sacerdoti infirmo; si aliæ particulæ consecratæ desint. Ergo extra casum mortis, id non licebit. Tertiò, quia negativam opinionem tenent Grassius *in decis. part. 1. lib. 2. cap. 38. num. 31.* Zambran. *cap. 3. dub. 6. num. 7.* Zanard. *in Director. Confess. part. 1. De Sacram. Euchar. cap. 9. quæst. 15.*

Contrarium tamen est resolvendum, siquidem absque scrupulo poterit Sacerdos 2 cum parte Hostiæ suæ, in Missa consecratæ, prædictum Virum nobilem, ex devotione petentem, paratum, & dispositum communicare. Primò quia nullus Canon, & nulla lex id prohibet. Quod autem lex non dicit, neque nos dicere debemus. *cap. Illa. Ne Sede Vacante. l. Dissentientis. C. de Repud.* Barbos. *Axiom. 136.* 3 *num. 7.* Secundò quia Salvator noster, dum Sacramentum Eucharistiæ instituit, 4 cum eo seipsum communicavit, ac etiam Apostolos, ut docet S. Thom. *3. par. quæst. 81. art. 1.* Lessius, qui plurimos SS. Patres cumulat, *De Eucharist. quæst. 81. art. 1.* & Menoch. *in Vita Christi lib. 7. cap. 2.* Tertiò, quia in primitiva Ecclesia per multos annos tertia pars Hostiæ in Missa consecratæ reservabatur usque ad finem Missæ, utique pro laicis communicandis. *cap. Triforme 22. de Consecr. eadem dist. 2. Micrologi. cap. 18.* & S. Thom. *3. part. quæst. 83. art. 5. ad 8.* Quartò, quia quando laicis dabatur communio sub utraque specie, iisdem porrigebatur sanguis in eadem Missa, & de eodem Calice, de quo biberat Sacerdos. Quintò, quia in nihilo derogatur integritati, seu reverentiæ Sacrificii, quod cum sit commune tum Sacerdoti celebranti, tum fidelibus adstantibus, convenit de eodem in communione participare. Sextò, quia immò optat Sancta Mater Ecclesia, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent, ut ait Concil. Trident. *sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 6.* Septimò, quia ulteriùs dare partem Hostiæ in Missa consecratæ, & oblatæ alicui de populo adstanti est id, quod antiquitùs servabatur teste Joan. Ciampino *in Opusc. de perpetuo Azymor. Usu cap. 7. num. 6.* ubi ita scribit: *Fideles antiquarum traditionum haud ignari, nempè quod omnes sui majores de eodemmet Pane ab Apostolis benedicto participaverant, ipsi quoque omnes ejusdem Panis, quem Episcopus consecrarat, participes fieri curabant.* Octavò, quia id licitum esse profitentur sexdecim Doctores Theologi, & Canonistæ, quos citat, & sequitur Sanctus

cius *in Selectis disp* 22 *num.* 21. Quibus ego addo Macrum *in Hierolex Verb. Hostia vol ult.* Marcant. *in Horto Pastor. De Resolut Pastoral. circa Eucharist cap* 3. *in fin.* Tamburin *de Expedit Commun. cap.* 6. § 6. Gavant *in Rubr Missal. part.* 3 *tit.* 10. *numer* 2. *in fine*. Quartum *in eodem tract part.* 2. *tit.* 10. *sect* 3 *dub.* 3. *difficult.* 4. Volpi *Moral resolut* 39 *numer* 6. Gobat *in Theol. experim. tract* 4. *num.* 420. Corsettum *in Praxi Sacr. Rit. tract* 2. *part* 1 *sect* 1. *num.* 100. Et pluribus aliis allegatis Dianam *part* 10. *tract* 12. *resol* 70. Quae reperitur in opere Coordinato *tom* 2. *tract* 1 *resol* 247 ubi plenè de hoc quaesito.

Neque subsistunt motiva contraria. Non primùm ex *cap Relatum* & *cap Comperimus de Consecr. dist* 2. quia ibi Sacerdotes Sacrificantes abstinebant à consummatione Hostiae oblatae vel in toto, vel in parte ex indevotione, cum scandalo, & iniuria sacrificii. Non secundùm ex Rubrica Missalis, quae immò demonstrat, in defectu aliarum Specierum, posse dari communionem cum parte Hostiae in Missa oblatae; & licet ibi pro justa causa sit periculum mortis, etiam extra periculum sufficit devotio communicandi, incommodum expectandi, obligatio se citò expediendi, ut in dicta resolutione Dianae *num.* 2. Non Tertiùm de citatorum ibi Doctorum auctoritate, quia nituntur supradictis textibus *cap Relatum* & *cap Comperimus*, quos nec vidisse, nec legisse fateri oportet, cum id non dicant, quod ipsi auctores asserunt, ideoque nil officiunt.

## DECISIONIS XXXIV

Ad Julii secundum Casum.

### ARGUMENTUM

Docetur, quo in Altari ponendum sit Ciborium pro asservanda Sanctissima EUCHARISTIA? Referuntur de hac re Canones, & Decreta dignissima scitu.

### SUMMARIUM.

1 *Ciborium habet plures significationes.*
2 *Eucharistia olim servabatur in columbis argenteis, vel aureis.*
3 *Ciborium, idest Tabernaculum SS. Eucharistiae in quo Altari tenendum?*
4 *Ciborium in Altari majori tenendum; nisi gravis causa excuset ab Episcopo approbanda.*

### SECUNDUS CASUS.

*Quaeritur, quo in Altari Ciborium sit ponendum, pro Eucharistia Sanctissima servanda in Ecclesiis?*

Dictum fuit: Ciborium, graecum Vocabulum κιβώριον, habere plures significationes, de quibus *Hierolexic Macri in hac voce* sed inter Ecclesiasticos significare Tabernaculum, in quo conservatur Sacra Eucharistia, & de eodem meminit Anastas *in Leone III* teste eodem Macro *d Verb. Ciborium* ubi subdit, Antiquorum usum fuisse conservare hoc Venerabile Sacramentum in columbis argenteis, vel aureis super Altare pendentibus, qui mos adhuc viget in nonnullis Galliae Ecclesiis, praesertim Parisiis; & censetur habuisse originem à Divo Basilio, in cujus vita Surius *tom* 1 ait: *Tertium verò* (id est Hostiae consecratae particulam) *in columba aurea pendente reposuisse*; de quo etiam Cardin Baronius *Anno* 57 *num.*152. Cardin Bona *Rerum Liturgic. lib* 2. *capit* 17. *numer* 6. & ex Joan Mabillon *De Liturgia Gallicana lib* 1 *cap* 9. tetigimus supra *in secundo casu Mensis Aprilis ad* 3. *praemissum*; & alia plura congerit de hoc Pignatell *tom.*4 *consult.*31.

Caeterum in quo Altari sit collocandum Ciborium, seu Tabernaculum, continens Sanctissimam Eucharistiam, Jus commune non decidit, sed tantummodò mandat, *ut in loco singulari, mundo*, & *signato semper honorificè collocata, devotè, ac fideliter conservetur*; ut habetur *in cap Sane* 10. *De Celebrat. Missar* adeò ut sub fideli custodia, clavibus adhibitis custodia-

stodiatur, ut praecipit Innocen. III *in cap 1. De Custodia Euchar* Quapropter recurrendum est ad tria jura; scilicet ad Rubricas Ritualis Romani, ad Constitutiones Synodales, & ad consuetudinem. Rituale Romanum *De SS Euchar Sacram* cum in Rubrica dixerit, quod *perpetuò aliquot particulæ Consecratæ eo numero, quæ infirmorum, & aliorum fidelium communioni satis esse possint, conserventur in Pyxide ex solida, decentique materia, ac munda, & suo operculo benè clausa, albo velo cooperta, & quantùm res feret, ornato in Tabernaculo, clave obserato*, Statim subjungit *Hoc autem Tabernaculum, conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut Ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur.* Igitur ex hac Rubrica, quæ, ut alias notavimus, vim legis habet, colligimus, collocandum esse Ciborium in Altari majori, nisi aliter requirat Cathedralitas, vel Collegialitas Ecclesiæ, in qua, cum officia Divina, & aliæ functiones Sacræ sint faciendæ in eodem majori Altari, ad impedimenta evitanda, Tabernaculum prædictum collocetur in alio decenti Altari.

Hinc Sanctus Carolus Borromæus in sua prima Synodo Provinciali, *Part 2.* 4 *tit. Quæ pertinent ad Sacramentum Sanctæ Eucharistiæ*. ita decrevit. *Episcopus diligentissimè curet, ut in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibus vis Ecclesiis, ubi Sacrosancta Eucharistia custodiri solet, vel debet; in majori Altari collocetur, nisi necessaria, vel gravi de causa aliud ei videatur* In nostris autem Constitutionibus Synodalibus Patavinis *part 2. cap 15 de Sanctissima Eucharistia custodienda*, præcipitur ab Episcopo, *quòd Sacramentum, excepta nostra Ecclesia Cathedrali, in majori Altari collocetur, non alibi, nisi habita à Nobis venia*, & quidem jure; nam pendet ab arbitrio, & prudentia Episcopi decernere, quo in Altari, juxta Ecclesiæ qualitatem, sit collocandum Ciborium; ut notant Castald. *in Praxi Cæremon lib 2. sect 1. cap.1. num.5* Pax Jordan. *tom 1. lib 3 tit 3 num. 5* & Barbos *de Pot Episc allegat 22. num 2.*

Concors autem est consuetudo in nostris regionibus, à qua videmus antiquitùs dispositum, ut in Collegiatis Ecclesiis utriusque Cleri Sæcularis, & Regularis, ut plurimùm, Tabernaculum, pro custodienda Sanctissima Eucharistia, sit collocatum non in Altari majori, ne impediantur quotidiana Divina officia; sed in alio nobili, & conspicuo, ac commodo ad adorandam, & ministrandam Sacram Communionem fidelibus, at in Parochialibus, & aliis semper detinetur in Altari majori, & ita etiam declaratum esse à *Sacra Congregatione Episcopi & Regular.* testatur Pignatell *in consultat tom 4. consult. 31 num 17* Verbis istis *Tabernaculum SS Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in Altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad Altare In Parochialibus verò & Regularium Ecclesiis debet esse in Altari majori regulariter, tanquam digniori. Ita in Luceа 10 Febr 1579 in Aquilana 29 Augusti 1594. & in Casertina 28. Novembris ejusdem anni.*

## DECISIONIS XXXV.

Ad Julii Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Agitur de instructione puerorum, qui noviter sunt admittendi ad Sacram Communionem. Tria demonstrantur, quæ sunt in usu apud Parochos Diœcesis Patavinæ circa eamdem instructionem.

### SUMMARIUM.

1 *Parænesis ad Parochos pro instructione puerorum noviter communicandorum.*
2 *P. Joannes Baptista Polacchus Sacerdos Congregationis Oratorii Paduæ laudatus*

CASUM

## CASUM PRUDENTIALEM.

*Quæ, & quot prudens Parochus docere debeat pueros, noviter admittendos ad Sacram Eucharistiæ perceptionem?*

QUoniam ab hinc annis, jussu Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini mei Cardinalis Barbadici, Episcopi hujus Urbis Antenoreæ vigilantissimi, ac pijssimi, compilavi sequentem Parœneticam Epistolam, ac instructionem à Parochis adhibendam, pro promovendis pueris hujus Diœcesis ad Sacram Communionem, ipsique Parochi, memores ejusdem, in responsione ad præsentem casum illam summis laudibus extulerunt, liceat eamdem hic transcribere de verbo ad verbum, etsi Italico sermone conceptam, fortè Lectoribus non ingratam, & satis erit pro resolutione Casus.

## LETTERA PASTORALE

*Per promuovere li Figliuoli alla Sacra Communione.*

Thr. 4.

MOlto Rev. come Fratelli. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, dice la Sacra Scrittura, dolendosi della negligenza de suoi antichi ministri, mà grande occasione habbiamo di temere, che si verifichino le medesime parole anco in questi tempi, havendo Noi ritrovato nella Visita, che per inescusabile trascuratezza di chi ne tiene l'obligo, molti, e molti figliuoli, e figliuole, dopò essere fatti adulti, & arrivati à gl'anni della discretione, non sono ammessi alla Sacrosanta Communione, e se ne vivono digiuni per tutta la loro adolescenza, sì che di essi si può dire: *Defecit parvulus, & lactens in plateis oppidi. Et adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti.* Volendo dunque rimediare à sì notabile omissione, inherendo à Sacri Canoni, al Sacro Concilio di Trento, & alle Constitutioni Sinodali, che comandano il promovere i figliuoli, e figliuole alla Santa Communione, pervenuti che siano à quella età, nella quale possano essere capaci, & idonei (il che per lo più avviene trà li dodeci, e li quatordeci anni) vi ordiniamo, che subito ricevute le presenti, e successivamente ogni anno nel principio di Quaresima, dobbiate far nota particolare del nome, e cognome di quelli figliuoli, e figliuole della vostra Parrocchia, quali riputarete habili per accostarsi alla Sacra Mensa, e quelli convocando in hora propria in Chiesa, molte, e molte volte in tutto il corso della Quaresima, come stimarete più espediente, distinguendoli in una, ò più classi, conforme il minore, ò maggiore numero, che saranno, gli rendiate instruiti, & informati delle cose, che hanno à credere circa il Venerabile Sacramento dell'Altare, come pure del modo di prepararsi alla Santissima Communione, e di rendere le gratie doppò Communicati, secondo il metodo seguente, quale per maggiore facilità habbiamo fatto compilare, & estrahere principalmente dal libretto della Dottrina Christiana.

Thr. 2. 4.

Cap. Omnis utriusque Sexus. De Pænit. & Remiss.

Conc. Trid. sess. 13. Can. 9. Synod. Patav. p. 2. cap. 15. Vers. Eundem.

Gli interrogarete Voi per modo di questo sopra gl'infrascritti punti sino, che se ne rendano ben capaci, per ammetterli poi il giorno della Santa Pasqua à ricevere il Corpo Sacratissimo del Signore con frutto, e profitto dell'anime loro, e sarebbe utile il procurare, che intervenissero à detta istruzione anco molti di quelli, che sono soliti à Communicarsi, e non l'haveranno mai sentita altrove, à fine che in tal modo persuasi con quanta riverenza, e purità deve accostarsi il Christiano à quel celeste Cibo, ogn'uno si disponga in modo, che possi ricevere col Sacramento anco gl'effetti mirabili, quali produce nell'anime pure, e monde lo stesso Augustissimo Sacramento.

Fatete sapere à tutti i Parrocchiani, e popoli alla vostra cura soggetti questa nostra commissione, leggendola publicamente nel tempo della Messa, & efficacemente esortandoli à mandare i figliuoli, e figliuole, che sono di età, e capacità sufficiente à ricevere la sudetta istruzione, e con tal occasione ammonirete quelli, i quali sono trascurati nella buona educatione de' figliuoli, con avvertirli dello strettissimo conto,

che

che ne haveranno à rendere al Signore DIO, e massime non mandandoli ad imparare la Dottrina Christiana, e non prohibendo loro il conversare, e trattare insieme i putti, e le putte sotto pretesto di amore, ò sposalizio futuro, mentre alla giornata ne sentiamo scandalosi successi, con detrimento dell'Anime, dishonore delle famiglie, e gravissima offesa di Sua Divina Maestà.

Doverete poi per l'ottava di Pasqua consegnare à i Vicarij nostri Foranei la nota di quante Anime haverete communicato da nuovo, come pure di quelle, che fossero restate inconfesse, in conformità delle Constitutioni Sinodali, acciò ci sia subito dalli medesimi trasmessa, per adempire, quanto è possibile, il debito dell'officio nostro Pastorale. E Nostro Signore vi benedica.

d. part. 1. cap. 11.

*Istruzione per la Santa Communione Punti, che si hanno à credere.*

1 CHe l'Hostia dell'Altare prima, che sia consecrata, non è altro, che un poco di pane, mà subito, che il Sacerdote hà proferito le parole della Consecratione, si trova in quell'Hostia il vero Corpo di Christo Nostro Signore, quel medesimo, che nacque della Santissima Vergine, che morì in Croce, risuscitò, e siede alla destra di Dio Padre.

S. Th. 3. par. q. 11. art. 1. Catech. Rom. d. S. Lab. cap. 76. 27. 1. 29

2 Perche il vero Corpo del Signore è vivo, & unito alla Divinità nella Persona del Figliuolo di Dio, però insieme con il Corpo si trova ancora il Sangue, l'Anima, e la Divinità, e così tutto Christo Dio, & Huomo.

S. Th. 3. par. q. 76. art. 2.

3 Che dopo le parole della Consecratione l'Hostia non è più pane, benche habbia il colore, il sapore, l'odore, e gl'altri accidenti del pane, mà è il vero Corpo del Signore, e ciò per virtù di Dio Onnipotente, il quale, sicome hà creato di niente il Cielo, e la Terra, Così fà, che il pane, & il vino si converta nel Corpo, e nel Sangue del suo Santissimo Figliuolo, restando da sè stessi gl'accidenti sodetti del colore, sapore, odore, quantità, & altri.

S. Th. 3. par. q. 75. art. 2. & 3.

4 Che se bene questo gran Misterio, come l'altre opere mirabili di Dio, non è necessario intenderlo, mà basta crederlo, essendo certi, che Dio non ci può ingannare, pure si può dare la similitudine del cibo materiale, che ogni giorno mangiamo, il quale, sicome per virtù del calore naturale si converte nella nostra carne, e nel nostro sangue, così per virtù di Dio l'Hostia dell'Altare, & il vino del Calice si converte nel Corpo, e Sangue del Signore, subito che il Sacerdote proferisce le parole della consecratione.

Catech. Rom. d. Euch. c. 1

5 Che nell'Hostia consecrata non solo vi è il Corpo del Signore, mà insieme il Sangue. Sicome nel Calice non solo vi è il Sangue, mà anco il Corpo per via di concomitanza, cioè compagnia inseparabile: e perciò se bene i Laici si communicano solamente coll'Hostia, ricevono in essa anco il Sangue del Signore.

Catech. Rom. cap. 34.

6 Che il Corpo di Christo Signore Nostro stà vivo, & intiero in ciascheduna Hostia Consecrata, tanto grande, quanto picciola, anzi in qual si voglia sua minima particella, e così non vi è differenza à communicarsi con una particola grande, overo picciola, ò altra particella di essa, per minima, che sia.

Catech. Rom. cap. 36.

7 Che parimente il Corpo del Signore è intiero in tutte le Particole, & Hostie Consecrate, e ciò per virtù della sua Onnipotenza, e si può dare l'esempio della voce d'un Predicatore (come insegna Sant'Agostino) la quale se bene è una voce sola, è però tutta nello stesso tempo nell'orecchie de tutti gl'ascoltanti.

Catech. Rom. d. cap. 36. Rodrig. tract. Perfect. p. 3. tract. 8. cap. 2.

8 Che quando si spezza, ò divide l'Hostia, non si spezza, ne si divide il Corpo del Signore, mà i soli accidenti del pane, ò pure del vino consecrato, e così Christo non si parte, ne si divide, mà resta vivo, & intiero in ogni particella, come habbiamo detto di sopra.

Rodrig. d. cap. 2. Cath. Rom. cap. 41.

9 Che Nostro Signore Giesù Christo à voluto instituire questo mirabile Sacramento del suo Corpo, e Sangue sotto le specie del pane, e del vino per dinotare il nutrimento spirituale, che fà nell'Anima, di chi lo riceve, coll'abbondanza della sua grazia, e perche conoscessimo il suo

Catech. Rom. cap. 2. & seq. cap. 18. Rodrig. d. tract. 8. cap. 1.

X grande

grande amore verso di noi, havendo voluto non solo patire, e morire per noi sù la Croce, mà restare con noi nel Santissimo Sacramento, & unirsi strettamente, & intimamente coll'anime nostre, mediante la Santa Communione fatta per modo di cibo, e bevanda.

10 Che tutte queste verità sono di fede, e bisogna crederle, e venerarle, senza volerle investigare curiosamente, perche Dio può fare più di quello, che noi possiamo intendere, e non sarebbero grandi le cose di Dio, se il nostro intelletto le potesse comprendere. E questo è il merito della nostra Santa Fede, credere quello, che non vediamo per esserci rivelato da Dio, & insegnato dalla Santa Chiesa Cattolica, & Apostolica Romana. *Quod non capis, quod non non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.*

Rod. in d. tract. 8. cap. 2. Cathec. Rom. cap. 21. & 1. 43.

*Punti della preparatione alla Santa Communione.*

1 CHe bisogna avanti la Communione confessarsi di tutti i peccati mortali, e sarebbe un'horrendo sacrilegio il ricevere la Santa Communione con la conscienza rea di uno, ò più peccati mortali non confessati. *Quì sarà bene avvertire il popolo della necessaria integrità della Confessione Sacramentale.*

S. Th. 3. p. q. 80. art. 4. & 1. Catech. Rom. cap. 40. 1. 51. cap. 50. Rodrig. d. tract. 8. c. 3. & 4.

2 Che si deve essere digiuni in tutto, e per tutto, cioè che almeno da meza notte in giù non si habbi preso niente, nè anco un poco di acqua: eccettoche se si dovesse Communicare per viatico un moribondo, nel qual caso la Santa Chiesa lo permette, ancorche non fosse digiuno.

S. Th. 3. p. q. 80. Catech. Rom. cap. 17.

3 Che conviene accostarsi alla Sacra Mensa con divotione, con grandissima humiltà, e riverenza, considerando la sovrana Maestà, e grandezza di Dio, che veramente stà in quel Santissimo Sacramento, alla cui presenza tremano gl'Angeli, & i più alti Serafini del Cielo. *Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.* E per questo nell'atto di Communicare Santa Chiesa recita quelle humilissime parole del Centurione, *Signore non sono degno, che entrate nella casa mia; mà dite solo la vostra parola, e sarà sana l'anima mia.*

Rodrig. d. tract. 8. cap. 3. & 26.

4 Che giova rappresentarci l'amore infinito del Signore, e la sua Santissima Passione, di cui quella Sacra Mensa è memoriale, e così far conto di ritrovarsi frà i Discepoli alla Cena di Christo Signor Nostro, ovvero a' piedi della Croce sul Monte Calvario, per lavare l'anima sua nel Sangue Sacratissimo del Signore.

S. Th. 3. p. q. 73. art. 3. Rodrig. d. tract. 8.

*Punti per il rendimento di gratie dopò la Santa Communione.*

1 RIngraziare di tutto cuore sua Divina Maestà per sì gran favore, & offerirgli tutte quelle laudi, e rendimenti di grazie, che li danno gl'Angeli, e i Santi in Cielo.

Rodrig. d. tract. 8. cap. 7. 8. & 9.

2 Offerire tutti sè stessi al suo santo servitio, con proponimento di volersi emendare delle proprie male inclinationi, e di più tosto morire, che commettere volontariamente un peccato.

Rod. ib.

3 Dimandare al Signore il perdono delle colpe commesse, il suo santo ajuto per emendarsi, per vincere le proprie passioni, e chiedere quelle grazie, che sono giovevoli all'eterna salute.

Rod. ib.

Questi, & altri simili devoti affetti insegnarà il Parroco à quelli, che si haveranno da communicare, più, ò meno, conforme giudicherà espediente con la sua prudenza.

Data in Padova nel Palazzo Episcopale il dì 25 Febraro 1671.

*Gregorio Cardinale Barbarigo Vescovo &c.*

Hæc satis visa fuere pro instruendis pauperculis, & idiotis pueris, ac puellis hujus Civitatis, & Diœcesis Patavinæ, promovendis per Parochos ad Sacram Mensam Eucharisticam. Non me latet, uberiores reperiri tractatus piorum Auctorum pro hujusmodi instructione, inter quos insignis est Libellus *P. Joannis Baptistæ Pelacchi de Feltrio*, Sacerdotis exemplarissimi hujus Congregationis Oratorii de Padua, cujus titulus est: *Le tre devote Sett-*

*Settimane, ripiene di saette amorose, cioè d'atti affettuosi per mani, e dopo la Santissima Communione: Con una piena esortatione all'Anime innamorate del Santissimo Sacramento. Stampate in Padova per il Sardi* 1655 ac alibi plures. Nec non ejusdem Auctoris meditationes duæ pro Sacra Communione, extractæ ex sermonibus Sancti Antonii Patavini impressæ in alio libello, cui titulus *Il divoto Pellegrino giunto in Padova. Typis ejusdem Sardi Anno* 1656. In quo referuntur omnia Corpora, & Reliquiæ Sanctorum, quæ venerantur in Ecclesiis hujus Urbis Antenoreæ, & præcipuè in insigni Basilica ejusdem Divi Antonii.

## DECISIONIS XXXVI.

Ad Augusti Quæsitum Primum.

### ARGUMENTUM

Declarat, Quis sit minister consecrationis EUCHARISTIÆ? Et docet, esse Hominem Christianum, Viatorem, charactere Sacerdotali insignitum. Hinc cessare facultatem consecrandi in Animabus Sacerdotum defunctorum luculentis Historiis comprobatur.

### *SUMMARIUM.*

1 *Minister consecrationis Eucharistiæ quis sit?*
2 *Lutheri hæresis, quod omnis Christianus possit consecrare Eucharistiam.*
3 *Eucharistia consecrari non potest ab Angelo, neque ab Anima Sacerdotis defuncti.*
4 *Angeli quandoque dispensarunt Sacram Eucharistiam.*
5 *S. Thomas Apostolus post mortem miraculosè singulis annis Indos communicabat.*
6 *S. Joannes Evangelista visus in cælis celebrare Missam.*
7 *S. Petrus Apostolus Anno 610. consecrat Ecclesiam Londini in Anglia.*
8 *Christus posset dare auctoritatem Angelis conficiendi Sacramenta.*

## QUÆSITUM PRIMUM.

*Quinam sit Minister Consecrationis Eucharistiæ.*

Responsum fuit esse *Hominem Christianum, ordine Sacerdotali insignitum, & Viatorem*. In quo responso tria sunt essentialia. *Unum*, quod Minister 1 Consecrationis Eucharistiæ debet esse homo Christianus, idest baptizatus; cum enim (ut mox dicetur) necessarius sit ordo Sacerdotalis, & qui non est baptizatus non possit recipere Sacramentum Ordinis, ea ratione quia Baptismus est janua, & fundamentum omnium Sacramentorum *cap. Veniens. De Presbyt. non baptizato* Emin. Card. de Lauræa in 4. *Sent. tom. 3. disp. 11. num. 149. & num.* 150. per consequens primum requisitum in eo, qui debet constitui minister Consecrationis Eucharistiæ, est, quod sit homo Christianus. *Secundum* est, quod sit ordine Sacerdotali insignitus, siquidem qui Sacerdos non est, consecrare Eucharistiam non potest, *cap. Ecce ego. 95. dist. cap. Absit 11. quæst. 3.* & est definitum in *cap. fin. De Summ. Trinit. & fide Cathol.* Chartar. *decis.* 13. *num.* 1. ubi Armilla, Sylvest. Fabian. & Angel. *Verb. Missa*. Fuitque dictum *In Concilio Niceno Primo cap.* 14. unde convincitur de hæresi Lutherus *in lib. de instituendis Ministris*. Et *in lib. de Captivit. Babylon.* ubi impiè docuit, *omnem baptizatum habere potestatem ad consecrandam Eucharistiam, hoc tamen munus* 2 *exercere non posse nisi in tempore necessitatis*, quod fuit damnatum à Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. & sess. 23. cap. 4. & can. 1.* & jure optimo, nam Christus Dominus potestatem conficiendi Eucharistiam concessit Sanctis Apostolis, dum dixit: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis. Matth. 26.* quorum Successores sunt Episcopi, & Sacerdotes, quod testatur etiam Apostolus scribens. *1. Cor. 10. Panis, quem frangimus, nonne communicatio*

*Corporis Domini*, *est?* idest nos frangimus, non cæteri fideles, quibus quidem dictum est *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. *Jo 6* At solis Apostolis, & Sacerdotibus *Hoc facite in meam commemorationem*: ut semper docuit Sancta Mater Ecclesia, & demonstrat Collegium Salmanticen *tom. 10. de Sacramentis in genere tract 4. cap 9 punct 1* Et Emin Card de Laurea *De Euchar d. disp 24. art. 1*: ubi oppositiones facit, & eruditè eas resolvit *Tertium* est, quod homo Christianus, neque Sacerdos sit etiam Viator, ad hoc ut possit consecrare Eucharistiam, quandoquidem communis est Theologorum sententia, quod neque Angeli, neque Anima extra corpus alicujus Sacer-

3 dotis, etsi beata, & gloriosa in Cœlo, possint consecrare Eucharistiam, & ratio est, quia illi tantum habent potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Domini in sacrificio, quibus ea data est à Christo, sed Christus illam dedit non Angelis, neque beatis, sed solis hominibus Sacerdotibus viatoribus Ergo præter illos nullus potest Sacram Eucharistiam conficere Emin Card. de Laurea *De Sacramen. in genere disp 10. art 1 num. 4.* Card de Lugo *eodem tract. disp 8 sect 3 num. 2.* Lessius in *Opere posthum. in 3 part S Thom quæst 64 art 7* Collegium Salmanticen. *d tom. 10. De Sacram in gen tract 1 cap 7 punct 2.* ubi addit sequentes alias rationes, scilicet I quod Ecclesia præsens est humana, & visibilis, ergo conveniens est per solos humanos, & visibiles ministros gubernari, & quod sicut solis viatoribus Sacramenta dantur, sic à solis viatoribus conficientur. II quod forma Eucharistiæ consistit in verbis prolatis per propriam locutionem: hæc autem solis hominibus viatoribus competit, non autem Angelis, aut animabus beatis, ut docet S. Thom *1. part q. 5. art 3 ad 4.* III Quia in Eucharistia est aliquid spirituale, & aliquid sensibile. Ergo confici debet à Sacerdote Viatore, qui habet non solum intellectum, sed etiam sensum

4 Hinc, licet legamus in Historiis Sacris, pluries Sacramentum Eucharistiæ fuisse dispensatum vel ab Angelis (ut de B Stanislao refert Card. de Lugo *de Euchar d disp 8. num 4.* Bagatta *de Admirandis Orbis Christiani tom 2 lib 3 cap 3. § 4.* Gobat *in Experim. Theol tract 1 num 50.* & nos infra

5 *decis 62. num 45 & 46.* ubi plurima exempla) vel à Sanctis fruentibus gloria cœlesti, ut de S. Thoma Apostolo, à quo annis singulis populum sacra Communione refici, narravit Joannes Patriarcha Indorum Calixto II Papæ, & Cardinalibus in Consistorio, Anno 1120, teste Stapletono, quem refert idem Card de Lugo *d num 4.* & Ba-

6 gatta *d. § 4. num 14.* semel tantùm reperi scriptum, quod Sanctus Joannes Evangelista gloriosus in Cœlis Missam celebraverit, Eucharistiam consecraverit, seipsum, ac B Ivettam communicaverit, ut ex Bollando transcripsit Hier à Basilica Petri *in ejusdem B Ivettæ die 13 Januarii num 28.* Sed visio illa potuit esse intellectualis, non realis vel tantum imaginaria, non effectiva: nec ubi recordor me legisse, quod Sancti in Cœlo regnantes Eucharistiam consecraverint Immò cum apud Emin

7 Card Baronium *Anno 610. num 21* registrata sit mirabilis quædam consecratio Ecclesiæ facta per gloriosum Apostolorum Principem Petrum Londini in Anglia, completa Episcopali illa functione, admonere fecit Episcopum de illa, ne amplius Ecclesiam consecraret, sed supplendo *celebraret Sacrosancta Mysteria Dominici Corporis, & Sanguinis*, à qua celebratione se abstinuerat ipse gloriosus Apostolus, quod observavit, & notavit prædictus Emin Card. de Lugo *dict num 4.*

8 Veruntamen, ut docet *S Thom 3 part. quæst 64 art 7.* sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine ipsis effectum Sacramentorum conferre Ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis, & animabus beatis possit virtutem tribuere conficiendi Sacramenta Porrò in hoc casu Sacramentum, quod ab ipsis conficeretur, non esset omninò ejusdem rationis cum nostris, quamvis idem effectus resultaret per medium diversum, Card de Lugo *cit disp 8. num 1 in fine*.

DE-

## DECISIONIS XXXVII.

Ad Augusti Quæsitum secundum.

## ARGUMENTUM.

Elucidantur duo: videlicet, Quæ requirantur in Sacerdote ad validam? Et quæ, ad licitam EUCHARISTIÆ consecrationem? Pro primo tria requiri. Pro secundo, undecim demonstratur; non ignoranda a Sacerdotibus tùm sæcularibus, tùm Regularibus.

## SUMMARIUM.

1 *Ordo Sacerdotalis necessarius in Ministro consecrationis Eucharistiæ.*
2 *Potestas jurisdictionis in Sacerdote impeditur per ordinationem habitam ab Episcopo Schismatico, vel hæretico.*
3 *Potestas characteris est validè, sed non licitè in ordinato ab Episcopo hæretico, vel schismatico.*
4 *Verba consecrationis sunt proferenda super materia consecranda.*
5 *Eucharistia, ut licitè consecretur, sunt necessaria undecim. Et quæ?*
6 *Peregrinus Sacerdos non potest licitè celebrare, nisi obtenta licentia ab Ordinario loci.*
7 *Regulares permittentes, exteros Sacerdotes celebrare in eorum Ecclesiis sine licentia Ordinarii, possunt ab eo puniri.*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*Quæ requirantur in Sacerdote ut validè, & licitè possit consecrare Sanctissimam Eucharistiam?*

Duo hîc requiruntur, Unum *ut validè*, alterum *ut licitè*, & de utroque singillatim est respondendum.

Quo ad Primum: Requiruntur in Sa- 1 cerdote, *ut characterem ordinis Sacerdotalis receperit sivè à Catholico, sivè à Schismatico Episcopo, & verba consecrationis proferat super materia, idest pane, & vino, cum intentione consecrandi.* Itaque debet habere characterem ordinis Sacerdotalis, receptum in ordinatione vel ab Episcopo Catholico, de quo nullum est dubium, vel etiam ab Episcopo Schismatico, quia, si contulerit ordinem Presbyteratus servata forma Ecclesiæ, valida erit ordinatio, impressus erit character; & vigore ejus sic ordinatus validè consecrabit Sacram Eucharistiam *cap. Ostenditur. De Consecr. dist. 4. cap. quod quidam 1. q. 1. cap. Præter. § verum & §. Ad hoc ubi* Glos. *in verb. Formam dist. 32.* duplex enim est potestas, quæ per ordines sacros confertur, una *Jurisdictionalis*, ut absolvendi, censuras fulminandi, & indulgentias conce- 2 dendi, & hæc impeditur, & aufertur per hæresim, aut schisma, vel alia gravia delicta *cap. 1. & 2. ubi DD. & Glos. de Schismaticis.* Alia est *Sacramentalis*, & dicitur potestas characteris, consistens in facultate conficiendi Corpus Christi, conferendi ordines, & chrisma, & hæc, quia provenit à Deo, & indelebiliter inhæret characteri, & personæ ordinatæ, non potest auferri ab ordinato, quin validè consecret Eucharistiam, & conferat ordines, 3 quamvis licitè, ut dicam infra, hoc facere non possit S. Thom. 2. 2. *q. 39. art. 3.* Suarez *de Censur. disp. 21. sect. 1. num. 61.* Et ex Canonistis Archidiac. & Francus *in cap. 2. num. 3. & 4. de Pœnis in 6.* Turrecrem. *de Eccles. lib. 4. p. 1. cap. 7.* Pignatell. *tom. 8. consult. 92. ubi num. 3.* subdit, quod quando Sacramenta conficiuntur à Schismatico secundum formam Ecclesiæ, si ultra gratiam non expectant aliam executionem, cujusmodi sunt Baptismus, Consecratio Eucharistiæ, & Extrema Unctio, valida sunt, nam Schismaticus Sacerdos consideratur in ipsis non tanquam instrumentum Ecclesiæ, sed tanquam instrumentum Dei, quamvis recipientes ab eo peccent mortaliter, nisi excusentur vel ob ignorantiam, vel ob extremam necessitatem. Glos. Abb. & Socin. *in cit. cap. 1. De Schismat.* Si verò ultra gratiam desiderant executionem, pro legitimo exercitio, hæc deficit in hæreticis, & schismaticis,

aliisque

alisque per censuras ab Ecclesia impeditis *cap. Loquitur*, *& cap. Omnibus* 24. *q.* 1. S. Thom. *in eit. q.* 39 *art.* 3. & Scotus *in* 4. *dist.* 13 *art.* 8. & novissimè, ac concludenter pluribus argumentis demonstrat Eminen. Card. de Lauræa *de Euchar. disp.* 24 *art.* 1 *num.* 4 *&* 5. Additum est, ut 4 proferat verba consecrationis super materia propria, idest pane, & vino, & cum intentione consecrandi, quia hæc sunt de substantia uniuscujusque Sacramenti, sicut definitum est in Conc. Florentino sub Eugenio IV. *post ult. sess. §. quinto* S. Thom. 3 *p. q.* 60. *art.* 4. 5 *&* 6. *Catechism. Rom. de Sacram. in genere cap.* 15. *&* Emin. Card. de Lauræa *de Euch. d. disp.* 24 *num.* 17.

Quo ad secundum, ut Sacerdos possit licitè Sacram Eucharistiam consecrare, requiruntur undecim. *Primò*, ut sit in gratia, 5 & mundus à culpa lethali. *Secundò* ut sit liber à censuris, & irregularitatibus tàm ex defectu, quàm ex delicto. *Tertiò*, ut habeat Vestes sacras, Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, & Casulam, Calicem cum Patena, & Missali. *Quartò*, ut locus sit deputatus ad celebrandum, nempè Ecclesia, vel Oratorium approbatum. *Quintò*, ut sit Altare lapideum chrismate delibutum. *Sextò*, ut adsint ornamenta Altaris, tobaleæ, Crux, & lumina. *Septimò*, ut celebratio, & consecratio fiat in tempore permisso, nempè ab Aurora usque ad meridiem, exceptis Privilegiatis. *Octavò*, ut Sacerdos consecraturus sit jejunus. *Nonò*, ut adsit, qui ministret, & respondeat Sacerdoti. *Decimò*, ut servet Sacerdos ritus, cæremonias, & alia præscripta in Rubricis Missalis Romani, de quibus omnibus latè discurrit Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp.* 24 *de Eucharist. toto art.* 2. & Tamburin. *toto lib. primo de Sacrificio Missæ*. Tandem *Undecimò*, ut sit approbatus pro celebratione ab Episcopo Ordinario loci, nam si Sacerdos fuerit peregrinus, non poterit licitè conficere 6 Corpus, & Sanguinem Domini in aliena Diœcesi, nisi obtenta licentia Ordinarii, prævia exhibitione litterarum commendatitiarum sui Episcopi ad normam Sacrorum Canonum innovatorum à *S. Concil. Trid. sess.* 23. *de ref. cap.* 16. adeò ut extero, ac peregrino Sacerdoti licitum non sit celebrare sine licentia Diœcesani neque in Ecclesiis Regularium: quos, si inobedientes sint, Episcopus poterit punire. Barbos. 7 *in collect. ad d. sess.* 23. *cap.* 16. *num.* 9. *& seqq. & ad sess.* 22. *cap.* 8. *de Sacrif. Miss. num.* 36. Idem Barbos. *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 30. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 362. *& tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 188. Novissimè Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 42. *à num.* 4. *& seqq.* ubi alios cumulat, & notat ita fuisse responsum à *Sacro Congreg.* 2. *Novembr.* 1594. Item 2. *Julii* 1620. nec non *die* 17. *Augusti* 1630.

## DECISIONIS XXXVIII

Ad Augusti Primum Casum

## ARGUMENTUM.

Ostenditur obligatio Parochi, ut faciat ardere jugiter lampadem coram Sanctissima EUCHARISTIA. Lampadum varia symbola explicantur apud Hebræos, apud Gentiles, & apud Christianos. Discutitur, ad quem de Jure spectet, manutenere lampadem ardentem in Ecclesia? Qua pœna sit plectendus Parochus negligens circa lampadem? Refertur ex S. Petro Damiano tremenda punitio.

*SUMMARIUM*

1. *Lampadarum Ecclesiæ varia notatio.*
2. *Lampades in magna veneratione semper fuere.*
3. *Hebræi faciunt festum candelarum per dies octo.*
4. *Mulieribus Hebræis tria præcepta dantur à Rabbinis.*
5. *Sponsa Hebræa habebat secum aliquas virgines eam comitantes cum lampadibus, honestatis causa.*
6. *Gentiles venerabantur usum lampadarum.*

7 Lega-

7 *Legatum olei pro lucernis Ecclesiæ, vel mortuorum, dicitur pium.*

8 *Lucernæ inextinguibiles ponebantur ab antiquis in sepulcris.*

9 *Lucernarum ardentium in monumentis repertarum exempla.*

10 *Christiani usque ab initio Ecclesiæ utebantur lampadibus, & cereis pro divino cultu, Deiparæ, ac Sanctorum.*

11 *Miracula ex oleo lampadarum Ecclesiæ.*

12 *Lampades sola aqua plenæ ardentes.*

13 *Oleum emere pro lampade Ecclesiæ spectat de Jure ad Parochum, nisi consuetudo sit in contrarium.*

14 *Oleum pro lampade Ecclesiæ emendum est à Parocho vel pro medietate, vel pro tertia parte juxta arbitrium Episcopi.*

15 *Parochus negligens circa lampadem accensam coram SS Sacramento peccat mortaliter, & est ab Episcopo mulctandus.*

16 *Missa non est celebranda absque lumine, neque pro communicando per Viaticum.*

17 *Culpa ubi est, ibi pœna esse debet.*

18 *Pœna omnis in jure est Judici arbitraria.*

19 *Pœna ex Constit Synod Patavinis contra Parochum negligentem circa lampadem accensam coram SS. Sacramento.*

20 *Exemplum punitionis Divinæ ob præjudicium factum lampadibus ad Altare S. Petri Romæ collucentibus.*

21 *Æditui, qui usurpant sibi oleum lampadarum Ecclesiæ, committunt peccatum Sacrilegii, & contrahunt minorem Excommunicationem.*

22 *Sacrilegium dicitur quasi Sacri lædium.*

## PRIMUS CASUS.

*Parochus curam lampadis, collucentis coram Eucharistia, relinquit Æditue, qui tum ex negligentia, tum ex malitia eam extinctam, ut plurimum, finit. Quæritur an Parochus sit reus culpæ? aliquusve pœnæ. Et quale peccatum committat Ædituus.*

1 PRæmittendum Primò: diversis nominibus vocatas esse lampades Ecclesiasticas ab antiquis; alii enim eas appellabant *Buttones*, à græca dictione Βύτιν idest scyphus, vel vas concavum. Macer *in Hierolex dict. Butto*. Unde Anastas. Bibliothecae In Leone III. ait *In venerabili Monasterio S. Sabæ fecit Buttonem argenteum*, & in Leone IV. *Obtulit in Basilica Sancti Petri Buttonem de argento purissimo*. Quorum Buttonum formas duas ponit ibi Macer desumptas ex veteri pictura, quæ Romæ in porticu S Petri olim extabat, una quarum est cum tribus aliis pensilibus Buttonibus, altera verò cum unico Buttone, non injucundas visu. Alii autem vocabant ipsas lampades *Cicendelas*, & ita legitur apud Fulbertum Carnotensem (qui floruit anno 1000. ab Incarnatione Domini) *Epist 68. inter organa Vasum, & ardentes Cicendelas*. Et apud S Gregorium Turonensem *lib 4. Histor cap 31. Avis quædam in Sacrarium sub velo transisse dicitur, & Cicindelem extinguere voluisse, nisi ab ostiariis prohibita fuisset*. Quod refert Jo Mabillon *in Liturgia Gallicana lib 1 cap 8, num 12*. Alii pariter vocabant lampadem *Enofotum*, ex græca dictione ἑνὸς φωτὸς idest unius luminis, juxta illud ejusdem Anastas. in Benedicto III. *Obtulit canistra Enofota ex argento purissimo*. Alii nominabant lampades *Exafota* idest habentes sex lumina, ex græcis dictionibus ἕξ idest *sex* & φῶτα, idest lumina, seu splendores. Alii tandem *Enneafota*, idest ferentes novem lumina ab ἐννέα idest novem luminum; ut explicat Macer. *in Hierolex Dict. Enofotus, & Exafoti*. Hebraicè verò lampades dicuntur נרות *Herot*, à litteris נר *Her*, quæ quidem litteræ sunt numericæ facientes summam 250. quæ duplicata facit 500. & tanta dicunt Rabbini esse membra Mariti, & Uxoris, denotata per lampadem accensam juxta illud *Prov. 20. 27. Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris*. Ita notat Jul. Maurocenus *Neophytus in suo opere par. 2. cap. 66.*

2 Præmittendum secundò Lampades semper fuisse in magna veneratione tum apud Hebræos tum apud Gentiles, ac postea apud Christianos. De veneratione apud Hebræos constat ex præcepto illis injuncto in Exodo, ubi

do, ubi cum dictum fuerit *cap. 25. vers. 3 Facies, & candelabrum ductile de auro mundissimo*; subjungitur *vers. 37 Facies, & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso*. Et paulò post in eodem libro Exodi *cap. 27. vers. 20. & 21. Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum piloque contusum, ut ardeat Lucerna semper in Tabernaculo testimonii*. Cumque plura post secula ab Antiocho fuisset profanatum Templum, illudque restauratum, & purgatum à Juda Machabeo, Sacerdotes in ipso *Sacrificia obtulerunt, & incensum, & Lucernas, & panes propositionis posuerunt*, ut legitur 2. *Machab.* 10. 4. decernentes, ut singulis annis die 25. Mensis *Casleu* (qui est noster Decembet) omnes Judæi per dies octo celebrarent memoriam hujusmodi dedicationis, & restaurationis.

Hinc processit festivitas candelarum, quam Judæi vocant, חנוכה *Chanuca*, in qua singulis vesperis per dies octo, in ostio domus ad intra accendunt octo lampades, seu candelas, quas sacras vocitant, itaut neque ad earum lucem aliquid facere; vel earum oleo, aut ellychnius quis uti valeat sub mortali culpa, ut latè ostendit cit. Jul. Maurocenus *d. part. 2. cap. 47.* qui etiam *d. cap. 66.* advertit, mulieribus Judæorum tria præcepta esse injuncta per Rabbinos, unum נדה *Hidda*. Alterum חלה *Chalà*, & Tertium הדלקת הנר *Hadlakat Hanner*. Per primum, ut ipsæ mulieres, cum sint menstruatæ, abstineant à copula cum viro; per secundum, ut quandocunque panem faciunt, partem massæ reservent pro Sacerdotibus, & per tertium, feriis sextis in Vespere, adveniente Sabbato, accendant lucernas saltem duas in honorem diei sacri. Sed consuevisse Hebræos lampades accendere ad agendam festivitatem, desumitur etiam, *ex Persio Satyra quinta*, dum agit de natali Regis Herodis, quem Judæi colebant, dicens

*At cum*
*Herodis venere dies, unctaque fenestra*
*Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ*
*Portantes violas*.

Et confirmat Joseph. *lib. 18. Antiquit. cap. 6.* dum asserit, ad Stolam Pontificiam, in Turri Antoniana quotidie solitum accendi lucernam. Hoc ipsum corroborat Parabola Evangelica de decem Virginibus, *quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Matth. 25. 1.* Mos enim erat apud Hæbreos, honestatis causa, assignate Sponsæ diversas puellas Virgines, quæ illam comitarentur, dum veniret Sponsus, à quibus lampades accensæ deferebantur, ut notat Menoch. *in Vita Christi tom. 2. lib. 6. cap. 13.*

Gentiles etiam veneratos esse Lampodarum usum, testantur antiqui scriptores. nam Plutarchus *in Vita Luculli* ait, pro Stemmate Dianæ fuisse lampadem, & *in Vita Numæ*, Vestalibus assignatas lampades ardentes, quia ex sterilitate ignis earum Virginitas denotabatur, & *in libro de Oraculorum defectu*, notat in Templo Jovis à Sacerdotibus custoditas accensas lampades, quarum originem inventam ab Ægyptiis scribit Polidor. Virg. *lib. 2. cap. 19.* & Pausanias *in reb. Atticis* scribit, Athenis fuisse donatam Minervam aurea lampade tantæ magnitudinis, ut semel tantùm in anno infunderetur in ea oleum, ad jugiter ardendum. De hoc etiam usu cecinit *Juvenal. Satyr. 12.*

*Et matutinis operantur festa lucernis*. Et illum referunt Herodot. *in Heuterp. lib. 2.* Suidas *in Verb. lampados*. Immo SS. Patres. Hieronym. *in Vigilant.* & S. August. *lib. 21. cap. 6. de Civit. Dei*. Ut meminit Eminentissimus Card. Baron. *ann. 58.* Et novissimè *Illustrissimus Pompeius Sarnelli Episcopus Vigiliarum* in eruditissimis suis Litteris Ecclesiasticis *Epist. 20.* Hinc valere donationem olei factam Uxori à marito, consumendi in æde sacra, respondit Vulpian. *in l. Si sponsus 5. § Proinde ff. de Donat. inter Virum, & Uxor.* Immò inter pia legata illud extabat, quod accenderentur frequenter lucernæ in monumentis Testatorum, ut habetur *in l. Mævia 44. ff. de Manumiss. Testam.* Ex qua gentilium superstitiosa devotione, & frequenti lampadarum accensione apud cadavera Defunctorum, processit ars nunc deperdita, qua pollebant antiqui, formandi lucernas inextinguibiles, ponendas in sepulchris,

pulchris, ut plurima testantur Historiarum exempla: nam tempore Pauli Papæ Tertii reperta est Lucerna ardens apud Romam in sepulchro Tulliolæ filiæ Ciceronis. Pancirol. *in libr. de rebus memorabil.* quæ accensa manserat annis MDL. Consimilis fuit inventa in hac Diœcesi Patavina penes Atestinum Castrum, in sepultura 9 cujusdam nomine *Elibi*, sepulti ante annos MD. teste Scardeonio Historico, & Canonico Patavino *lib. 2. class. 3. cap. ult.* Alteram ardentem in antiqua sepultura penes Neapolim visam fuisse refert Jo: Baptista Porta *in Magia Natur. lib. 12. cap. ult.* Et aliarum plurium exempla recitat Fortunius Licetus Philosophus primæ sedis in hoc Lycæo Patavino, (quem frequenter in juvenili ætate ego audiebam) in erudito Opere *De reconditis antiquor. Lucernis*, ubi luculenter examinat, qua ratione lampades illæ essent inextinguibiles, & idem legi potest apud Arcsium Episcop. Torton. *lib. 5. Impr. 133. in Digressione cap. 1. & seqq.* ad quos curiosus recurrat.

Christiana autem Religio etiam in suis incunabulis Lampadarum, & Cereorum 10 ardentium usum in Templis, Religionis intuitu erga Deum, recepit; ad quem effectum Acolythorum ordinem recognovit, ut testantur SS. Patres Cyrill. Epiphan. Anastas. Hieronym. Augustin. & alii congesti per Casalium *de Veter. Sacr. Christ. Ritibus c. 42.* ubi notat, Constantinum Imperatorem, inter cætera dona oblata Reliquiis SS. Petri, & Pauli, ac Laurentii, ac etiam Ecclesiæ S. Crucis, dedisse Candelabra, & lampades magni pretii, quæ ardere perpetuò debebant ex balsamo, & aliis pretiosis oleis, quod legitur etiam *in tom. 1. Concilior.* in libello *de Magnificen. Constantin. in Sylvestrum*, & in Annalib. Card. Baronii *ann. 57.* ubi Spondan. *num. 36.* & de his cecinit *S. Paulinus Episc. Nolan. in Natali 3.*

*Clara coronatur densis Altaria lychnis,*
*Nocte, diéque micant*

Et alibi *Natal. 9.*

*Totoque supernè*
*Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,*
*Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant Funibus.*

Et sicut ob cultum latriæ cœpit Ecclesia ab initio accendere lucernas, & Cereos in Templis, ita iisdem usa est, Spiritu Sancto edocta in cultum Hyperduliæ erga Deiparam, ac etiam Duliæ erga alios Sanctos, in quibus honoratur Christus, ut scribit Divus Hieronymus *lib. 1. Epist. 2. ibi. Non offendat quempiam, quod ante Sanctorum Imagines lucernaria suaveolentia, thymiamata, accendantur, quoniam honor ad Christum recurrit.* Quod etiam testantur D. Epiphan. *Epist. ad Joan. Episc.* & Beda *de locis Sanctis cap. 7.*

Porrò multis, iisque perennibus miraculis sibi gratum fore Lampadarum, & Cereorum ardentium in Templis usum 15 Divina Majestas demonstravit, de quibus in morbis pellendis, dæmonibus abigendis, ac mortuis resuscitandis S. Aug. *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* & ex aliis SS. Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis Card. Baron. & Spondan. *ad annos 58. 325. 371. & 412.* Unum hic liceat referre verbis S. Gregorii Papæ *lib. 1. Dialogor. cap. 5.* De Constantio Mansionario Ecclesiæ Sancti Stephani propè Urbem Anconitanam. Quadam die, dum *in eadem Ecclesia oleum deesset, & prædictus Dei famulus, undè Lampades accenderet, omninò non haberet; omnes Lampades Ecclesiæ implevit* 12 *aqua, atque ex more in medio papyrum posuit, quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in Lampadibus, ac si oleum fuisset.* Plurima, qui cupit, legat P. Bagattam *in Admirand. Orb. Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 2. § 12. & § 13.*

Præmittendum tertiò. Etsi de Jure spectet ad Parochum emere oleum, ut Lampas semper accensa maneat, & ardeat 13 coram Sanctissima Eucharistia per *cap. Sanè De Celebrat. Missar. ubi DD.* & notant Genuen. *in Praxi cap. 109. num. 13.* Bellettus *de Clerico debitore § 14. num. 5.* & Sperellus *decis. 68. num. 16.* Id tamen est intelligendum, nisi aliud consuetudo obtinuerit. Innocent. *in cap. fin. De his, quæ fiunt à major. part. cap.* Ripa *de Consuet. resp. 2.* & Surd. *Cons. 62. num. 2.* Ideò ubi fabrica habet sufficientes redditus, vel Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, & solent earum sumptibus manutenere Lampadem accensam, Parochi non sunt inquietandi; 14

ubi verò deficiunt redditus fabricæ, & Societatis prædictæ, pendet ab arbitrio Episcopi decernere quam portionem debeat Parochus contribuere pro Lampade; itaut aliquando ad medietatem expensarum, aliquando ad tertiam tantùm partem ipse Speteslus obligaverit eosdem Parochos, habito respectu ad vires ipsius beneficii, & bona populorum, ut notat *in cit. decis. 68 num 13* & Genuens. *ac* Bellet. *locis citatis*, & Barbosa *de Paracho cap 20 num 30.*

15 His præmissis, respondendo ad propositum casum, dicendum est, Parochum illum esse reum culpæ mortalis, & mulctandum esse pœna aliqua, saltem pecuniaria, arbitrio Episcopi. Peccat mortaliter, quia cura, & obligatio, ut Lampas semper colluceat coram Sanctissimo Sacramento, demandata est ab Ecclesia, non vili æditu, sed ipsi Parocho, tum *in cit. cap Sane De celebrat. Missar* tum in Rituali Romano *De Sacram Euchar in Rubrica* §. 2. ibi *Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut tum ipse hoc Venerabile Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret, tum etiam populus sibi commissus religiosè colat.* Et paulò infra § 6. *Lampades coram eo plures, vel saltem una, die, noctuque perpetuò colluceat curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, & conserventur.* Igitur, cum negligat hanc curam, & ex hac negligentia resultet gravis irreverentia erga Divinum Sacramentum, ipsumque defraudetur debito cultu, sequitur Parochum committere peccatum mortale.

16 Confirmatur ex eo, quia, secundùm communem Theologorum sententiam, non est licitum celebrare absque lumine, quamvis necesse esset consecrare ad dandum Viaticum moribundo; & si lumen deficeret, incepta Missa ante consecrationem, non esset prosequendum; quia magna fieret irreverentia Sacramento, si consecraretur absque lumine. Ergo etiam in conservatione ejusdem per diem, aut noctem integram absque lumine, offenditur graviter cultus Divinus, consuetudo Ecclesiæ, ac lex Canonica imposita *in cit. cap. Sane*; & in Rituali Romano; & sic contrahitur culpa mortalis, ut in puncto tenent Quintanadven. *in Singularib. tract 4. singular 1* Volpi *in Moral resolut. 62 num. 28* & Diana *part 9 tract 6 resol. 33* Quæ transivit in operis Coordinati *tomo 2. tract 1 resol 154* cui adstipulantur Gobat *in Experim Theolog. tract 4 num. 373* Bessus *in Hierurg Sacra Verbo Lampades num 25* & *in Verb Particulæ num 45 § 6* Casalioch *in Tuta conscientia lib 2. cap 19. num 1* *Summa* Diana *Verb. Eucharistia num. 4.* Naldus *Verb Parochus num. 16* & Bordonus *Var. Resol part 1 resol 20. num. 30.*

17 Et quoniam ubi culpa est, ibi pœna esse debet *cap Romana in fine de Sent Excom. in 6. l. Sancimus. C. de Pœnis.* Idcircò non potest esse immunis à pœna Parochus prædictus. Quæ autem, & quanta esse debeat pœna, qua mulctandus erit;

18 cum in jure omnis pœna sit Judici arbitraria. Farinac. *in Praxi Crimin quæst 5 num. 8.* poterit Episcopus arbitrari secundùm majorem, vel minorem negligentiam. *In Visitat Pastorali* Josephi Crispini *p 2. §. 2. n 14* statuta legitur pœna duorum aureorum. At Constitutiones Synodales Patavinæ *par 2. cap 15 Vers. Quod Sacramentum*, ita disponunt. *Ante ipsum* (Sacramentum Eucharisticum) *Lampas accensa semper colluceat. Qui hoc omiserit, prima vice unius aurei pœna mulctetur, secunda binis, tertia quatuor. Si ulterius, gravioribus pœnis.*

20 Tandem, ut omnes Parochi, & Ecclesiarum Rectores solliciti sint in cultu Divino, exardentibus Lampadibus resultante, non me piget huc transcribere; quod legitur scriptum à S Petro Damiano *lib 1 Epist 20. Quod mihi à Senioribus intimatum est refero. In Babyloniæ partibus possessionem Apostolica Sedes habebat, unde tantum balsami reddi non per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret Lampadi, quæ videlicet ante Altare Beati Apostolorum Principis rutilabat appensa, quam possessionem accepta pecunia Papa distraxit; Canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto Sacrosancto Altari quasi devotus assisteret, & oraret;*

*ecce*

*ecce quidam terribilis, & grandævus senex, in cujus etiam facie barbærasum videbatur, elato brachio colaphum sibi vehementer incussit, & ait. Tu extinxisti Lucernam meam ante me, & ego extinguam Lucernam tuam ante Deum, moxque disparuit, ille verò protinus cecidit, & paulò post diem clausit extremum.* Si talem vindictam sumpsit pro Lampadarum deterioratione Vicarius Christi, qualem sumet ipse Christus pro earum totali extinctione?

Æditius autem, qui ex malitia, idest ut sibi oleum usurpet, relinquit inaccensam Lampadem longo tempore, peccabit mortaliter non solum peccato irreverentiæ in Deum, sed peccato Sacrilegii ob olei usurpationem, est enim Sacrilegium violatio rei sacræ, seu cultui divino destinatæ. S. Thom. 2. 2. *q. 99. art.* 1. unde dicitur Sacrilegium, quasi Sacrilædium, quia lædit Sacrum. Mastrius *in Theolog. Moral. disp. 11. num.* 33. & 36. ubi notat, contrahere minorem excomunicationem, à qua non erit absolvendus, nisi facta restitutione Olei malè consumpti.

21

22

## DECISIONIS XXXIX.

Ad Augusti secundum Casum.

## ARGUMENTUM.

Quod proponitur, est: An moriente Sacerdote ad Altare post consecratas species, pro quibus recondendis non est locus, neque alius Sacerdos haberi potest, qui Sacrificium compleat, & illas assumat; an, inquam, Laicus devotus, & jejunus licitè possit utrasque species consecratas propriis manibus sumere, & deglutire?

## SUMMARIUM.

1 *Laicus non potest consumere Eucharistiam in Altari, moriente Sacerdote post consecrationem, etsi alii Sacerdotes non reperiantur, juxta opinionem Soti. Contrarium docet Suarez. num. 2.*

2 *Laicus ob solam suam utilitatem non potest sumere species Sanguinis Domini consecratas.*

3 *Laicus potest sumere species consecratas Sanguinis ad impediendam irreverentiam Sacramenti. & num. 4.*

## SECUNDUS CASUS.

*Celebrans Missam Sacerdos improvisa morte perit post Consecrationem. Nullus alius reperiri potest Sacerdos, qui Sacrificium compleat, & consecratas species assumat. Nullum est Ciborium, in quo recondantur. Extat Laicus, Vir pius, & paratus pro communione facienda. Quæritur, an ipsi sit licitum sumere easdem consecratas species Corporis, & Sanguinis Domini?*

DUæ adversantes inter se sunt opiniones circa hunc casum. Una Soti *in 4. libr. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 6. §. Circa hoc notandum* ubi ita dicit. *Si verò Sacerdotis copia haberi non possit, sciscitaris, utrum Laicus, qui paratus esset ad Communionem, sumere posset consecratas materias? Respondetur, minime id fas esse; quia Sanguinem in primis Laicum sumere nefas est, sed neque Hostiam sumere debet; quia Laico non licet Sacramentum perficere, sed esset Hostia reservanda in Pixide. Quid autem de Calice? nam si servaretur, periculo subjaceret, ne species in acetum corrumperentur. Respondetur, potius subeundum esse illud periculum, quàm Laico liceat ministrare Calicem: si enim adhibita diligentia, ut Sacerdos alia die perficiat Sacramentum,* (meliùs dixisset Sacrificium) *fieri id non potest, & Species corrumpantur, tunc in piscinam sunt projiciendæ.* Hucusque Sotus. Altera est opinio Suarezii *De Eucharistia quæst. 80. sect. 3. Vers. Sed quæret tandem aliquis.* ubi proposito casu, & relata Soti opinione, quam valdè rigidam, & sine fundamento appellat, subdit: *Dico igitur, solum propter usum Sacramenti, & utilitatem suscipientis, nunquam licere Laico sumere Sanguinem Domini absque dispen-*

1

2

*satione*. Et reddit rationem ob generalem 3 prohibitionem Ecclesiæ, deinde ait *At verò, si ex parte ipsius Sacramenti occurrat necessitas, ut in prædictis casibus, aut si Calix consecratus venturus sit in manus infidelium, & effundendus, existimo, consumi posse à Laico in absentia Ministri consecrati; tunc enim servare verba legis esset agere contra finem legis, qui est, ne Sanguis effundatur, aut illi fiat irreverentia. Solum ergo cavendum est scandalum, & procurandum, ut maxima reverentia adhibeatur.* Ita Suarez. Casus iste reputandus est metaphysicus inter Catholicas Provincias, in quibus nisi ex hypothesi dari potest talis absentia aliorum Sacerdotum; siquidem non solum in Italia, sed etiam extra, non sunt ita distitæ inter se Ecclesiæ, & Parochorum domicilia, ut saltem sequenti die possit eorum unus accedere, & assumere species consecratas à defuncto. Porrò considerari posset in facto propositus Casus vel in confiniis à Catholicorum, seu Infidelium, vel ubi bellum grassaretur cum exercitibus hæreticorum, quocirca sentio dicendum, quan-4 docunque immineret probabile periculum irreverentiæ erga sanctissimas species Eucharisticas, absque dubio, deficiente Sacerdote, esse reverenter à Laico sumendas: secus autem, si super Altari absque aliquo irreverentiæ periculo, possent retineri, quod esset facile in Catholicis regionibus, accenso lumine coram Altari, & clauso ostio Ecclesiæ, donec veniret Parochus loci, sive alius Sacerdos, & hanc Suarezii opinionem, Sotana rejecta, amplectuntur Gobat *in Experim Theolog. tract.4 num* 26. & 27. Layman. *de Euchar. lib 5 tract 4 cap. 6 num.* 22. *in fine* Tamburin. *De Sacrific. Missæ*, *lib* 2. *cap* 8 §.1 *num* 3 Francisc. de Lugo *De Sacram. lib 4 cap 7 q 7 num.*65 & Ermin Card *ejusdem cognominis in Responsis Moralib. lib* 1 *dub* 10. *num.* 3 Vasquez, Amicus, & alii, quos allegat, & sequitur Diana *part* 9 *tract* 3 *resol* 34. *Et part* 8. *tract* 1 *resol* 24. *num* 12. Quarum prima residet in opere Coordinato *tom.2. tract 2. resol.* 98 Altera verò reposita est in *tom.3 tract.3 resol.* 49.

## DECISIONIS XL.

Ad Augusti Casum Prudentialem.

## ARGUMENTUM.

Agitur de ætate, & capacitate per Parochum attendenda in pueris, & puellis noviter communicandis.

## *SUMMARIUM.*

1 *Parochi attenti esse debent in promovendis pueris, & puellis capacibus ad Sanctissimam Eucharistiam suscipiendam.*
2 *Pueris, ac etiam infantibus olim dabatur Sanctissima Eucharistia.*
3 *Fæmellæ citius pubescunt, & citiùs sapiunt, quàm pueri.*
4 *Fæmellæ sunt propensiores ad devotionem, ideò citius communicandæ, quam pueri.*
5 *Pueris, ac puellis moribundis citiùs est danda Communio, quam sanis.*
6 *Ætas in pueris, & puellis noviter communicandis quænam sit?*
7 *Pueri, & puellæ admittendi ad communionem, tria debent exhibere, ætatem, intelligentiam, & devotionem.*
8 *Parochi mortaliter peccant, diu differentes Communionem pueris post annum 14. & puellis post annum 12.*
9 *Pueris, & puellis septennis, vel octennis in articulo mortis non est neganda Communio.*
10 *Parochi Patavini annuatim reddunt rationem de pueris, & puellis noviter Communicatis, dando eorum nomina, & ætatem.*

## CASUS PRUDENTIALIS.

*Discutitur, quam ætatem, & quæ signa capacitatis in pueris, & puellis attendere debeat prudens Parochus, & Confessarius, ut illos, illasvè introducat ad sumendam Sanctissimam Eucharistiam.*

Paro-

1 PArochis, Confessariis, aliisque animarum Pastoribus omninò necessaria scitu est materia hujus Casus, ideircò rogatos eos esse cupio, attentè legere, & reflectere ad infra dicenda tum ob suorum subditorum profectum, tum ob ipsorum Pastorum æternam salutem; ne ab ea fiant alieni desidiæ, negligentiæve causa in promovendis pueris, & puellis, annum discretionis assecutis, ad sacram Synaxim.

2 Itaque pro casus resolutione quatuor sunt præmittenda. Primum est, ab initio Ecclesiæ usque ad prohibitam Laicis communionem Calicis, (ut notat Emin. Card. de Lugo *de Euchar. disp. 13. num. 32.*) consuetum fuisse dare Communionem pueris, non solum grandioribus, porrigendo illis fragmenta panis Consecrati; sed etiam infantibus statim post baptismum, infundendo in os eorum guttas Sanguinis Dominici sub vini specie, ut probavimus supra in Casu Secundo Mensis Februarii *decis. 9. num. 15.* nunc autem id est prohibitum ab Ecclesia ob justas rationes, vel à Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 4. & can. 4.* ut plures Theologi autumant, quos citat Narbona *in Tractat. de Ætate ad annum XI.* vel à legitima consuetudine ab Ecclesia approbata, & in Rituali Romano proposita in *Rubr. De SS. Eucharistiæ Sacramento* ibi: *Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & gustum habent, administrari non debet*; ut magis attidet eidem Eminentiss. Lugoni *d. num. 32.* adeòut non sit administranda Eucharistia fidelibus, nisi cùm ad annos discretionis pervenerint, & reverenter didicerint illam suscipere, quod est statutum in *cap. Omnis utriusque sexus 12. de Pœnitent. & Remission.*

3 Secundum præmissum. Non ignoranda est differentia quo ad accelerationem usus rationis, & capacitatem sumendæ Sacræ Synaxis inter pueros, & puellas, siquidem fœmellæ, sicut citiùs pubescunt, ita etiam citiùs solent sapere, quàm pueri, ut notant Victoria, Corduba, & Joan. de Chapeavillé apud Gobat *in Experim. Theol. tract. 4. num. 94. & num. 114.* ideòque, ut plurimùm, puellis indulgendus est aditus ad manducandum Angelorum panem in tenoriori ætate, quàm pueris, tum quia in fœminis citiùs exsiccatur cerebri humiditas, & fiunt prudentes, atque capaces mysteriorum fidei, tum etiam quia propen- 4 siores sunt ad devotionem, ut experientia demonstrat, & docet Gobat *d. tract. 4. num. 124.*

Tertium præmissum. Pariter oportet distinguere inter primam Communionem dandam pueris, ac puellis sanitate potentibus, ac iisdem in articulo mortis constitutis. Nam moribundis dari potest, & debet in minori ætate, quàm sanis, ea ratio- 5 ne, quia dum sani sunt, agitur de adimplendo præcepto Ecclesiæ, quæ circa tempus recipiendæ Communionis, illud remisit judicio, & arbitrio Confessarii, at dum in articulo mortis sunt constituti, agitur de adimplendo Præcepto Divino, jubente, omnem fidelem ad annos discretionis pervenium debere manducare cœlestem Panem, quem propterea liberiori manu concedere oportet. *cap. Si quis de Corpore 26. q. 6.* Suarez *de Euchar. disp. 70. sect. 1. in fine.* Emin. Cardin. de Lugo *eod. tract. disp. 13. num. 37.* Quartus *in Rubr. Missal. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. in prima difficul. Vers. Dico tertiò.* Gobat *d. tract. 4. num. 93.* Et Carol. Anton. de Luca *in addit. ad Ventrigliam annot. 21. num. 3. tom. 2.*

Quartum præmissum. In definienda ætate, in qua possint pueri, & puellæ admitti ad Sacrum Convivium Eucharisticum, discordes valdè sunt Doctores, quos 6 cumulat Narbona *d. tractat. de ætate ad annum XI.* Quandoquidem Annum decimumquartum requirit Rodriq. *in Summa cap. 64. concl. 2.* Annum decimumtertium Meratius *in D. Thom. tom. 3. de Sacramen. Pœniten. disp. 25. sect. 6.* Annum duodecimum Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 9. in fine*; *& dist. 18. q. 1. art. 3.* Annum undecimum Gabriel *in 4. quæst. 2. art. 3. dub. 4.* Nald. *Verb. Eucharist. num. 7.* Annum decimum Sylvest. *Verb. Eucharistia III. Vers. Quintò quæritur. § Septimum nec pueri.* Item *Summa Angelica Eodem Verb. Eucharistia III. num. 11.* Annum nonum ex Navar. *& Major* ponit Fagnanus *in cap. Omnis utriusque sexus. num. 33. de Pœnit. & Rem.* Annum octavum Zambranus *in decis. casuum occurrent.*

*in art.*

*mort mortis cap. 3. dub 2. num. 6.* Annum verò septimum, ac etiam sextum, si puer sit procacis ingenii, & devotionem redoleat, sufficere docent Castropalaus *tom. 1. tract 3 disp 1. punct 24. § 2. num 7.* Joannes Sancius *in Selectis disp. 26. num. 4.* Volpi *in Moralib resolut 61. à num. 4. & seqq.* Tamburin. *de SS. Commun. cap. 4. § 2. num. 6.* & Gobat *d. tract. 4. num 98.*

7 His notatis dico pro resolutione Casus tria esse observanda, à prudenti Parocho, seu Confessario in introducendis pueris, seu puellis ad comedendam Angelorum escam, scilicet Ætatem, Intelligentiam, & Devotionem. Circa ætatem Parochus, & Confessarius nullum scrupulum habere debet, cum ab anno Sexto, & Septimo, ac deinceps usque ad annum Decimumquartum assint supracitati Doctores, quorum omnium opinionem probabilem dicit Diana *p. 3. tract. 6. resol. 70. & in addit. ead. p. 3. res. 19.* Quæ resident in opere Coordinato *tom. 2. tract. 2. resol. 5. resol. 6.* Quo ad intelligentiam, pueri, & puellæ initiandi sacra Communione debent scire, quod in Sacratissima Hostia continetur realiter Corpus, & Sanguis Christi, quod confert gratiam dignè suscipientibus, & quod cultus, & veneratio Eucharistiæ debetur; ut notant Sancius *d. disp. 26. num. 4.* & Volpi *d. resol. 61. num. 9.* quæ quidem omnia non est difficile iisdem communicandis pueris, ac puellis tradere, juxta propositum libellum relatum supra in Casu prudentiali Mensis Julii, & experientia docet, si ter, vel quatuor exerceantur pueri, & puellæ in hac Cathechesi discunt, & intelligunt, quantum sufficit in hac materia. Devotionem verò excitabit Parochus, & Confessarius in iisdem, si eis suggerat, jejunium esse omninò necessarium ante Communionem, recitationem suarum orationum; aliquam gratiarum actionem post Communionem receptam, & abstinentiam a ludibus, etsi innocentibus ea die, illam potius consumendo in Ecclesiarum visitatione, & divinorum officiorum auscultatione; in quibus etiamsi adeò ferventes non sint, parùm interesse advertit Sancius, *d. disp. 26. num. 4.* quandoquidem adultorum plurimi, immò & religiosi, qua die communicarunt, & celebrarunt, ludere, ridere, & solatia non peccaminosa capere non dedignantur.

8 Punctus est, ut Parochi, & Confessarii pietatem in se profiteantur, & ne laborem formident in instruendis pueris, & puellis cum ad annos discretionis advenerint qua in re operam suam navabunt, si attente consideraverint, peccare mortaliter Parochos illos, qui nimiùm differunt completo anno decimoquarto in pueris, & duodecimo in puellis, has, & illos instruere, & promovere ad recipiendam Sanctissimam Eucharistiam, juxta doctrinam Cajetani ad S. Thom. *3. part. q. 80. art. 9.* Navarri in *Man. cap. 21. num. 57.* Sancii *d. disp. 26. num. 10.* Naldi in *Verb. Eucharistia num. 7.* Reginaldi *in Praxi lib. 29. num. 85.* Fagnani *in d. cap. Omnis utriusque sexus num. 33. de Pœnit. & remiss.* & Dianæ *cit. part. 3. tract. 6. resol. 70.* Posita in Coordinato Opere *d. tom. 2. tract. 2. resol. 5. num. 4.*

9 Quod eò magis est pensandum in pueris, & puellis septennis, vel octennis in articulo mortis constitutis, quibus non est deneganda Communio, sed præmissa instructione, & eorumdem excitata devotione est præbenda, ut muniantur eo divino auxilio, & præceptum divinum adimpleatur, ut advertunt omnes supracitati Doctores, & novissimè Collegium Salmanticenses *tom. 10. De Sacram. in genere tract. 4. cap. 8. num. 12. & 13.* Mastrius *in Theol. Morali disp. 12. num. 59. in fine*, & Gobat *d. tract. 4. num. 82. & 93.* ubi exemplum narrat pueri, multa compassione digni, ob duritiem Parochi in denegando Sacro Viatico, quam miraculo reprehensam fuisse ostendit ex Thoma Cantipratano *lib. 2. Apum cap. 28. § 7.* ad quem Lectorem remitto; hoc unum addens, in hac Diœcesi Patavina, sub regimine Pastorali Eminentissimi Cardinalis

10 BARBADICI, annuatim ab omnibus Parochis servari id, quod Constantiæ laudabiliter factitari affirmat Gobat *ibid. num. 108.* & exoptat, ubique practicari; videlicet quod *sub medium Quadragesimæ pueri, puellæque decennes, undecennes, qui nondum gustaverunt, quam suavis sit Dominus sub speciebus Eucharisticis, convocantur ad Ædem sacram, atque illic ab iisdem*

*dem Parochis exploratur eorum capacitas*, instruuntur de his, quæ credenda, & quæ facienda sunt ante, & post Sanctissimam Communionem, ad quam postea admittuntur, cum sufficienter sunt eruditi, & eorum nomina candidatorum, ac anni transmittuntur, post Octavam Paschæ, ad Episcopalem Curiam, in qua cum ego resederim per annos triginta, & ultra, solitus fui prædictas relationes recipere, & in libro determinato illas registrare, Deo gratias agens, cum viderem longè majorem esse numerum Animarum, à quibus recenter exceptum fuerat Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ob Solertiam Parochorum; quam illarum, quæ fraude Dæmonis, & ob carnis illecebras à Communione abstinuerant. Utinam omnes Episcopi hanc diligentiam adhibeant, & de hac obligatione Parochos monitos faciant; aliquando enim inter faciens reperi non paucos rusticanos, qui annum decimum octavum compleverant, & nondum Sanctissimum Eucharisticum panem manducaverant, quia Parochi non advertebant, & nullus erat, qui frangeret eis.

Claudat decisionem hanc id, quod legitur in actis B. Imeldæ Bononiensis, ex inscriptione in Templo S. Josephi in Suburbiis Bononiæ. *B. Imelda Lambertina, Virgo claris orta natalibus, clara magis præcoci vitæ sanctimonia, cum divino Sacræ Eucharistiæ mensæ desiderio, propter ætatis imbecillitatem (vix dum enim undecim annos egerat) ad sacratissimam ejus mensam accedere timeret, in pias preces, lacrymasque effusa, Divina prorsus ope recreari meruit, Hostia cælitus demissa, post cujus sumptionem feliciter expiravit*, Anno Domini 1333.

Idem de hac *B. Imelda* Antonius Masinus in sua Bononia Perlustrata scribit sub die 12. Maii.

## DECISIONIS XLI.

Ad Septembris Quæsitum Primum.

### ARGUMENTUM

Exponitur, Quæ, & Qualis intentio sit necessaria in Sacerdote, Sacram EUCHARISTIAM consecrante.

### SUMMARIUM.

1 *Intentio consecrandi, & faciendi quod facit Ecclesia, est necessaria ad conficiendam Eucharistiam in Sacerdote.*
2 *Intentio est triplex Actualis, Virtualis, & Habitualis.*
3 *Leonardus Lessius Soc. Jesu semper cum intentione actuali consecrabat.*
4 *Intentio Virtualis sufficit in faciendis Sacramentis.*
5 *Intentio habitualis non est sufficiens ad conficienda Sacramenta.*
6 *Cap. Dedit 1. quæst. 1. & cap. Baptismus De Consecrat. dist. 4. declarantur.*
7 *S. Thomas utitur verbo habituali pro virtuali, & num. 8.*
9 *Verba sunt intelligenda non secundùm sonum, sed mentem proferentis.*
10 *Intentio Sacerdotis consecrantis Eucharistiam debet esse, non faciendi tantùm illam actionem materialem, & externam, sed formaliter conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi.*

### QUÆSITUM PRIMUM.

*Disserit, Quæ, & Qualis intentio sit necessaria in Sacerdote Sacram Eucharistiam consecrante?*

Est de fide, quod sine intentione consecrandi, & faciendi, quod facit Ecclesia, Sacerdos non consecraret, neque conficeret Sacramentum Eucharistiæ, etiamsi proferret verba super materia, pane, scilicet, & vino, ut est diffinitum in Concil. Florent. In Decreto de Sacramentis ad Armenos. § *Quartò Ecclesiasticorum* his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus, tanquam materia; verbis tanquam forma; & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Nec non novissimè in Concilio Tridentino *sess. 7. de Sacramentis can. 11.* ibi: *Si quis dixerit*

*dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et est de mente omnium Theologorum, S. Thom. *3 par quæst 64 art 8* Scotl. *in 4 dist 6 quæst 5* Emin. Cardin. de Laurea *in 4* 2 *tom 1 disp 3 art 1* & alii citati *in Primo Quæs. Mensis Junii 1688* quibus addi potest Comitulus *in Responsis Moralib lib 1 quæst 46 num 1.* Porrò cum juxta eosdem Theologos, triplex sit Intentio, *Actualis, Virtualis, & Habitualis.* Et illa sit actualis, qua Sacerdos litans actu, & de facto intendit consecrare materiam ante se positam, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini, omnes dixere pro resolutione quæsiti, hanc esse quidem sufficientissimam, & laudabilem, ac ab omnibus Sacerdotibus provocandam in actu consecrationis, ut faciebat doctus, & pius vir Leo- 3 nardus Lessius, in cujus vita *cap. 11 num 56* legitur, quod *Animo sic præsens erat inter sacrificandum, & sic quid ageret, sciebat, ut affirmaret, se nunquam absque directa, ut ajunt intentione, consecrationem peregisse;* ut refert Gobat *in Experim Theolog tract 3 num 788.* At non esse necessariam, quia Deus noluit obligare Sacerdotes ad impossibile, & moraliter reputatur impossibilis attentio continuata in aliqua actione, quia, ut ait D. August. *lib 3 de liber arbitr.* non est in potestate nostra, quin visis tangamur, & experien- 4 tia docet, objecta sensibilia, ob connexionem appetitus sensitivi cum intellectivo, voluntatem distrahere, & rationem. Idcircò sufficere intentionem virtualem, quæ quidem est illa, qua quis operatur virtute actualis intentionis prius habitæ, & facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice, & principio ejusdem actualis intentionis, quæ paulò ante extabat, & non fuit revocata; quod explicatum fuit *in Quæs. 2 ejusdem Mensis Junii 1688 ubi DD.* At omnes scripsere ad validam consecrationem, non suf- 5 ficere intentionem habitualem, quæ nihil est aliud, quàm quædam propensio, facilitas, seu promptitudo ad efficiendum Sacramentum, proveniens ex iterata sæpius celebratione, quæ potest etiam esse in dormientibus, ebriis, ac phreneticis Sacerdotibus, à quibus si, dum eis offertur bucella panis ad comedendum, vel vinum in Calice ad potandum, proferrentur verba consecrationis, non consecrarent, Quartus *in Rubr. Missal. par 3 tit 7 dub 3. Vers Colligitur.* Ex ratione, quia provenirent non ex præcedenti actu voluntatis elicito consecrandi, sed ex habitu in eis existente, hæc verba proferendi, dum consecrant in Altari, ut fusiùs explicant DD allegati *in cit quæs 2. Mensis Junii 1688.*

Cæterùm his nonnullæ auctoritates ob- 6 stare videntur. Primò textus in *cap. Dedit. 1 q 1.* Ubi Divus Augustinus loquens de ministro baptismi, & docens, iniquitatem ministri non nocere validitati Sacramenti, dat exemplum de baptismo, quem quis ebrius contulit alicui. Sed in ebrio esse non potest intentio actualis, neque virtualis, quia habet impeditum usum rationis, & si proferat formam Sacramentalem, ex solo habitu eam profert, & cum intentione habituali. Ergo hæc sola videtur sufficiens ad consecrandum. Secundò idem objectum censetur insurgere *ex cap. Baptismus de consecr. dist 4.* ubi pariter S. August loquens de Sacramento collato per malum ministrum, ait: *non timeo adulterum, non ebriosum.* Ergo. Tertiò contradicere videtur Angelicus Doctor *3 par quæst 64. art 8* in quo agit de intentione necessaria 7 ministro ad validatem Sacramenti, & *in respons. ad 3* dicit: *Ad Tertium dicendum, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.* Quid clarius? Igitur sufficit intentio habitualis.

His tamen minimè obstantibus, non est recedendum à supradicta doctrina, quia intentio habitualis non procedit à voluntate, prævia intellectus cognitione, à qua volita sit illa consecratio, & per consequens non est actus humanus sufficiens ad operandum, & volendum, qui quidem actus voluntatis, cum cognitione intellectus, est necessarius ad constituendam intentionem, ut benè explicat Eminen. Card. de Lauræa *d. tom. 1 in 4. disp 3 num 36.* Neque subsistunt textus supracitati, quia S. Au-

gustinus

gustinus in utroque loquitur non de ebrio, qui usum rationis amiserit, & baptizando nesciat, quid faciat: sed intellige de viro propenso ad ebrietatem, qui, ut advertit Glossa *in cap. Baptismus, intelligat, quod agit, itaut nomen ebrius, vel ebriosus denotat consuetudinem, (se inebriandi) non actum*. Quam explicationem esse etiam de mente Scoti testatur Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 3 sub num. 6* his verbis: *Ad confirmationem respondet Scotus in calce ejusdem quæst. 5 quod per ebriosum intelligit Augustinus non actualem ebrium, sed eum, qui assuetus est inebriari, dicens, quod illa consuetudo mala non reddit Baptismum invalidum*. Pariter non est contrarius Angelicus

8 Doctor, quia ibi loquitur de intentione virtuali, etsi usu sit vocabulo habituali, ut patet legentibus totum illum articulum: ut eruditè observat idem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 3 num. 36* subdens: *D. Thomas hiet in responsione ad tertium dicat, sufficere intentionem habitualem, quia tamen se declarat, quid intelligit per habitualem, dicens esse intentionem, qua quis accedens ad baptizandum, intendit facere, quod facit Ecclesia, etsi in exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum; de ejus mente non licet dubitare, & melius seipsum declarat Angelicus Doctor, quàm ab aliis ibi declaretur, eadem enim est intentio, quam dicimus Virtualem, ac illa, quam Sanctus*

9 *Thomas ibi declarat*. Adeò ut, loquendo cum Canonistis, verba sunt intelligenda non secundùm, quod sonant, sed secundùm mentem, & intentionem proferentis *cap. Intelligentia, & cap. Propterea De Verb. signific. l. Non omnis ff. Si certum petatur l. 3 §. Si quis hoc interdicto ff. de itinere, actuque privat*. Et quandocunque resultet dubium ex sensu Verborum, illa sunt interpretanda secundùm subjectam materiam, & naturam actus, & si opus sit, debeant, & possint impropriari, ut conveniant materiæ, de qua agitur. §. *Nunc autem admonendi, ubi Glossa in Verb. Dederit Instit. Quib. alien. licet, vel non Paris. consil. 78 num. 20. lib. 3* Eminentiss. Card. Tuschus *litter. V. concl. 95 num. 15*. Quæ ex abundanti dicta sint pro vera intelligentia dicti Verbi *Habitualis Intentionis*.

10 Tandem Corollarii loco pro plena resolutione hujus Quæsiti, notandum venit, quod Intentio sivè actualis, sivè virtualis in consecrante faciendi id, quod Ecclesia facere intendit, non debet solummodò intendere illam actionem externam, factam eo ritu, quo est præcepta ab Ecclesia in celebratione, & consecratione, idest materialiter tantùm sumptam, sed debet Sacerdos habere intentionem formalem sivè explicitam, sivè implicitam consecrandi, & conficiendi Eucharistiæ Sacramentum, institutum à Christo Domino, in ejus Sacratissimum Corpus, & Sanguinem transsubstantiando panem, & vinum, ut docent Scotus, S. Bonaventura, Alensis, & alii apud Mastrium *in 4. Sent. disp. 1 quæst. 7 art. 2*. Et in Theologia Morali *disp. 16 num. 37 38 & 39* ubi subdit, ulteriùs intentionem debere esse absolutam, non autem sub conditione, præcipuè de futuro, quia hæc est inanis, & inefficax ad conficiendum verum Sacramentum, quod etiam disserit Gobat *d. tract. 1 Experim. Theolog. num. 71 & 72* & Bissus *in Hierurgia Sacra tom. 1 Verb. Intentio quo ad Missam num. 189 § 5*.

## DECISIONIS XLII

### Ad Septembris Quæsitum Secundum

### ARGUMENTUM

Traduntur signa demonstrantia, Intentionem virtualem consecrandi EUCHARISTIAM esse in Sacerdote consecrante.

### *SUMMARIUM*

1 *Intentionis virtualis consecrandi Eucharistiam tria sunt signa.*

2 *Oratio illa*, Ego volo celebrare Missam, *& c. dicenda ante Missam dat dies quinquaginta Indulgentiæ, & fervit pro virtuali intentione.*

3 *Philippus de Angelis Prior S. Leonardi de Padua laudatus.*

*4 Indulgentiæ plurium annorum, quæ dicuntur concessæ celebrantibus Missam*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*Quæ sint signa demonstrantia, Intentionem Virtualem consecrandi Eucharistiam esse in Sacerdote consecrante?*

1 TRia signa fuerunt notata, unum *Remotum*, alterum *Proximum* tertium *Intimum*. Signum primum *Remotum* est, si Sacerdos, in sua ordinatione hanc intentionem in seipso firmaverit, velle consecrare Corpus, & Sanguinem Domini, & conficere Eucharistiæ Sacramentum, quoties accesserit ad Altare ad Missam celebrandam. Si enim hanc intentionem numquam retractaverit, censetur semper habere intentionem virtualem, & sufficientem ad consecrationem, etsi de hac non cogitet, dum Missam celebrat. Ita Gregor. de Valentia *tom. 4. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. Vers. Intentio autem implicita, & virtualis est*. Cujus hæc sunt verba. *Si quis initiatus Sacerdos voluit aliquando in sacris id facere, quod facit Christus, & Ecclesia; licet postea cum Sacrum facit, hujus intentionis non recordetur, si tamen illam intentionem non revocavit, & similiter secundùm quandam consuetudinem ita Sacrum facit, atque aliquando fecit, cum illam intentionem actu habuit; virtualiter censetur habere intentionem, quæ sufficit*. Hoc signum docet, & approbant etiam Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8. col. 11.* Henriquez *lib. 1. cap. 10. num. 2.* Tamburin. *de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 1. § 2. num. 10.* & Gobat *in Experim. Theol. tract. 3. num. 784.*

Signum *Proximum* est, si Sacerdos hoc eliciat suæ intentionis consecrandi Eucharistiam testimonium, videlicet induimentum sacrarum vestium: nam quotiescumque induerit sacras vestes pro Missa celebranda, censetur habere Intentionem virtualem consecrationis peragendæ, etsi de actuali non cogitet. Ita Reginald. *tom. 2. lib. 26. num. 38. Vers. Altero modo*; ubi ita scribit. *Eo ipso, quod Sacerdos vult secundùm Sacerdotum consuetudinem induere vestes Sacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Missam. Quia enim induere vestes Sacerdotales medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem, fit, ut in tali actione induendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi, & in intentione induendi, intentio celebrandi, donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur. Atque hujusmodi quoque intentionem Virtualem ad Sacramentum sufficere dicendum est*. Hoc quoque signum amplectuntur Tamburin. *d. § 2. num. 9.* & Gobat *d. num. 784.*

Signum tandem *intimum* est, si Sacerdos vel in Sacristia, antequam induerit vestes Sacras, vel postquam eas induerit, sivè cum processerit ad Altare, attentè, ac devotè recitaverit sequentem Orationem, quam Gregorius XIII exornavit Indulgentia quinquaginta annorum, toties acquirenda, quoties eam celebraturi recitabunt, & quam decet omnes Sacerdotes, paulò ante Missam, recitare, cum ex ea excitetur actualis intentio, efficacissima ad producendam intentionem virtualem consecrandi, *ut* advertit Gobat *d. tract. 3. num. 790. & 864.* ubi extendit ipsam Oratiunculam, quæ est hujusmodi. *Ego volo celebrare Missam, &* 2 *conficere Corpus, & Sanguinem Domini Nostri JESU CHRISTI, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem Omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis; ad utilitatem meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen*. Eadem Oratio cum expressione supradictæ Indulgentiæ legitur impressa in Tabellis pro Præparatione Sacerdotis ad Missam, quæ communiter sunt appositæ in Sacristiis; & eam ponit 3 Philippus de Angelis, olim Prior Ecclesiæ S. Leonardi de Padua, Vir non mediocris eruditionis, & meus amicissimus in sua *Praxi Missæ Privatæ part. 3. in fine in 2. edit. pag. 277.* ubi tamen notat Indulgentiam esse annorum quadraginta, de cujus veritate credo, non esse ambigendum, etsi ea non reperiatur inter Bullas Gregorii XIII. tum quia, ut dixi, stat exposita in omnibus Sacristiis, tum etiam quia illam laudat P. Gobat, qui edidit integrum tracta-

tractatum de Indulgentiis, & cumulavit indulgentias Apocryphas, inter quas supradictam non recenset, ut quilibet videre potest in Opere Quinario ejusdem P. Gobat *tract. 4. num 703*

Tandem omittere nolui sequentem notam, quam supracit. Philip. de Angelis ponit *d. 3 part pag.* 287 288 quidquid sit de ejus validitate, videlicet · *Nota circa* 4 *Indulgentias. Eugenius Petrellus in libro, quem Italicè inscripsit titulo, Novello Giardino fol.* 28. *refert multa Sanctorum Doctorum memoranda dicta circa Missas, sed inter alia sic ait. Pro qualibet Missa, quæ celebratur, vel auditur in quocunque loco, & à quocunq, Sacerdote, semper acquiruntur annis nonaginta millia, & octingenta Indulgentiarum. Nam sic Innocentius VI. concessit* 30. *millia, & Urbanus IV. Martinus V. Sixtus IV. & Eugenius IV. concessere* 800. Fides sit apud Auctorem, ego enim in Bullario reperio tantùm fuisse concessas Indulgentias pro festivitate, & tota octava Corporis Christi, tàm celebrantibus, quàm interessentibus Divinis officiis ab Urbano IV. Martino V. & Eugenio IV. de quibus infra Casu sec. Mensis Octobris *decis.* 60

## DECISIONIS XLIII.

### Ad Septembris Primum Casum

## ARGUMENTUM

Discutitur, an licitè agat Clericus in minoribus ordinibus constitutus, qui absentibus Sacerdotibus, ministrat Sacrum Viaticum vulnerato mortaliter, poscenti Sacramenta?

## *SUMMARIUM*

1. *Clericus in minoribus an in casu necessitatis possit ministrare Sanctissimam Eucharistiam moribundo, absente Sacerdote? Negant DD. hic, Sed affirmant alii num.* 2.
3. *Eucharistia antiquitùs deferebatur tum à Clericis, tum à Laicis.*

## PRIMUS CASUS

*In montibus septem Communium omnes Parochi, & Sacerdotes Capellani præcesserant ad celebrandam Casuum Conscientiæ Congregationem In uno eorumdem montium, distante à congregatis Parochus duodecim milliaribus, viri inter se litigantes fiunt belligerantes, & igneis globulis unus eorum mortaliter vulneratus in terra decumbit. Implorat Spiritualia auxilia, flagitat Ecclesiæ Sacramenta, protestans se illis maximoperè indigere. Accurrit Clericus Seminarista, ibi in vacatione studiorum degens, & pietate motus, cum audivisset in Scholis, in casu necessitatis, Eucharistiam etiam à non Sacerdote posse ministrari; induit Superpelliceum, & cum luminibus Sanctissimum Viaticum, è Ciborio sumptum, prævia hortatione ad devotè suscipiendum, porrigit vulnerato, qui etiam paulò post expiravit. Quæritur, an Clericus ille licitè egerit?*

NEgat Eminentiss. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 22. *num.* 81 Bonacina *tom.* 1. *de Sacram. disp.* 4. *quæst.* 5 *punct.* 1 *num.* 6. Bordonus *in Sacro Tribunali S. Offic.* ubi quærit an sit suspectus de hæresi? *cap.* 22. *num.* 41 Sotus, Serra, Hurtados, 1 Tannerus, Fagundez, & alii citati per Dianam *part.* 3 *tract.* 4. *resol.* 47 necnon *part.* 5 *tract.* 3 *resol.* 47 ac etiam *part.* 9 *tract.* 6 *& Misc.* 1 *resol.* 38 *alias* 39. Quæ omnes in Opere Coordinato collocatæ sunt *in tom.* 2. *tract.* 2. *resol.* 65. 66 *&* 67. ea ratione, quia soli Presbyteri sunt ministri hujus divini Sacramenti, juxta Hymnum in festo Corporis Christi

*Sic Sacrificium istud instituit,*
*Cujus officium committi voluit*
*Solis Presbyteris, quibus sic congruit;*
*Ut sumant, & dent cæteris*

Item quia statutum est in *cap. Pervenit. De Consecr. dist.* 2. nefas esse laico tangere Corpus Christi. Ac ulterius, quia Consuetudo immemorabilis Ecclesiæ docet per manus Sacerdotum tantùm, vel eis absentibus, Diaconorum Eucharistiam ministrari. & hæc omnia expendit Coto-

nius *in suis Controvers. lib. 2. Controv. 4. cap. 7. à num.* 161. *& seqq.* ubi hanc negativam opinionem amplectitur.

Affirmant nihilominus Lessius *in 3. p. quæst.* 82. *art.* 3. *num.* 8. Lezana *tom.* 3. *Summæ in Verb. Eucharistia quo ad regulares* 2 *num.*15. *& in suis Consult. Varius consult.* 48. *num.* 83. Suarez *de Euchar. disp.* 72. *sect.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. Castropal. *part.* 4. *tract.* 21. *punct.* 17. Bissus *in Hierug. Sacra tom.* 1. *Verb. Eucharistia num.*174. § 1. Macer *in Hierolex. Verb. Diaconus.* Ascanius Tamburin. *de Jure Abbatum tom.*2. *disp.* 3. *quæst.* 2. *num.*4. Emin. Brancatius *de Benedict. Diaconali pag.* 275. & Gobat *in Experim. Theol. d. tract.* 4. *num.* 450. *&* 451. qui omnes non solùm id concedunt licere Clerico, sed etiam Laico, & præter illos idem astruunt Filliuc. Coninch. Mercerus, Præpositus, Chapeavill. Reginald. Granad. Valentia, Quintanadven. & alii, quos cumulat, & sequitur Diana *in citans resol.* 65.66.67. *tom.* 2. *tract.* 2. *Oper. Coordin.*

Horum rationes sunt. Primò, Quia in primitiva Ecclesia tum per Clericos, tum per Laicos mittebatur Viaticum Sacrosanctum infirmis. Exempla adducit de S. Tharsitio Acolytho Martyre, Gobat *d. tract.* 4. 3 *num.* 443. & de Serapione sene ægrotante *n.* 454. Aliud exemplum narrat Cardin. Baronius, & Odoric. Rinald. *Ann.* 902. de Theotiste Virgine Lesbia, quæ per annos XXXVII. morata in solitudine Insulæ Paros, à veneratore reperta, flagitavit, & obtinuit, ut sibi Eucharistiam deferret, ut fecit anno sequenti. qua reverenter suscepta, expiravit. Secundò quia nullum Jus positivum id prohibet, siquidem *cap. Pervenit supracit.* loquitur, extra necessitatem, & periculum mortis, & ubi præsentes sunt Sacerdotes. Tertiò, quia potest esse, ut ille vulneratus non valeat elicere actum contritionis pro suis peccatis, sed tantummodo attritionis, quæ, adjuvante gratia, & virtute Eucharistiæ, obtinebit meritum contritionis, & causabit salutem æternam illius animæ, quod considerat Amicus *in Cursu Theol. tom.* 7. *disp.* 31. *sect.* 2. *num.* 26. Et fusè probat Collegium Salmanticen. *tom.* 10. *de Sacramentis tract.* 1. *cap.* 5. *punct.* 2. & dicetur infra *decis.*46. Quartò, quia Præceptum de communicando per Viaticum est præceptum Divinum, cui cedere debet præceptum Ecclesiasticum de communione ministranda per Sacerdotem, aut Diaconum tantùm. Sanctus Thomas, quem ferè omnes expositores sequuntur, 3. *part. quæst.* 80. *art.* 11. Suarez *disp.* 69. *sect.* 3. Vasquez *disp.* 214. *cap.* 2. *&* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 11. Valentia *de Euchar. disp.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 4. Emin. de Lugo *disp.* 16. *num.* 27. & 33. Layman *dict. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *n.* 2. Bordon. *Var. Resol. part.* 1. *resol.* 20. *num.* 6. cum aliis relatis per idem Collegium Salmanticen. *de Sacramen. d. tom.* 10. *tract.* 4. *cap.* 8. *punct.* 1. Quæ quidem est fortissima ratio, etsi ejus fundamentum non approbet Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 1. *disp.* 25. *num.* 38. ubi admittit, præceptum sumendi Eucharistiam esse præceptum Divinum, ut supra dictum est in secundo casu Mensis Aprilis, *Decis.* 19. sed quo ad tempus Paschale, & quoad tempus mortis per Viaticum, esse præceptum Ecclesiasticum, si aliqua vice fuerit facta, ex rationibus ibi per eum allegatis, attestans talem esse opinionem Scoti, Alensis, & S. Bonaventuræ.

Utramque opinionem esse probabilem circa factum Clerici, de quo in casu, dicit Tamburin. *de Exped. Commun. cap.* 6. § 4. & cum ipso concludere debemus, est enim casus fictus, non factus, sed si veniret in facto, & Clericus faceret, non illicitè faceret, admonendo populum se didicisse esse licitum facere.

## DECISIONIS XLIV.

Ad Septembris Secundum Casum

### ARGUMENTUM.

Exploratur, an cadentibus in terram sacris particulis, dum Moniales communicantur, intra Clausuram; possint colligi, & elevari a Monialibus? Vel debeat Confessarius ingredi Clausuram ad eas suscipiendas?

*SUM-*

## SUMMARIUM.

1 *Particula consecrata si cadat in Clausuram Monialium, quid agendum?*

2 *Abbatissa, seu alia Monialis potest elevare Eucharistiam de terra, & porrigere Confessario*

3 *Laici in primitiva Ecclesia tangebant Eucharistiam*

4 *Argumentum ab antiquis picturis valet.*

5 *Confessarius potest, & debet ingredi Clausuram Monialium ad elevandam de terra Hostiam sacram ibidem elapsam.*

6 *Laicis, ac mulieribus nunc prohibitum est tangere Corpus Christi*

7 *Moniales non possunt tangere Calices, Corporalia, nec Pallas sacras.*

8 *Cui non licet quod est minus, neque quod plus est, licebit*

9 *Necessitas ingrediendi Clausuram Monialium, non est strictissime, sed moraliter intelligenda, & num 13*

10 *Mulieres maritatæ ad effugiendum vitæ periculum possunt ingredi Monasteria Monialium*

11 *Botrus Cypri, delatus in vecte ab Exploratoribus, fuit symbolum Eucharistiæ,*

12 *Præcepta Divina sunt præferenda Ecclesiasticis.*

14 *Mulieres in primitiva Ecclesia recipiebant Eucharistiam in mundo linteolo.*

15 *S. Clara pingitur cum Ostensorio ad denotandam ejus eximiam devotionem erga SS. Eucharistiam.*

16 *Sacerdos simplex, præsente Parocho, non potest absolvere moribundum.*

17 *Monialis communicanda potest, unicam Particulam lapsam in terram lingua reverenter sumere, & sic communicare*

## SECUNDUS CASUS.

*Hyemali, ac pluvioso tempore stabat Confessarius Monialium in earum Ecclesia, ad fenestellam Communionis, iisdem ministrans Eucharisticum Panem. Finis erat Sacri Conventus, quando Monialis una, quæ non poterat cum aliis ab initio convenire, accurrens communicanda, aperuit januam Sacristiæ interioris. Repentè per eam ventus vehemens irruit a regione Aquilonari, & plurimas consecratas particulas ex Pixide prosilire fecit, & procidere penès Moniales in Clausuram. Quæritur, quid agendum à Confessario pro sacrarum specierum recollectione?*

AD hunc casum, non fictum, sed factum, recollectionem Sacramenti esse committendam Monialibus, seu earum Abbatissæ respondit Bissus *in Hierurg. Sacra tom. 2. Verb. Particulæ num 45 § 12.* his verbis. *Potest etiam contingere, quod Particula aliqua consecrata cadat intra Monasterii Monialium claustra, quando communicant, in quo casu eadem Monialis debet illam lingua accipere, & ita communicare. Quod si non possit, eam mediante patena, accipiat, adjuvante etiam palla, vel carta munda, si verò neque sic possit, non debet Sacerdos ingredi ad illam Particulam accipiendam, sed ipsamet Monialis illam accipiat, & per fenestellam Sacerdoti porrigat, postea à Monialibus ille locus abradatur, & lavetur, quæ abrasio, & lotio in Sacrarium projicienda erit. Esset tamen convenientius, quod hanc functionem faciat Abbatissa, sive Superior, quam alia Monialis.* Hucusque Bissus. Cujus opinionem tenent etiam Castaldus *in Praxi Cærem. lib. 2. sect. 14. c. 17 n. 15.* Quartus *in Rubric. Missal. p. 2 tit. 10. sect. 3 dub. 3 difficul. 4.* ubi ponit hanc rationem. *Quia ingressus in Monasterium strictius prohibetur, quam tactus Hostiæ consecratæ in casu necessitatis.* His addi potest auctoritas Theologorum docentium, licitum fuisse tangere Sacramentum Eucharistiæ laicis in primitiva Ecclesia, quibus tradebatur in manibus, quando erant communicandi, ut plures dictum est supra, & notat Suarez *de Euchar. disp. 72. sect. 1.* Lessius *q. 80. num. 37.* & latè probat Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 17 num. 3.* Tandem videtur suffragari supradictæ opinioni doctrina S. Thomæ, qui *in 4. dist. 13 quæst. 1 art. 3* sic ait. *Ad Tertium dicendum, quod sicut Baptismum*

conferre

*conferre competit Sacerdoti ex officio, tamen Laicus in casu necessitatis non peccat baptizans: ita tangere Corpus Christi ex officio soli Sacerdoti competit, sed in casu necessitatis potest, & debet Corpus Christi tangere, etiamsi sit peccator, ut si in aliquo loco immundo jaceret.* Quid clarius? Si etiam peccatori licet tangere Sacramentum Eucharistiæ, illud è terra levando, quantò magis Sanctimonialibus, & Virginibus Sacris? Hinc de S. Clara legitur, *in Breviar. Rom. lect. 4. quod Saracenis Assisium obsidentibus, & Monasterium, cui illa præerat, invadere conantibus, ægra se ad portam afferri voluit, unaque Vas, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat inclusum, ibique oravit in hunc modum &c.* Et ideò imago ejusdem Virginis repræsentatur picta cum Ostensorio continente Sacram Hostiam in manibus; valet autem argumentum, & concludens probatio desumitur ab antiquis Picturis. *cap. Perlatum. Et* 4 *cap. Venerabiles de Consecr. dist. 3.* Rota *par. 5. rec. decis. 353. num. 66. & seqq.* Pignatell. *tom. 1. Consult. 241. num. 11.*

His tamen non obstantibus contrarium puto decidendum, & dicendum pro resolutione propositi Casus, teneri, & obligatum esse Confessarium, statim ingredi clausu-5 ram, accedere ad interiorem locum, ubi Moniales communicabant, & ubi Sacræ Particulæ jacent in terra, illasque singulatim propriis manibus suscipere, & in Pixidem devotè reponere, locumque aliquantulùm abradere, & mundare ad præscriptum *Rubricæ Missalis de Defectibus in Ministerio ipso occurren. tit. 10. num. 15.* sic præcipientis. *Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus Particula dilabatur in terram; reverenter accipiatur; & locus, ubi cecidit mundetur, & aliquantulùm abradatur, & pulvis, seu abrasio hujusmodi in Sacrarium immittatur.*

Hæc igitur omnia, nec non recollectionem, & susceptionem è terra sacrarum Particularum fieri debere non per Moniales, aut Abbatissam, sed per ipsummet Confessarium, prævio sollicito ingressu in clausuram me movent rationes sequentes. Primò, quia supradicta Rubrica est exequenda à Sacerdote, non autem ab alia persona, ut in puncto docent Suarez *de Euchar. disp. 85. sect. 1.* & Gavant. *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 12.* Secundò quia rigorosè prohibitum est *in cap. Pervenit 28. De Consecrat. dist. 2.* ne laici, aut mulieres de-6 ferant Sanctissimam Eucharistiam; aut tangant Corpus Christi. Tertiò, quia in specie Jus canonicum vetat Sanctimonialibus tangere corporalia, calices, & pallas sacras. *cap. Sacratas Deo fœminas 25. dist. 3.* S. Antonin. *3. p. tit. 16. cap. 7. §. 3. in fine*; ex quo deducitur argumentum in Jure vali-7 dissimum, non esse imponendum Abbatissæ, vel Monialibus, ut tangant Corpus Christi, quod est plus, cum non possint tangere pallas sacras, quod est minus; non 8 enim licet quod plus est ei, cui, quod minus est, non licet. Barbos. *in Axiomat. Juris Usu frequen. Axiom. 180. num. 2.* Quartò, quia Gregorius XIII. in sua Constitutione incipien. *Dubiis, quæ emergunt*; quam per extensum ponunt Mirandà *de Monial. quæst. 2. art. 14.* & Quaranta *Verb. Monasteria Monialium*, concedit earum Superioribus, inter quos censetur earum Confessarius, ut ingredi possint Clausuram, *si id faciant in casibus necessariis.* At nemo non videt, in casu proposito esse necessarium ingressum Sacerdotis, & Confessarii pro reassumptione cum debita reverentia Sacrarum Particularum. Quintò, quia ex communi doctrina Theologorum causæ rationabilis, & necessitas ingrediendi Monialium Clausuram non est physicè, 9 & strictissimè intelligenda, sed moraliter consideranda. Barbos. *de Potest. Episc. alleg. 102. num. 48.* Sanchez *in Decalog. lib. 6. cap. 16. num. 40.* Sextò tantò magis, quia Confessarius in hoc casu necesse non habet ingredi ad interiora Monasterii, sed statim ultra ostium Clausuræ in Sacristiam Monialium, quæ ut plurimùm vicina est ipsi ostio; & sic minor causa sufficit pro ingressu. Barbosa *in collectan. DD. ad Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 5. n. 81.* Septimò quia licitus est ingressus mulieribus maritatis, quæ exciderunt ab affectu conjugum, ad evitanda vitæ pericula. Zerola *Verb.* 10 *Monialis §. 12.* Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 24. quæst. 14. num. 2.* Ergo multò magis cum ceciderit Divina Eucharistia, ad pe-

ad periculum Irreverentiæ evitandum permissus erit ingressus Confessario in Clausuram ad eam elevandam. Octavò, nam bajulis, & portitoribus conceditur ingressus in Monialium Monasteria, quando agitur de gravibus oneribus, quæ ipsæ Moniales ferre non possint. Tambur. *d. disp.* 24 *quæst* 6. *num* 6 & Barbosa *d. sess* 25. *cap* 5 *num.* 86 Sed quomodo Abbatissa, aut Moniales poterunt Christum Dominum manibus deferre, *sub quo curvantur, qui portant Orbem?* ut ait *Job* 9 13 qui immò subjungit de Divina Majestate *Et pondus ejus ferre non potui? Job* 31 23 Nonò quotidiè videmus olitores intrare Monasteria Monialium præcipuè ad putandas Vites, easque de terra erigendas, ac vindemiæ tempore ad racemos Uvæ colligendos Igitur si licitus est ingressus pro racemis naturalibus, ac vitibus materialibus, cur erit prohibitus Confessario ad erigendas è terra sacras Hostias continentes in se Christum Dominum, qui dixit de seipso *Ego sum Vitis vera Jo* 15 1 & de quo mystica Sponsa ait *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi? Cant* 1 14.

11 De exploratoribus, qui missi ab Israelitis, ut terram Chanaam lustrarent scriptum est *Absciderunt palmitem cum Uva sua, quem portaverunt in vecte duo Viri Num.* 13 24 Ingens ille Terræ promissionis Botrus, quem duo viri in Vecte ferebant, Eucharistiam figurabat, ut opinatur ex Sanctorum Patrum testimonio Setiogus *in Conne tom* 2. *Vestigat* 13 *Explanat Moral sect* 6 *n* 63 Modò minor cura non est adhibenda de figurato, quàm de figura *S Thom* 3 *par quæst* 83 *art* 5 *in* 11 Sed Botrum illum, qui erat figura Sanctissimi Corporis Christi, duo Viri portarunt in Vecte. Igitur Sacrosanctam Eucharistiam, in qua est realiter Corpus Christi, in illo Botro figuratum (*nam omnia in figura contingebant illis* 1 *Cor* 10 11) non debet à mulieribus suscipi, & deferri, sed ab ipsomet Sacerdote Confessario Decimò, quia reverentia erga Sanctissimum hoc Sacramentum est ex præcepto Divino. *S. Thom.* 3 *par. quæst* 83 *art* 3 Clausura autem Monialium est ex præcepto Ecclesiastico Tamburin *de Jure Abbatiss. disp* 12 *quæst.* 2. & 3. Sed præcepta Divina sunt præferenda Ecclesiasticis. Sanchez *in Decal lib* 1 *cap.* 10. *num.* 17 Ergo in casu proposito obligatus erit Confessarius ingredi Clausuram, & de per se, tamquam Sacerdos, colligere sacras Particulas, & in Pixidem reponere; locum abradendo, vel lavando ad præscriptum Rubricæ, & ita sentit, & docet Bordonus *Variar resol. par* 3. *resol* 118. ubi supradictum casum examinat

12 Neque subsistunt rationes Bissi, Castaldi, & Quarti pro opinione contraria I. Non illa, quam allegat Quartus quod *strictius prohibeatur ingressus in Clausuram Monialium, quàm tactus Hostiæ consecratæ*; quia id non est verum, tum respectu rei, superat enim reverentia debita Sacrosanctæ Eucharistiæ, ob eius infinitam excellentiam, quodcumque aliud obsequium, ideòque, ut observat S. Thom *d par* 3. *quæst* 82. *art* 3 in omni re, à qua tangi debet Corpus, & Sanguis Domini, præcedit consecratio, ut sunt manus Sacerdotis, Calix, Patena, Palla, Corporale, tum respectu legis prohibentis; nam contactus Eucharistiæ provenit ob reverentiam ei debitam à lege Divina, Clausura autem Monialium à sola lege humana, quæ de sui natura non strictè, sed benignè accipitur, & interpretatur. Tamburin *de Jure Abbatiss. d. disp.* 24. *quæst* 1. *num.* 4

13 II. Non illa ex usu primitivæ Ecclesiæ ponendi Sacram Synaxim in manibus communicantium, quia non solùm talis usus est abrogatus, sed (quod facit ad præsentem casum) neque in primitiva Ecclesia mulieres tangebant nudis manibus Sacram Communionem, sed eam accipiebant in nitido linteolo, quod Dominicale dicebatur, ut testatur his verbis S. Augustinus *serm* 252. *de Tempore Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Corpus Christi accipiant; sic corpus castum, & cor mundum exhibeant* Et in Concilio Antissiodorensi decretum fuit cap. 36 *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere* Et cap 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat: quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet* Videat Lector Hierolex. Macri in *Verb Dominicale* & Gratianum *Discept forens cap* 412 *num.* 13

Itaque

Itaque si neque ab initio Ecclesiæ permittebatur mulieribus tangere Eucharistiam; ejusdem contactus non esset permittendus Abbatissæ, seu Monialibus in casu proposito. Nonnè dixit Dominus post Resurrectionem suam Mariæ Magdalenæ, *Noli me tangere Jo. 20. 17.* Thomæ verò Apostolo *Affer manum tuam, & mitte in latus meum? ibid 27.* III. Non implicat Auctoritas S. Thomæ *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3.* dum dicit, etiam à peccatore tangi posse Eucharistiam, illam elevando de terra, si jaceret in loco immundo, quia ibi Angelicus Doctor supponit non adesse Sacerdotem, & ideò in tertio arg. ait *In aliquo casu licet tangere laico Corpus Christi, puta si videret ipsum in terra jacere, & non esset Sacerdos, qui tolleret.* At in casu nostro est Confessarius Sacerdos, qui potest tollere. Igitur Moniales non possunt, nec debent, immo si vellent ex se sacras Particulas lapsas in terra tollere, Confessarius tenetur prohibere, ut advertit Possevin *de offic. Curati cap. 8. num. 4.* IV. Non concludit exemplum S. Claræ, quia pingitur cum Ostensorio, & figura Hostiæ consecratæ in manibus ad detonandam eximiam ejus devotionem erga Sanctissimum Sacramentum Altaris, & ad recordandum miraculum fugatorum Maurorum virtute suæ Orationis coram Sacrosancta Eucharistia; sed ex hoc non sequitur ab ipsa fuisse delatam ad ostium Monasterii, sed sicut fecit seipsam ægram ab aliis deferri, sic est verisimile, quod ea instante, Hostia consecrata per Confessarium suum, vel alium Sacerdotem fuerit cum luminibus portata, etsi de illis Breviarium, aut Chronica mentionem non faciat. Hinc in Chronicis Ordinis S. Francisci *tom. 1. lib. 8. cap. 13. Impressis Neapoli Anno 1680* ita legitur de eadem Sancta Clara. *Si fece portare alla porta del Monastero, e porre avanti tutti quei nemici, mandando innanzi di se con grandissima riverenza il Santissimo Sacramento nella sua Custodia.* Sed quidquid sit de hoc exemplo, non tangit punctum, neque percutit casum, in quo quæritur, an Moniales licitè possint tangere, non Ostensorium, vel Pixidem continentem Eucharistiam, sed Eucharistiam ipsam lapsam in terram; attenta præsentia Sacerdotis, qui de facili potest ingredi Clausuram ad eam reverenter colligendam. Concludendum est igitur, quod licèt deficiente Sacerdote, possent Moniales sacram Eucharistiam è terra levare, & tangere, eo præsente non possint, neque debeant, exemplo Parochiani in articulo mortis constituti, & habentis peccata mortalia, etiam reservata, qui, etsi possit absolvi à quolibet simplici Sacerdote, absente Parocho, tamen si Parochus sit præsens, debet ab ipso tantùm absolvi secundùm magis communem, & magis securam opinionem Doctorum, quos longa serie cumulat Barbosa *in Collect. DD. ad Concil. Trid. sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 7. num. 12.*

Hoc Unum est concedendum, quòd si unica Particula caderet in terram intra Clausuram, & præsens esset Monialis communicanda, potest ipsa genuflectere, ac reverenter lingua eam sumere, & sic communicare; ut vult Quartus *in par. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. difficul. 4.*

# DECISIONIS XLV.

## Ad Septembris Casum Prudentialem.

## ARGUMENTUM

Examinatur, an benè faciat Parochus, qui Hostiam delatam in Processione, vel expositam publicæ Orationi, dividit in quatuor partes, eas reponendo in Pixide, distribuendas Laicis communicantibus?

## SUMMARIUM

1. *Parochus Hostiam delatam in processione debet ipse sumere, non autem Laicis communicantibus dare.*
2. *Concilia Provincialia non obligant extra Provinciam; neque Synodalia extra Diœcesim.*
3. *Cardinalis Carolus Barberinus commendatur.*
4. *Concilia Provincialia deserviunt pro directione etiam extra Provinciam.*

5 Plebs

5 *Plebs idiota putat plus gratiæ recipere, si communicetur cum Hostia magna.*
6 *Ablutio in Calice non est danda Communicantibus Laicis.*
7 *Parochus ruralis punitus, quia dabat Laicis purificationem in Calice.*

## CASUM PRUDENTIALEM

*Parochus interim Processione Sacrosanctæ Eucharistiæ completa, Hostiam ab Ostensorio aufert, illamque in quatuor partes frangit, atque in Pixidem ponit, partes illas fidelibus Communicandis dispensaturus. Quæritur, an prudenter agat?*

1 RESpondetur negativè: siquidem Hostiam consecratam, & in Ostensorio processionaliter delatam; non debet Parochus distribuere communicantibus confractam in partibus, sed tenetur ipse illam assumere, & consumere, dum Missam celebrat, statim postquam seipsum communicavit. Responsum hoc innititur Auctoritate, & Ratione. Desumitur auctoritas à Gavant. *in Rubric. Missal. part. 2. tit. 30. sub n. 6. Litt. I.* ubi ita loquitur: *Per Particulas danda est Communio, non autem cuicunque de populo dandæ videntur partes illius Hostiæ, quæ fortè reservatur post Orationem quadraginta Horarum, quod etiam vetuit Sanctus Carolus in Synodo Diœcesana XI. immò ibidem jussit, à solo Sacerdote prædictam Hostiam sumi, quod melius esset post Calicis sumptionem.* Hoc ipsum docet Bussus in *Hierurgia Sacra tom. 2. Verbo Particulæ num. 45. §. 2.* his Verbis: *Faxit, inquit* [?]*, malè facere, & contra Ecclesiæ consuetudinem, eos, qui Hostiam, quæ fuit exposita, E. G. in Oratione quadraginta horarum, dividunt in quatuor partes, quas postea Laicis pro Communionem distribuunt, id namque expressè prohibuit Sanctus Carolus in Synodo Diœcesana Undecima, & etiam generaliter ab omnibus damnatur talis distributio, ut videre est apud* Gavantum *tom. 1. part. 2. tit. 20. ad num. 6.* & Tonellum *lib. 2. tit. 10. ad Rubric. 5. ubi dicunt, esse eam Hostiam sumendam à Celebrante post sumptionem Sanguinis.* Decretum autem S. Caroli, desumptum ex eodem Concilio Diœcesano XI. regist. ap. Haynio Corius *in sua Epitome Verb. Eucharistia num. 23.* hujus tenoris: *Si Hostia Consecrata ulterius conservanda non erit, Sacerdos eam sumat in Missa, nec eam populo unquam tradat sumendam.* Eamdem prohibitionem ponit *Synodus Diœcesana Farfen.* celebrata anno 1685. ab Eminentiss. & Reverendiss. D. Carolo Barberino Abbate, & Ordinario, *cap. 9. in fine de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento,* dicens: *Ac quidem si amplius (Hostia) exponenda non erit, sequenti die in Missa, Hostia, quæ exposita fuerat, ab ipso Sacerdote consumetur.* Non me latet, Pro-

2 vincialium Conciliorum Decreta non obligare extra Provinciam, neque Diœcesanas Constitutiones extra Diœcesim. *cap. Decernimus 3. q. 9.* Fagnan. *in cap. Canonum Statuta num. 14. De Constitutionib.* Barbosa *in Collectan. DD. part. 1. Decr. ad cap. Canones num. 7. dist. 25. & ad Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 2. num. 2.* & inter Theologos Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 26. num. 16.* Nihilominus cum supradicta Decreta prohibitoria processerint tum à Sancto Carolo, quem *Pastoralis Sollicitudo gloriosum reddidit*, & qui in regimine suæ Ec-

3 clesiæ Ministris sapientia insignibus utebatur, ut notatur à Joanne Petro Jussano *in ejus vita lib. 2. cap. 4.* tum ab Emin. Card. Carolo Barberino, nostri temporis heroicæ pietatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ jubare, auctoritatem habent ad actiones alio-

4 rum Episcoporum, & Parochorum dirigendas, & eos, ut prudenter operentur, informandos *cap. De quibus* ubi Glossa *in Verb. Exempla dist. 20. cap. Qui de mensa Regis dist. 37. cap. Si habes 24. q. 3.*

Rationem supradictorum Decretorum relatores eorumdem non exprimunt, neque declarant causam, propter quam Parochus prudenter non agat, frangendo Hostiam Sacram jam expositam in Ostensorio, & illam dispensando Laicis communicantibus: eam tamen esse autumo, ne plebs idiota, ipsam Sacram Hostiam recipiens, credat plus gratiæ consequi, quàm si solitam particulam Sacræ Communionis manducaret, ut docebant Illuminati, de quibus supra *Decis. VI. Errore X. pag. 18.* & in non absimili casu considerat Diana *par. 3. tract. 6. resol. 96.* jacente in Coordinati operis *to. 2. tract.*

A a 2. *resol.*

2. *resol.* 33. § 4. Quamvis enim, rigorosè loquendo, nullum resultet inconveniens à parte rei, vel ministri, sive Sacramenti, vel Sacerdotis communicantis Laicos cum portionibus effractis Hostiæ grandis, in Ostensorio prius expositæ, attamen potest aliquis error irrepere in mentem eorumdem Laicorum, putantium recipere quid majus in tali Communione, & per consequens quid minus in receptione consuetæ parvæ particulæ, de quo errore tractant Theologi, & præcipuè Emin. Card. de Lauræa *de Euchar. disp.* 26 *num.* 9 & Mastrius *in* 4 *Sent. disp.* 3 *num.* 406.

Et de eodem luculentum factum legitur in tabula ærea existente in Ecclesia Terræ *Sevel* Comitatus Tyrolensis, ubi quidam Laicus præsumens communicari cum Hostia magna, territus fuit à Deo per terræ aperitionem, ut ex Tilmano *lib.* 1 *cap.* 55 refert Matthæolus *in Sylva Histor. tom.* 2. *lib.* 8 *cap.* 2. *tit.* 3 *Exempl.* 2. quem Parochi facilè videre possunt. Ideircò ad hunc errorem impediendum supradicta Diæcesana Concilia proficuum esse crediderunt, prohibere Parochis dispensationem Hostiæ grandis in Laicos, & ordinare, eam da per se in Missa, ut assumerent. Quod confirmari potest doctrina Emin. Cardinalis de Lugo *in Responsis Moral. lib.* 1. *dub.* 10. ubi pluribus motivis probat, illicitum esse Parocho dare Communicantibus ablutionem

6 in Calice, non ex eo, quod aliquid plus recipiant, quam si illam sumant in vase vitreo, sed quia Laici possunt in errorem trahi, credentes vel majorem Sacramenti partem, vel majorem gratiam percipere; ideircò triginta ab hinc annis, & ultra, cum fungerer officio Promotoris Fiscalis in

7 hoc Episcopatu Patavino, recepta accusatione contra unum è Parochis ruralibus, qui cum Calice dabat purificationem bibendam suis Parochianis, Sacra Eucharistia refertis, processum formavi, & ab Illustrissimo, & Reverendissimo GEORGIO CORNELIO tunc Patavino Episcopo, fuit prædictus Parochus pecuniaria pœna mulctatus, ut illum, & alios retraheret à facto, periculum erroris continente.

DECISIONIS XLVI.

Ad Octobris Quæsitum Primum

ARGUMENTUM.

Inquiritur, qui nam sint effectus, quos operatur EUCHARISTIA in anima illius, qui devotè eam suscipit? Docetur esse quatuor: scilicet, Augmentum gratiæ, Unionem spiritualem cum Christo, Primam gratiam aliquando, & Remissionem culparum venialium.

SUMMARIUM.

1 *Gratia secunda, idest ejus augmentum recipitur à dignè communicantibus*

2 *Gratia, quæ datur in Eucharistia, quot effectus pariat?*

3 *Unio communicantis cum Corpore Christi est effectus Eucharistiæ*

4 *Unio prædicta moralis est, non physica.*

5 *Gratia prima an detur in Eucharistia?*

6 *Pœnitens, si inculpabiliter obliviscatur aliquod peccatum, illud ei remittitur in absolutione à confessis*

7 *Attritus si communicat, credens non habere mortalia, vel si habeat, credens esse contritum, deficiente Sacerdote, recipit in Communione primam gratiam*

8 *Arbor arida ex contactu Sacræ Eucharistiæ florem floruit.*

9 *Catenæ ceciderunt de manibus dignè Communicantis*

10 *Gratiam primam non dari in Eucharistia, qui docuerint?*

11 *Gratiam primam dari in Eucharistia nescientibus, se esse in mortali, est probabilior opinio.*

12 *Eucharistiæ effectus est remissio venialium culparum*

13 *Venialia peccata an remittantur per Eucharistiam ex opere operato? vel ex opere operantis? Utroque opinio refertur*

QUÆ-

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quos Effectus operetur Sacra Eucharistia in anima, illam dignè suscipientis?*

Quatuor praecipuos Effectus in responsis Cleri Patavini relatos reperi. *Duos*, in quibus omnes Theologi consentiunt. *Reliquos duos*, de quibus inter Scholasticos non levis est controversia; quam breviter, & compendiosè circa utrumque explicandam censui in hoc quæsito.

Primus effectus, quem producit Sacra Eucharistia in anima illius, qui eam dignè 1 recipit, est secunda gratia, seu augmentum gratiæ. Id constat ex Concilio Tridentino tum *sess. 7. de Sacramentis can. 6.* ubi infert anathema iis, *Qui dixerint Sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem non conferre*: tum *sess. 13. De SS. Eucharistiæ Sacramento cap. 2.* in illis verbis: *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur, viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Constat enim cibum dari viventibus, eisque prodesse, non autem mortuis, idcircò Sacra Eucharistia cum dignè recipi non possit, nisi ab eo, qui vivit vita gratiæ, per consequens Effectus primus Communionis est augere gratiam, quam reperit in eo, qui dignè se communicat; quemadmodum cibus corporalis auget vitam temporalem comedentis illum; est enim Eucharistia Sacramentum vivorum, non autem mortuorum; ut docet *Catechism. Roman. de Sacra Eucharistia §. 49.* & disserunt S. Thom. *3. p. q. 79. art. 1. & art. 3.* Emin. Card. de Lauræa *de eodem Euchar. Sacram. disp. 26. art. 1.* Mastrius *to. 4. disp. 3. num. 395.* & Gonet *eodem tract. tom. 5. disp. 8. art. 1.* Cujus quidem augmenti gratiæ habitualis fructus est abstinere à peccatis mortalibus resistere tentationi-2 bus, & in virtutibus Christianis proficere juxta illud D. Chrysostomi *Homil. 61. Ut Leones flammas spirantes, sic ab illa Mensa discedamus, terribiles effecti diabolo.* Et D. Bernardi *Serm. de Cœna Domini. Eucharistia in gravioribus peccatis tollit consensum*; quibus concors est *Concil. Trid. cit. sess. 13. cap. 2.* dicens *Eucharistiæ Sacramentum est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.* & latius S. Thom. *d. q. 79. art. 6.* & Emin. Card. de Lauræa *d. disp. 26. num. 76.*

Secundus Effectus sacræ Communionis, qui producitur in anima dignè accedentis ad illam; (ut de quo omnes DD. testantur) 3 est Unio ejusdem cum Corpore Christi non solùm mystico, idest cum cæteris fidelibus, quorum omnium Christus est caput, juxta illud Apostoli *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 10. Quoniam unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Sed etiam cum ejus vero Corpore naturali, & sanctissima Carne, quod etiam testatur idem Apostolus in illis verbis *ad Ephes. 5. Membra sumus Corporis ejus, de Carne ejus, & de ossibus ejus.* In cujus rei argumentum scripsit S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi Mystag. 4. Ipsa beati Pauli doctrina abundè sufficere videtur, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat, quibus digni redditi, concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi facti estis.* Quem effectum clariùs ostendit per similitudinem liquefactæ, & commixtæ ceræ S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 4. in Joann. cap. 17.* dicens: *Qui manducat, inquit, Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicut enim si quis liquefactæ Ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, necesse est: sic qui Carnem, & Sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.* Porrò circa hunc secundum unionis effectum, quem operatur in sumentibus dignè Sacra Eucharistia, advertendum est, unionem illam intelligendam fore non materialem, & physicam, sed moralem, quatenus conjungimur Christo Domino per effectum amoris, & arctitudinem gratiæ. Quamvis enim nos physicè uniamur Corpori Christi per propinquitatem, & contactum realem, qui fit in nobis, dum ejus Sacratissimum Corpus, & Sanguinem recipimus in os, & transmittimus in stomachum, sub speciebus consecratis; nihilominus illa unio non est aliqua unio physica, quasi dicat aliquid præter 4

unionem per affectum, & præter solam indistantiam localem Christi sub speciebus cum visceribus nostris, sed est unio tantùm moralis, quatenùs dignè Communicantes dicuntur una caro cum Christo, & speciali modo simus ejus membra per fidem, spem, & charitatem, & convertimur in ipsum Christum, qui respicit nos, ex ejus eximia bonitate quasi suam Carnem; ut advertunt Suarez *de Euchar. disp. 64. sect. 3.* Mastrius *in 4. Sent. d. disp. 3. num. 402.* & Gobat *in Experim. Theolog. tract. 4. num. 480.*

Tertius Effectus Sacræ Eucharistiæ, de quo est altercatio inter Scolasticos, est collatio primæ gratiæ, & remissio peccati mortalis non directè, & primariò, sed per accidens, & secundariò, quando ille, qui se communicat, inculpabiliter ignorat, se esse in statu peccati mortalis. Casus figurari potest, non de illo, qui communicaturus præmittit Confessionem Sacramentalem, in qua facta omni diligentia, obliviscitur aliquod peccatum mortale; nam in tali casu obtineret primam gratiam, & remissionem illius, non in actu Communionis Eucharisticæ, sed in absolutione Sacramentali, quam Confessarius illi impertiret super peccatis confessis, & quæ extenditur etiam super peccato inculpabiliter oblito, ut advertit Poncius *de Sacramen. disp. 44. quæst. 10.* Mastrius *in 4. Sent. de Sacram. in genere disp. 1. num. 350.* & docent Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 9. num. 4.* Emin. Card. Toletus *lib. 3. cap. 8. num. 2.* Munitius *in sua Theologia Morali de Sacramen. Pœnit. quæst. 35. Vers. Tertia conclusio*; Suarez *de Euchar. disp. 66. sect. 4. Vers. sed hunc actum* Diana *part. 9. tract. 3. resol. 4. §. 3. Et part. 11. tract. 8. resol. 40.* Quarum prima est Operis Coordinati *in tom. 1. tract. 3. resol. 143.* secunda verò *ibidem resol. 144.* Sed ponendus est Casus, Si quis, committens peccatum mortale, & illud obliviscens, accederet ad communionem absque confessione Sacramentali, credens, se eam non indigere, ut potissimùm solent facere Sacerdotes celebraturi, eliciendo tantummodò actum attritionis generalis de omnibus peccatis vitæ suæ: Vel si quis laicus in articulo mortis habens peccata mortalia, & in defectu Confessarii, solam attritionem concipiens, credens esse contritus, reciperet Sacram Eucharistiam per modum Viatici vel de manu Diaconi, vel Clerici inferioris, ut fuit disputatum in primo Casu mensis Septembris hujus anni, in his, inquam, casibus est magna controversia inter Theologos, an Communio Sacramentalis ducat primam gratiam in anima recipientium communionem ipsam, & remittat peccata mortalia?

Affirmativam Sententiam docet S. Thom. *in 4. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* ubi ponit supradictum primum Casum his verbis. *Si aliquis facta diligenti discussione suæ conscientiæ, quamvis forte non sufficienti, ad Corpus Christi devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat, immò magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus dicit in quodam sermone, quòd quando Corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.* Eamdem sententiam Angelicus Doctor prosequitur *in Summa 3. p. q. 79. art. 3. in Corp.* Ubi secundus propositus Casus enunciatur, dum dicit: *Alio modo etiam (Corpus Christi) perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet, forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Hunc eumdem effectum conferendi primam gratiam non primariò, sed secundariò, in recipiente Eucharistiam cum bona fide, credendo, se non habere peccatum mortale, aut credendo se contritum, quamvis tantùm sit attritus, docet Scotus *in 4. sent. disp. 9. quæst. Unica*, quem citat, & sequitur, Emin. Card. de Lugo *de Euchar. disp. 26. n. 53.* cui adhærent ex Thomistis Gajetanus, Capreolus, Sotus, Suarez, Valentia, Coninchius, Pesantius, Silvius, Nugnus, Caspensis, Orlandus, Aanicus, Pasqualigus, Aversa, Diana, Castropalaus, Bonacina, & Gonet *in cit. disput. 8. de Euchar. dnum. 20.* Et ex Scotistis Poncius, Hiquæus, Rada, Arenius, quos cumulat Mastrius *in 4. sent. cit. disp. 1. num. 349.* quorum rationes præcipuæ sunt sequentes. Primò, quia ille recipit gratiam

tiam justificantem in Sacramentis, qui illa recipit dignè, & sine obice *Concil. Trid. sess. 7. de Sacramentis can. 6.* Sed in casibus propositis communicans non ponit obicem, & dignè accedit per attritionem, quam inculpabiliter credit sufficientem. Ergo virtute Eucharistici Sacramenti consequitur gratiam. Secundò, quia hæc virtus conferendi primam gratiam homini, habenti attritionem de peccatis, conceditur aliis Sacramentis. Ergo negari hæc virtus non debet Sacramento Eucharistiæ cæteris excellentiori. Tertiò, quia Baptismus, & Pœnitentia instituta sunt, ut primariò conferant primam gratiam, & nihilominùs sæpè conferunt non primam, sed secundam; quando scilicet suscipiens accedit ad illa cum vera contritione. Ergo è contra, negandum non est, quod Eucharistia, etsi ordinata ad conferendam secundam gratiam, aliquando conferat primam, tunc videlicet, quando accedens cum peccato mortali, invincibiliter accedit, vel de eo non recordans, vel attritionem, quam contritionem putat, in se habens. Quartò ex *Concil. Trident. sess. 13. De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Can. 5.* illud, dum negat *præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum,* tacitè concedit, secundarium effectum, & per accidens, esse posse ipsam remissionem peccatorum. Quintò, quia in Oratione *Purificent nos Deus* quæ post Communionem dicitur in Missa tota Quadragesima, Ecclesia sic loquitur: *Præsta, ut hoc tuum Sacramentum sit ablutio scelerum sit virorum, atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum.* Et in Postcommunione *feriæ 4. post Dom. 1. Quadr. Tui Domine perceptione Sacramenti & à nostris mundemur occultis.* Et in Secreta *Dom. 3. Quadr. Hæc Hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta.* Et in Secreta *Dom. 17. post Pent. Ut hæc Sacrificia, quæ gerimus, & à præteritis nos delictis exuant, & futuris.* Sextò, Verba Sancti Justini Martyris in *Quæst. ad gentes resp. 4.* ubi locutus de visione Isaiæ sublimi, Carbo, *quem Propheta vidit tum suis sanctis labiis admoventem, ad utiquam atam, peccatorumque expiationem, figuram habebat Eucharistiæ sanctæ, quæ purificantiam eorum, qui ipsam edunt, ab omni scelere expiat.* Septimò liceat mihi duo hæc miraculosa addere exempla. Narrat Arnoldus Rayssius *in Auct. ad Natal. SS. Belgii 3. Maii* quod in Pago Ascæ, mulier quædam à Judæis sollicitata, Sacram Synaxim, quam in Paschate sumpserat, illis pro mutuata veste ut daret, ex ore sacrilego detractam, illis traditura deportabat. Verùm tanti sceleris in itinere pœnitens, Sacras species in aridum Ulmum, fortè ibi in via repertam, deposuit. Mirum dictu? Ulmus illa, sumpto veluti à Dominico Corpore vigore, refloruit, ac quamvis prorsùs arida, frondibus, & ramis jucundissimè exornata est. Refert Bagatta *in admirand. Orbis Christ. tom. 1. lib. 6. cap. 1. num. 36.* Pariter scribit Bzovius *de Signis Ecclesiæ lib. 15. cap. 2.* quod Gregorius Cappadox vir nobilissimus, cum jussu Imperatoris, catenis undique circumligatus duceretur, Theodorus Archimandrita petiit, ut ab his solveretur, donec illi daret Eucharistiam: quod cum milites pernegarent, accidit, ut eo sumente Eucharistiam, subitò mirabiliter vincula soluta sponte conciderent ad terram. Idem Bagatta *d. tom. 1. lib. 5. cap. 2. num. 29.* Igitur si ad contactum Eucharistiæ arida arbor refloruit, & ceciderunt catenæ, cur & in suscipientem ex devotione, quamvis in ariditate pecc. ti invincibiliter ignorati; non infundetur ros gratiæ justificantis, qua verificetur, *Justus ut palma florebit? Psal. 91. 13.* Et cur ille, qui bona fide Calicem Salutaris accepit, ex virtute Venerabilis Sacramenti non dicet, *Dirupisti vincula mea, tibi Sacrificabo Hostiam laudis? Psal. 115. 16.*

Negativam tamen sententiam sustinet Eminentiss. Card. de Lugo *de Euchar. d. sp. 12. sect. 1.* Vasquez, Mercius, Morandus, Centinus, & alii, inter quos fuit, & proxostris Gavatius *disp. 12. de Sacrosanct. Euchar. quæst. 1. cap. 2.* innixi sequentibus rationibus. Primò, quia prædictus effectus probari non potest vel ex Scriptura, vel Ecclesiæ definitione, vel SS. Patrum traditione. Secundò, quia ipsemet effectus sicut non convenit Eucharistiæ principaliter, ita neque per accidens. Tertiò quia cum Christus voluerit dari in hoc Sacramento secun-

secundam gratiam, si daretur prima, esset præter Christi intentionem. Quartò quia hoc Sacramentum est institutum per modum cibi, & potus. Sed cibus, & potus non prodest mortuis, ergo neque Eucharistia existentibus in culpa mortali. Quintò, quia prima gratia differt à secunda, ergo ad primam non se extendit hoc Sacramentum, cujus naturæ est dare secundam, sicut visus non potest se extendere ad odores, vel ad voces. Sextò, quia confunderetur communis distinctio Sacramentorum, alia esse vivorum, & alia mortuorum. Ultimò, quia Eucharistia conferret primam gratiam, etiam in attritione cognita, sicut eam conferunt Baptismus, & Pœnitentia.

11 Cæterùm non difficilia sunt responsa præmissis objectionibus. Nam ad primum respondetur, effectum collationis primæ gratiæ in Eucharistia colligi ex cit. can. Conc. Trid. ex Orationibus Missalis, ex multis SS. Patribus, & ex Doctoribus contrariam sententiam defendentibus, qui faciunt illam probabiliorem. Ad secundum, quod immò competit dare per accidens primam gratiam in Eucharistia, sicut per accidens potest competere Baptismo, & Pœnitentiæ dare secundam. Ad tertium, non esse præter intentionem Christi Domini, ut secundariò, detur prima gratia in Communione, Sic sua bonitate disponente cum accedentibus ad Eucharistiam bona fide, ne illud oblitum peccatum, vel ignorata attritio essent sine remedio. Ad quartum, non prodesse cibus, & potus materialis iis, qui sunt mortui, quia ipse non habet in se vitam, & virtutem supernaturalem, qualis est in Eucharistia, quæ non convertitur, sed in se convertit manducantem. Ad quintum, non procedere paritatem, quia objectum visus essentialiter differt ab objectis auditus, & odoratus, & ideò visus ad hæc objecta non se extendit. Sed prima gratia non differt à secunda intrinsecè, & essentialiter in ipsa entitate gratiæ, sed extrinsecè tantùm ratione connotati, & sic Eucharistiæ effectus primariò producit secundam gratiam, at secundariò potest conferre etiam primam. Ad sextum, negatur, quod ex hoc destruatur prædicta Sacramentorum distinctio, siquidem ex doctrina adversariorum, Baptismus, & Pœnitentia per accidens assumunt naturam vivorum, etsi dicantur Sacramenta mortuorum. Ad ultimum respondetur, sufficere attritionem cognitam in Baptismo, & in Pœnitentia, quia illa duo Sacramenta ex sui natura ordinata sunt specificè ad conferendam primam gratiam habentibus attritionem. At in Eucharistia, quia non est instituta ex hac *specifica ratione*, sed ex generica tantùm, ideò requirit vel contritionem in re, vel in prudenti existimatione accedentis, itaut accedat cum bona fide, & sine obice, & ita accedit, qui oblitus est invincibiliter commissi peccati, vel putat inculpabiliter suam attritionem habere vim, & naturam contritionis, ut abundantiùs declarat Mastrius *in cit. disp. 1. à num. 356. & seqq. & disp. 3. num. 397.* Et in sua Theologia Morali *disp. 18. num. 49.* Gonet. *d. tom. 5. De Sacramentis in genere disp. 3. à num. 181. & seqq.* Et de Eucharistia *disp. 8. num. 20. & seqq.* Diana *part. 3. tract. 6. resol. 98.* Quæ est *in tom. 2.* Coordin. *tract. 2. resol. 32.* Et *in part. 5. tract. 13. resol. 23.* Quæ coordinata est *in tom. 1. tract. 1. resol. 23.* & Reginaldus, ex gratia legendus *lib. 26. num. 45.*

12 Quartus tandem effectus, quem operatur Eucharistia in illam dignè sumentibus, est remissio peccatorum venialium, ut habetur in *Conc. Trid. d. sess. 13. cap. 2. de Eucbar.* ibi: *Tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis; & à peccatis mortalibus præservemur.* Et in Cathechismo Romano *sess. 51.* ibi: *Remitti verò Eucharistia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari queat.* Et adducit sententiam S. Ambrosii dicentis *lib. 4. de Sacram. cap. 6. Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Et de hoc omnes Theologi sunt unanimes. Porrò non levis controversia est inter illos circa modum, quo fit hæc

13 remissio venialium, Utrum scilicet ex opere operato, directè, & immediatè per virtutem Eucharistiæ absque ulla alia dispositione positiva ex parte suscipientis, modò tamen non habeat affectum positivum ad aliqua venialia? Vel hæc remissio fiat mediatè tantùm, & indirectè, quatenus virtute susceptæ Eucharistiæ conferuntur auxilia,

xilia, quibus suscipiens, eliciendo actus ferventes charitatis, doleat de venialibus, proponat imposterum illa cavere, & sic obtineat eorum remissionem? Nonnulli DD videlicet S. Thom. *3 part. quæst. 79. art. 4.* S. Bonavent. *in 4. dist. 12. part. 2. dist. art. 1 quæst. 3.* Petrus de Soto *lect. 12. de Euchar.* autumant venialia deleri secundo modo, quia gratia Sacramenti non habet repugnantiam formalem cum peccatis venialibus, & sic non est incompossibilis cum eis, ideò remissio venialium non procedit directè ab ipsa gratia, quæ elargitur in susceptione Eucharistiæ. Ulterius si quæretur, à quocunque Communicante obtinerit semper remissionem omnium venialium, quia nullus creditur reperiri, qui in actu communicandi delectationem habeat peccatorum venialium. Item venialia committuntur per propriam voluntatem; ergo retractari debent per propriam voluntatem, illa detestantem. Tandem Baptismus, & Pœnitentia non delent venialia, nisi saltem attritione concurrente de iisdem, Igitur attritio erit necessaria etiam in Sacramento Eucharistiæ, qua mediante remittantur venialia. Ita Becanus, Caspensis, & alii apud Vasquez *tom. 4. disp. 12. sect. 1.*

E contra alii Theologi opinantur, in Eucharistiæ digna sumptione dimitti venialia immediatè, & directè, ac, ut dicunt Scholæ, ex opere operato, idest, ex vi Sacramenti, non ex merito, vel alio interno motu suscipientis, ut declarat Reginald. *d. lib. 26. num. 46.* Quod docent Suarez *3. p. quæst. 79. art. 4. sect. 10.* Vasquez *de Pœnit. q. 87. art. 3. dub. 2. num. 7.* quibus assentitur Jo. Sancius *in Select. disp. 22. num. 8.* Moventur autem his rationibus. Primò, quia diverso utique, & altiori modo debent dimitti venialia per hoc Divinum Sacramentum, quàm per Sacramentalia, de quibus actum est Anno 1687. mense Decembri. Sed ex opere operantis Sacramentalia remittunt peccatum veniale, quatenus impetrant à Deo auxilia, quibus homo elicit actus retractantes culpas veniales, ut ex probabiliori opinione dictum fuit in primo Casu mensis Decembris 1687. Ergo per Eucharistiam convenit, venialia remitti ex opere operato, & ex sola virtute ipsius excipit Sacramenti. Secundò, quia etsi disputent DD. utrum attritio sit necessaria ad delendà venialia in suscipiente Sacramenta, videtur probabilior sententia, attritionem esse necessariam sine Sacramentis, non autem cum suscipiuntur Sacramenta, ad delenda venialia; quia sufficit in suscipiente Sacramenta minor dispositio, nempè actualis non complacentia venialium, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut ex Soto, & Suarez probat Mastrius *in 4. sent. de Sacram. Pœnitentiæ disp. 5. art. 2.* Ergo multò magis ex solo augmento gratiæ, quod recipitur in Eucharistia, delentur venialia, quia tunc Communicans intendit intimiorem unionem cum Deo, & virtualiter detestatur venialia, quæ contrariantur eidem intimæ unioni.

In hac controversia facilè est concordare utramque opinionem, concedendo, venialia deleri in Eucharistia mediatè, & indirectè, scilicet dando auxilia, quibus Communicans excitat in se actus ferventes charitatis, detestaturque etiam venialia, quæ displicent Deo: at non negando, posse etiam venialia remitti per solam virtutem Eucharistiæ, & ex opere operato, quatenus operatur unionem creaturæ cum suo Creatore, cujus amore accensa virtualiter detestatur etiam peccata venialia. Ita Mastrius, pluribus DD citatis, *d. disp. 3. de Eucharist. num. 399. & num. 400.* Gobat *tract. 4. num. 473. & 474.* Et Emin. Card. de Lauræa *de Eucharist. disp. 26. à num. 51. & num. 57. & seqq.*

## DECISIONIS XLVII.

### Ad Octobris Quæsitum Secundum.

### ARGUMENTUM.

Investigatur, quos effectus producat EUCHARISTIA in corpore illius, qui dignè eam sumit? Ostenditur, esse quatuor præcipuos: Refrenationem motuum carnalium.

Dulce-

Dulcedinem spiritualem Nutrimentum vitæ præsentis; & Futuram Resurrectionem gloriosam cum dotibus Impassibilitatis, Agilitatis, Subtilitatis, & Claritatis, quæ omnia selectis Sanctorum exemplis confirmantur.

*SUMMARIUM*

1 *Eucharistia producit quatuor effectus in corpore illam dignè suscipientis.*
2 *Eucharistia refrænat motus concupiscentiæ, atque iræ*
3 *Miles adorans Eucharistiam, genuflectit in luto, & non inquinatur.*
4 *Dulcedo sentitur in sumptione Eucharistiæ*
5 *Exempla gustatæ dulcedinis in Communione Eucharistica.*
6 *Digiti Sacerdotum tangentes panem, illum dulcem reddunt.*
7 *Sacerdotes, & alii ex frequanti Communione quare non proficiant?*
8 *Eucharistia sola nutrit corporaliter. Exempla.*
9 *B. Helena Enselmina Patavina à Sede Apostolica fuit juridicè Beata declarata die 8. Octobris 1695.*
10 *Homines quot diebus vivere possint sine cibo?*
11 *Exemplum famellæ, quæ ex Dæmonis astutia vivebat sine cibo*
12 *Resurrectio gloriosa corporum effectus erit Eucharistiæ*
13 *Dotes Corporis gloriosi quatuor, & harum præludium in hac Vita ex Eucharistia*
14 *Impassibilitatis Dotis exempla ex Eucharistia emanantis*
15 *Agilitatis Dotis exempla ex Eucharistia provenientis.*
16 *Subtilitatis, seu Spiritualitatis corporis exempla ex Eucharistia.*
17 *Claritatis Dotis exempla in corporibus ob Eucharistiam*
18 *Vita spiritualis habet & ipsa quatuor Dotes, ut ex libello 24. Veritatum. In Verit. 22. punct. 1.*
19 *Viginti quatuor Veritatum libellus excerptus ex libr. Juliani Hasmovic Soc. Jesu ab Auctore anno 1681*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*Quosnam effectus producat Sacra Eucharistia in corpore, illam dignè suscipiente?*

Ex pluribus relatis per studiosos hujus Cleri hos quatuor principaliores collegi, & sunt: Refrænatio motuum carnalium, Dulcedo spiritualis, Nutrimentum vitæ præsentis, & Resuscitatio ad futuram.

Quo ad primum Sacra Eucharistia in sumentibus illam dignè refrænat motus carnales tum concupiscentiæ, tum iræ. De motibus concupiscentiæ extat illud testimonium Zachar. 9. *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus? Nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quod fusè, & piè explicat S. Thomas *Opuscul. 58 cap. 26*. Et de motibus irascibilis illud *Eccles. 18 Nonnè ardorem refrigerabit Ros?* Utique Ros est Christus incarnatus, & in Eucharistia susceptus, quèm intensè flagitabant SS. Patres, exclamantes *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum Isa. 45*. De utroque autem motu frænato locutus est S. Bernard. *in Serm. de Cœna Domini* in illis Verbis *Si quis vestrum non tàm sæpè modò, nec tàm acerbos sentit motus iracundiæ, luxuriæ, invidiæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus operatur in eo Sacramento*. Quæ verba transcribit etiam Emin. Card. de Laurea *d. disp. 26. num. 78. de Euchar.* Et pro confirmatione præsentis effectus; quem Sacra Eucharistia operatur, refrænans motus concupiscibilis, & irascibilis, devotos non tædeat horum miraculorum lectionis. Narrat Cæsarius *lib. 9. cap. 51.* quod quidam Miles cum quodam die in platea equitaret lutosa, & pretiosis esset vestibus indutus, obviam habuit Corpus Domini; qui de equo prosiliens, in luto flexis genibus Corpus Domini adoravit, factumque est, ut eo surgente, nec minima gutta aquæ, nec quid-

quidquam luti vestibus ejus adhæreret. Consimile scribit P. Rhò *in Histor. Virtut. lib. 3 cap. 1. num. 6* de Sylvestro Landino dicens. Cum lutosa in via obviam Divino Ferculo factus esset, profundo nihilominùs in cœno genua posuit; verùm ubi perfunctus adorationis officio surrexit, ut coram Deo eam fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fœdatas circumspexit. Refert utrumque Bagatta *in Admiran. Orb. Christ. tom. 2. lib. 3 cap. 3 num. 20. & 21.* Igitur si Pietas erga Sacram Eucharistiam exteriores induvias à cœno præservat, quantò magis, ut ait Gobat *in Theol. Experim. tract. 4. num. 476. In ipsum quoque corpus hominis redundabit energia hujus cibi cœlestis, ita quidem, ut per eam mitigetur fomes peccati, compescatur, seu refrænetur pravus appetitus, atque inclinatio in malum?* quod latiùs prosequitur Suarez *de Euchar. disp. 64. sect. 1.*

Quo ad secundum. Ex devota receptione Sanctissimæ Eucharistiæ dulcedo, & suavitas spiritualis à recipiente sentitur, ut probat S. Thom. *3. p. q. 79. art. 1. ad 2.* Et canit Ecclesia in primis Vesperis Corporis Christi. *O quàm suavis est Domine Spiritus tuus; qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis.* Habeturque in *Psal. 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* De hoc mirabili effectu infinita propemodùm allegari possent exempla, quæ in legendis vitis Sanctorum obvia habentur. sed hæc pauca liber delibare ex his, quæ cumulat P. Bagatta *d. tom. 2. lib. 3. cap. 3. § 6.* ex sequentibus auctoribus. I. S. Eleazarus Comes retulit quandoque Virgineæ Uxori suæ, cum Christi Corpus acciperet, videri sibi optimum saccharum se deglutire. Ex Henric. Sedulio *in ejus Vita cap. 20.* II. Beata Angela de Fulgineo sic suo Confessario referebat. A parvo tempore quando communico, Hostia extenditur in ore, & non habet saporem panis, nec carnis, quam comedimus, sed alium saporem carnis, & saporem sapidissimum, quem nescio assimilare alicui rei de mundo. Arnoldus *in in ejus Vita cap. 7.* III. Legitur, Monachum quemdam, quoties Sanctam Synaxim insumebat, toties sibi visum, favum mellis sumere, cujus suavitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. *Ita in Chronicis Cisterciensibus* IV. S. Maria Œgoiacensis, dum Christi Corpus accipiebat, magna in ore dulcedine, eo tempore, fruebatur. Jacobus à Vitriaco *in ejus Vita lib. 2. cap. 12.* V. Venerab. Ursula Benincasa, cum ob suas infirmitates maximam pateretur ciborum inappetentiam, ita ut nullo modo posset comedere; panem tamen Sacerdotum digitis tactum, absque ulla nausea, vel molestia comedebat, immò ex illorum digitorum contactu, maximam pani illi dulcedinem inditam affirmabat, (notent id Sacerdotes, & discant innocentes servare manus suas.) *In ejus Ursulæ vita cap. 35.* VI. Soror Maria Villana Ordinis Prædicatorum tanta nedum animæ, sed & corporis afficiebatur suavitate, & robore, pane cœlesti exsaturata, ut post Sacræ Eucharistiæ sumptionem ad multas horas dulcissimam suavitatem ore degustaret, suavissimumque ex faucibus exhalaret odorem. Dominicus Maria Marchesius *in ejus Vita Mense Augusto die 21.* VII. De Sanctis aliis pluribus referuntur consimilia exempla à Nicolao Laghi *de Miraculis SS. Sacramenti tract. 2. dist. 4.* Sed satis sit id, quod legitur de S. Philippo Nerio *in ejus Vita lib. 2. cap. 1. num. 13.* ipsissimis his verbis. *Nel prendere il Corpo del Signore, sentiva straordinaria dolcezza, facendo tutti quegl'atti, che sogliono far coloro, che gustano di qualche soavissima vivanda.*

Sed hic liceat interrogare lectorem verbis P. Gobati *d. tract. 4. num. 481. Scire, qui fiat, quod (proh dolor) tam multi Sacerdotes sæculares, ac Religiosi ex quotidiana, tam multi Laici ex octiduana Communione (non solùm dulcedinem illam non sentiant) sed adeò parùm, aut nihil videantur proficere in spiritu?* Inveniet Lector pius responsionem tum apud Rodriquez *in Exercit. Perfect. part. 2. tract. 8. cap. 13.* tum apud Mansium *in suo Vero Ecclesiastico lib. 14. cap. 12.* Satis est figere hoc dilemma. Vel celebrantes materialiter tantùm celebrant, veloci lingua, volante mente, abeunte corde in res mundanas, & de his dicit B. Albertus Magnus *de Eucha-*

*risti dist 3 tract 3 cap 1 Non datur Manna nisi in deserto, sic non sentitur dulcedo gratiæ, & sapor Eucharistiæ nisi ab his, qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes* Vel cum cordis munditie, & debita cum præparatione litant, & de his respondet Emin Card de Lauræa *de Euchar. d disp 26 num 85 Ratio, cur non semper, & non statim gustatur dulcedo spiritualis, est vel passio corporea trahens secum voluntatem, & intellectum, ne cogitationibus illis objectorum supernaturalium vacent Vel quia Deus ad tempus eos privat, & in alio tempore opportuniore eam elargietur Sufficit, quod Sacramentum illud, quantum est de se, eam suavitatem, & dulcedinem causat* Utinam omnes Sacerdotes hæc saperent, & intelligerent

Quoad Tertium effectum Sacra Eucharistia nutriti, absque alio cibo, plurimi, in tot transactis sæculis, diu vixerunt, licet 8 mortali carne induti, in argumentum æternæ vitæ, quam Salvator promisit manducantibus Divinum Panem, quorum viginti exempla fuerunt per me allegata supra *Decis 7 num.2* ex sacris Historiis decerpta, quibus hic duo addere libuit Unum, de Sancto Petro de Alcantara, de quo sic legitur in *lect.6 Breviarii Roman die 19. Octobr. Gratia contemplationis admirabilis in eo fuit, qua tum assiduè spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo, & potu pluribus diebus abstinuerit* Alterum de Beata Helena Enselmina Nobili Patavina, de qua sic scribit Scardeon. *lib 2. antiqu. cl 6 Mirabile dictu? Vixit menses tres absque cibo corporali*. Quod confirmat Wading *in Annal tom 1. Ann* 1241 & Rodul Tussignan. *in Histor Seraphic lib* 1 Beata Helena Enselmina orta est Patavii Anno Domini 1208 cumque paulò post constructum esset Monasterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ extra muros Paduæ in Contrata dicta Ara Cœli, vulgò *Arcella*, (quæ tunc erat sub Parochia meæ Præpositure tituli Sanctissimæ Trinitatis,) in ipso Religiosa facta est B. Helena sub directione Sancti Antonii Patavini tunc viventis, & brevi per omnium virtutum semitas incedens ad perfectionis, & sanctitatis apicem pervenit, ad cœlumque ex hac Vita evolavit Anno 1242. Ejus corpus miraculis redolens incorruptum adhuc servatur post annos 454. & tanquam Virginis beatæ veneratur, & colitur. Super ejus cultu immemorabili quatuor ab hinc annis ego tanquam Subpromotor fidei specialiter deputatus processum formavi ad normam Decretorum S M. Innocentii Papæ Undecimi, eoque rigorosè Romæ examinato à Sacra Rituum Congregatione, tandem emanavit sequens Decretum *Patavina Beatificationis, seu Canonizationis Servæ Dei Helenæ Enselminæ Beatæ nuncupatæ Ordinis Sancti Francisci* Ad supplices instantias R P M. Fœlicis Rotondi Ordinis Minorum Conventualium Ministri Generalis, Patrisque Magistri Balthassaris Milazzo Collegii 9 S Bonaventuræ Regentis, & causæ Beatificationis, seu Canonizationis prædictæ servæ Dei Helenæ Enselminæ, Beatæ nuncupatæ Postulatoris proposito in Sacra Rituum Congregatione ab Emin. & Reverendiss DD Cardinali Colloredo Ponente, Dubio An sententia Emin & Reverendiss. D D Cardin Barbadici Episcopi Patavini, sivè ejus Delegatorum, super cultu immemorabili, & casu excepto à Decretis fel rec. Urbani Papæ VIII. lata, sit confirmanda, vel infirmanda in casu; & ad effectum, de quo agitur? Sacra eadem Congregatio, audito tàm in scriptis, quàm in voce Reverendiss. Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore, prædictam sententiam esse confirmandam censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 8 Octobris 1695 *Facta igitur deinde Sanctissimo Domino Nostro per me Secretarium, de prædictis relatione Sanctitas sua benignè annuit, die 29 ejusdem Mensis, & Anni 1695*

A Card Cibo.

Loco † Sigilli.

*B. Inghirami Sacr Rituum Congreg. Secretarius.*

Porrò virtute Sanctissimæ Eucharistiæ patrata fuisse suprascripta, ac in aliis Sanctis Viris exempla nemo dubitare potest. 10

nam,

nam, etsi per integrum triduum posse hominem tolerare famem, ac sitim, nullo remedio adhibito, constet ex Scriptura Sacra, in *1 Reg 30.12.* ubi vir ille Ægyptius non comederat, neque biberat tribus diebus, & tribus noctibus *In Tob 3 10.* ubi Sara Thobiæ junioris uxor per triduum pariter abstinuerat ab omni cibo, Et *Esther 4.16.* Ubi Regina Esther gentiles suos adhortata fuit, ut non comederent, neque biberent quidquam tribus diebus, & noctibus; idemque se facturam cum ancillis suis spopondit Et Græci, ut refert Lucianus, in suis funeribus totum triduum absque ullo cibo transigebant; & Sacerdotes Ægyptii, ut scribit D Hieronymus *lib 2. contra Jovinian* bidui, triduive inediam tolerabant, immò ultra triduum posse hominem absque cibo vivere (sed per paucos dies) testentur Medici, Hippocrates *lib de Principus*, ubi statuit, vitam hominis septem diebus, sed non ultra absque cibo consistere, & idem sentit Varro apud Aul Gellium *lib 3 cap 10 in fine*, & Galenus *lib 1 Aphorism 15* quamvis *Homini non usque septimo leibalis inedia, nam durasse & ultra undecimum plerosque certum est*, scribat Plinius *lib 11 cap ult* ea ratione, quia varios dies absque cibo plures vixerunt pro varietate temperamenti, & constitutionis corporum, in quibus sæpè humores phlegmatici, crudi, lenti, atque viscosi deserviunt pro alimento, ut ex observatione Medicorum Langii, Quercetani, & Sennerii notat Schottus *in sua Physica Curiosa lib 3 cap 14. § 2.* Martin Delrius *Disquisit Magicar lib 2 quæst 21.* & Zacchias *in quæst Medicolegal lib 4 tit 1 quæst 10* Nihilominùs per triginta, & quadraginta, ac ulteriores dies in Sanctis hominibus virtus Sacratissimæ Hostiæ operata est nutrimentum, quod à sola natura, & à virtute tantùm naturali cujusvis hominis frustra expectaretur, immò ipsa Divina Eucharistia destruxit aliquando præstigia Dæmonis, conantis inediam, occulta arte, astruere in quadam fæmella, ut narrat S. Prosper *de Dimid tempor cap 6* relatus ab eodem P Gasp. Schotto *d cap 14 § 3* Fuit

11 enim juvencula, natione Araba cujus gutturis meatus diabolus occupaverat, & per septuaginta dies cibum deglutire non permiserat, sed de nocte sub avis specie sibi ore, nesciens quid, infundebat, quæ liberata remansit sumptione Eucharistici Sacramenti, cujus S Prosperi, sunt verba sequentia *Ascendente nobiscum Sacerdote, ut matutinum illud Sacrificium solitò offerretur, puellam Præpositus ad Altare perduxit, concessu, & habitu, quo solent rubore perfusæ ex epulis, poculisque mulieres advenire Peracto itaque Sacrificio, cùm eadem inter cæteras brevem particulam Corporis Domini tinctam à Sacerdote perciperet.* (Recole, quæ dicta sunt supra de intincta Synaxi *Decis XIV num 8 Mensis Martii*, & scito, hanc narrationem contigisse in quinto Sæculo, nam S Prosper vivebat anno 445 ut ex Card. Bellarm *de Scriptorib Eccles*) *Sembora mandens trajicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apostolus, Quæ conjunctio Christi ad Belial?* Et iterum. *Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis Mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum Manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote, ne Sanctum proiceret; à quodam Diacono suggestum est, ut Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret Quod, ut factum est, statim ut locum illum, quem diabolus obsederat, Salutaris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod post octoginta, & duos dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici* Hæc S Prosper

12 Quoad Quartum effectum Ex virtute Eucharisticæ communionis processura est etiam Resurrectio gloriosa corporum nostrorum, juxta promissionem Christi Domini in illis verbis *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die Joan 6 54.* De cujus quidem promissionis fideli adimplemento tractant Suarez *de Eucharist disp 64 sect 2.* Eminen Card de Lauræa *eod tract disp. 26 in fine* Collegium Salmanticen. *de Sacram tract 4 cap 6 num 43 & 44.* Gobat *d tract 4. num 479.* & fusius Gonet *d tom 5. de Eu-*

*de Euchar. disp. 8. à num. 13. & seqq.* ubi plurima SS Patrum testimonia adducit, & præcipuè S Cyrilli Alexandrini *in cap. 6. Joan.* de hoc differentis & rationes validissimas allegantis, inter quas, quod caro Christi vivificatura est corpora nostra, quia ipsa tanquam ineffabiliter conjuncta Verbo, à quo universa vivificantur; est de per se vivificatrix, idcircò Dominus Jesus in hac vita dum esset, alios mortuos suscitavit imperio vocis suæ, alios autem contactu suæ carnis.

Cæterùm, quia Resurrectionis gloriosæ corporum nostrorum quatuor erunt dotes, Impassibilitas, Agilitas, Subtilitas, & Claritas S. Thom. *3. p. q. 45. art. 1.* Emin. Card. de Lauræa *in 4. sent. tom. 4. tota disp. 21.* & Mastrius *in Theol. Moral. disp. 25. quæst. 4.* pro quibus data nunc est nobis in pignus Sacra Eucharistia, de qua canit Ecclesia, *& futuræ gloriæ nobis pignus datur*,
13 observare liceat, manifesta signa earundem dotium in servorum Dei corporibus, quamvis nondum vita mortali exutis, emicantium.

Pro Impassibilitate reassumantur hic exempla illorum, qui ex inedia longæva nullam sentiebant erumnam, paulò ante rela-
14 ta. His addamus I. quod Satyrus Sancti Ambrosii Frater, Eucharistiam collo appensam habens, incolumis in naufragio servatus fuit, teste Card. Baronio Ann. 383. II. Consimile de S. Bynno narrat Surius 3. *Decembris*. III. Maximianus, postea Syracusarum Episcopus effectus, cum aliis in Adriatico mari in gravem tempestatem incidit. Desperata salute, quilibet peccata sua confessus est, sumptaque Sacra Eucharistia, Deo se commendarunt. Navis diebus octo, aquis plena usque ad superiores tabulas, iter proprium peragens enatavit. Nono demum die in portum delata, simul ac homines ex navi sunt egressi in conspectu omnium submersa est *ex S. Gregor. Papa lib. 3. Dialog. cap. 36.* IV. Puer autem ille, filius Hebræi Vitriarii, à patre in clibanum ignis ardentis projectus, eò quia cum aliis pueris Christianis, Sacram Synaxim (ut mox tunc erat) comedisset, & à Deipara mirabiliter illæsus ab igne servatus, ut scribit Evagrius *lib. 4. cap. 36.* unà cum supradictis casibus, aliisque brevitatis causâ omissis. Impassibilitatis dotem futuram, virtute Eucharistici panis, astruit in corporibus resurrecturis immortalibus, dum adhuc in carne mortali mortem pati non potuerunt tot, & tanti Sacra Communione muniti.

15 Pro Agilitatis dote testantur elevationes mirabiles in aera. I. Sancti Philippi Nerii, Sacramentum Eucharisticum dispensantis *lib. 2. ejus Vitæ cap. 1.* II. Sancti Francisci Xaverii in eodem sacro ministerio Tursellin. *in ejus Vita lib. 6. cap. 5.* III. Sancti Ignatii de Loyola Missam Celebrantis. *Ex Processu Canonizat. fol. 199. & in ejus Vita, typis data Venetiis Anno 1687. ad pag. 216.* IV. S. Teresiæ devotè communionem Sacram recipientis. Didacus *de Yepes Episc. Tarraconen. in ejus Vita lib. 3. cap. 20.* V. S. Mariæ Ægyptiacæ gradientis super aquas Jordanis, ut Sacram Eucharistiam ab Abbate Zosimo posset accipere. Surius *die 9. Aprilis.* VI. S. Christinæ mox Eucharistico cibo roboratæ Mosam, Galliæ Belgicæ fluvium maximum siccis pedibus transeuntis. Nicol. Laghi *de Mirac. SS. Sacram. tract. 2. diss. 3. cap. 25.* VII. S. Birgittæ Virginis Hiberniensis, per maris undas pulcherrimam Casulam ad divinum Sacrificium celebrandum præpararam, in fiscella scirpea inclusam, ad S. Senanum Abbatem mittentis, & ab eo Sacram Eucharistiam in eadem fiscella obsignatam, mare obsequente, ac deferente, recipientis: nec non Beatæ Cannereæ Virginis ex desiderio Communionis Dominicæ ad eumdem Sanctum Abbatem super undas maris ambulantis, illam Deo dirigente, cui mare, & venti obediunt, ut ex Godefrido Henschenio *Soc. Jesu in Vita S. Senani Abb. 8. Martii* transcribit Carolus Gregor. Rosignol *in Mirabilib. Dei in Sanctis suis part. 2. Mirab. 16.* VIII. His addatur, quod legitur de Sancto Petro de Alcantara, *qui in aera frequenter sublatus miro fulgore coruscare visus est, & rapidos fluvios sicco pede trajecit.* Brev. Roman. lect. 5. IX. Et de Sancto Hyacintho Confessore, quem maximis Deus miraculis illustravit, *Interque illud insigne, quod Vandalum fluvium prope Visegradum*

aquis

*aquis redundantem nullo navigio usus trajecit, suens quoque expanso super undas pallio traductis* Id Breviar. Rom. lect. 6. X. Item de Sancto Raymundo de Penafort, qui *ex Insula Baleari majori Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, & suum Cœnobium januis clausis est ingressus* Breviar. Rom. lect. 6. XI. Pariter de Sancto Francisco de Paula, *cujus, multis miraculis, Sanctitatem Deus testari voluit, quorum illud in primis celebre, quod à nautis rejectus, Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio cum socio transmisit.* Idem Brev. Rom. lect. 6. En igitur Agilitatis dos communicata viris Sanctis etiam in corpore mortali, præcipuè ob ardentem eorum charitatem, & devotam frequentiam Sacramentati Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, qui hujus dotis est auctor, & Dominus, quam etiam discipulis suis ostendit, dum *venit ad eos ambulans super mare.* S. Thom. *3. p. 3. q. 45. art. 1.*

Dos Subtilitatis, sivè Spiritualitatis in corporibus gloriosis resurrecturis, operabi-16 tur in illis, ut sint similes spiritibus, & omne solidum possint penetrare, sicut Christus Dominus resurgens ex mortuis è sepulchro clauso exivit, & ingressus est, ubi erant discipuli, etsi fores essent clausæ, ideò ait S. Jo. Damascen. *lib. 4. de fide Ortodoxa cap. 28. Resurget corpus spiritale, subtile, hoc enim significat spiritale; quale post Resurrectionem Corpus Domini erat, cum per januas clausas transiret.* Quod latè probat SS. Patrum auctoritatibus, & rationibus Emin. Card. de Lauræa *in 4. Sent. d. tom. 4. de Beatitudine Corporum disp. 21. art. 7.* Hanc igitur Dotem, iisdem corporibus gloriosis impertiendam, virtute Sanctissimæ Eucharistiæ, confirmant transitus miraculosi plurimorum Servorum Dei, erga Sacram Synaxim summa devotione affectorum, qui adhuc in mortali hoc ergastulo, tamquam puri spiritus, ambulantes super pennas ventorum, veloces in longinqua transmeare; & loca clausa penetrare potuerunt; quorum nonnulla exempla brevi manu cumulabo. I. *In actis Apost. cap. 8.* Postquam Philippus Diaconus sacro fonte proluerat Eunuchum Reginæ Candacis in Gaza, raptus est à spiritu Domini; & mox inventus est in Azoto. II. *S. Joannes Damascen. Orat. 2. de Dormitione Deiparæ* ait: Ex antiqua traditione accepimus, quod tempore gloriosæ dormitionis Beatæ MARIÆ VIRGINIS MATRIS DEI, universi Sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem hominum peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerint Hierosolymis. III. *Card. Baron. anno 546.* notat, quod cum Georgius Abbas in monte Sina impensè cuperet, ultimo vitæ suæ anno Sacram Eucharistiam sumere, ipsa nocte anniversaria Christi Domini resurgentis, in Ecclesiam Hierosolymitanam illuc ex monte Sina subitò deportatus est, actisque mysteriis, Deus cellulæ ipsum eadem nocte restituit. IV. *In annal. Minor. anno 1231. num. 23.* narratur insignis illa Divi Antonii Confessoris ex hac Urbe Patavina Ulyssipponem transvolatio, ubi genitorem suum ab impostura homicidii liberavit, toto die cum parentibus stetit, & sequenti mane Paduam more Angelico reversus fuit. V. At de ingressu januis clausis dictum est supra, Sanctum Raymundum de Penafort, transfacto mare super pallio, Cœnobium suum introiisse foribus clausis. VI. *Sanctus Emmoldus Abbas*, quadam die cum ante fores clausas Ecclesiæ staret, Custos propero cursu circumiens, aperire Ecclesiam Abbati properavit, at cum januis clausis in Ecclesiam ingressum, orantemque invenit. VII. *Pater Mutius Abbas*, quodam tempore clausis ostiis, fratribusque in superioribus solariis sedentibus, ipse ingressus est ad eos. VIII. *Beata Clara de Agolantibus* fundatrix Monialium Angelorum Arimini, cum esset solita in Viridario Conventus coram Imagine Salvatoris seipsam duris flagellis cædere, Moniales ostium viridarii clavibus, seraque obserarunt, sed ipsa portas, murumque penetrando, intactis seris in hortum ibat, & cruento sui corporis Sacrificio vacabat, Monialibus maximo cum stupore observantibus, ita de his tribus testatur Jo. Bonifac. Bagatta *in Admiran. Orb. Christ. tom. 1. lib. 5. cap. 5. num. 44. 45. & 46.*

Tandem dotem Claritatis consequentur in

tur in Resurrectione corpora eorum, qui 17 devotione in Sacram Eucharistiam exarserint; juxta Apostoli expectationem *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit Corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ* *Ad Philipp.* 3. 20. Ubi glossa Interlinealis ait *Assimilabitur Corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione;* de qua quidem dote Claritatis piè, ac eruditè disputat Emin. Card. de Lauræa *in cit. tom. 4. in 4. sent. disp.* 21 *art.* 5. ubi examinat verè, & propriè quid erit ipsa Claritas corporum beatorum? Nec non, utrum eadem corpora beata futura sint luminosa pervia, seu perspicua, ac diaphana? Aut lucida densa, & opaca? Quæ legisse lectorem non pigebit, prout ea, quæ scribit de iisdem quæstionibus Mastrius *in Theolog. Morali disp.* 25 *num.* 82. & 83. Porrò quod attinet ad probationem dotis hujusmodi exemplis Sanctorum, nimium laboriosum esset illa referre, cum frequentissimè, in omni sæculo, servi, ac famulæ Dei donati fuerint hac dote Claritatis corporalis, dum essent in hac vita mortali, præcipuè tempore Communionis Eucharisticæ, ut videre est apud d. Jo. Bonifac. Bagattam *in cit. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. § 4. ubi centena, & ultra cumulat exempla, *& tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. § 6. ex quibus hæc pauca sufficient. I. Sancta Catharina Senensis pluries, sed præcipuè cum ad altare ad communicandum accederet, faciem rubicundam, & emicantem habebat. *Ex ejus Vita* Bagatta *d.* § 6. *num.* 17. II. In Gallia Sanctus Silvanus Monachus, & faciem sole clariorem, & vestimenta ut nivem dealbata visus est possidere, dum Sacram Eucharistiam acciperet. *In Menolog. Cistercien.* 12. *Kal. Martii.* III. Beatam Margaritam Abbatissam Vallisgratiæ, Sacra Eucharistia percepta, plures intuiti sunt cum Angelica facie immenso splendore collucentem. Ugo Menard *de eadem.* IV. Beata Catharina Bononiensis pallebat semper jejunio, & ab ipsa natura erat deformi facie, sed dum Eucharistiæ sumebat Sacramentum, pulcherrima videbatur. Vadingus *in Annal. Minor. de eadem ann.* 1463. V. Venerandam Agnetem de Santillon Sanctimonialem Ordinis Cisterciensis affirmabant sorores vidisse, quoties ipsa Sacram Communionem accepisset, roseo planè colore perfusam, cum talem aliàs vultu pallida semper esset. Arnold. Rayssius *in Auct. de eadem* 28. *Martii.* VI. Frater Ruffinus à S. Urso Capuccinus cum sacrum Domini corpus populo spectandum attolleret, vultum solis instar emicantem præseferebat. Boverius *in Annal. Capuccinor. Ann.* 1575. De Sanctis in hoc præsenti sæculo Canonizatis, Carolo, Philippo Nerio, Teresia, Ignatio, Francisco Xaverio, De Sales, Borgia, Cajetano, Magdalena de Pazzis, aliisque superfluum est splendores vultuum, & vestimentorum, dum adhuc viverent, referre; leguntur enim passim in eorum Vitis, & Bullis Pontificiis Canonizationis eorum. Concedat misericors, & pius Redemptor noster, ita nos esse devotos erga Venerabile sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum, ut supra relatas quatuor gloriosas Dotes in resurrectione corporum mereamur adipisci. At, quia profecta est spiritualis vita, pro obtinenda gloriosa, studeamus nunc attendere ad vitam spiritualem, ut possimus transire ad immortalem. Habet vita spiritualis quatuor easdem Dotes, ut doctè scripsit Julianus Haynovius Soc. Jesu *in lib.* 24. 18 *Veritatum* (à me compendiosè, & Italico sermone pro usu hujus Seminarii Patavini anno 1681. transcriptarum) in Vigesima secunda quarum *parti primo*, sic legitur: *La Vita spirituale hà le sue Doti à similitudine della Vita gloriosa, poiche dà all' intelletto il dono della Chiarezza, con cui conosciamo le Verità eterne, e coll' uso, & esercizio loro diventiamo riguardevoli. Alla Volontà nostra* 19 *conferisce il dono dell' Agilità, col quale siamo fatti tanto pronti ad ogni cenno del Divino Volere, che i lo accenniamo, e lo mettiamo in esecutione senza tardanza. Rende degno il nostro Appetito Concupiscibile della Dote dell' Impassibilità in modo, che non siamo più molestati da movimenti sensuali. E all' Appetito irascibile compartecipa la Dote della Spiritualità, ò sottigliezza, lo quale ci fà trascendere, e trapassare tutte le difficoltà, siccome a' Corpi gloriosi ogni cosa è aperta, e senza ostacolo alcuno.* Igitur has Dotes in præsenti

senti vita imploremus humili corde ab Eucharistia Sacrosancta, ut ab eadem Doces gloriosas recipiamus in futura.

## DECISIONIS XLVIII.

Ad Octobris Primum Casum

### ARGUMENTUM

Disputatur, an qui communicat, tempore Paschali, in Ecclesia Cathedrali; & non in propria Parochia, satisfaciat Præcepto *Can. Omnis Utriusque sexus. De Pænit. & Remiss.?* Proponuntur argumenta pro affirmativa opinione. Deinde pro negativa, quæ amplectitur in resolutione casus, evacuatis argumentis contrariis, & relatis non inelegantibus eruditionibus circa Cathedralem Patavinam, & Congregationem Parochorum ejusdem Civitatis.

### SUMMARIUM

1 *Fideles olim Missam audire, & Sacramenta recipere tenebantur in propria Ecclesia.*
2 *Regularibus concessum dispensare Eucharistiam fidelibus præterquam per Viaticum, & tempore de Præcepto.*
3 *Eucharistia recipienda per fideles de præcepto semel in anno, tempore Paschali, à proprio Parocho.*
4 *Præcepto Communionis Paschalis an satisfaciat communicans in Cathedrali?*
5 *Cathedralis Ecclesia est Parochia totius Civitatis, & Diœcesis.*
6 *Cathedralis Ecclesia unde dicta?*
7 *Episcopus potest dispensare Sacramenta omnibus de sua Civitate, & Diœcesi.*
8 *Pœnitentes olim tenebantur se præsentare Episcopo pro absolutione, scilicet Publici num. 27*
9 *Archipresbyteri Ecclesiæ Cathedralis officium est administrare Sacramenta.*
10 *Doctores, qui tenent posse in Paschate communionem fieri in Ecclesia Cathedrali?*
11 *Consuetudo facit, ut communicantes in Cathedrali satisfaciant Præcepto de Communione Paschali.*
12 *Communicans in Cathedrali, absque licentia Parochi, non satisfacit Præcepto de Communione Paschali.*
13 *Communio Paschalis recipienda est à proprio Parocho.*
14 *Parochiæ debent esse distinctæ.*
15 *Matrimonium contrahi non potest coram Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis ab iis, qui stant sub aliena Parochia.*
16 *Archipresbyter, & alii Curati Ecclesiæ Cathedralis non possunt dare Viaticum, vel Extremam Unctionem habitantibus in aliena Parochia.*
17 *Absurda plurima oriretur, si illi de Ecclesia Cathedrali possent dare Sacramenta alienis Parochianis.*
18 *Doctores tenentes, Communicantem in Cathedrali non satisfacere Præcepto.*
19 *Lex ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus.*
20 *Ecclesia Cathedralis erat sola antiquis temporibus in omni Diœcesi.*
21 *Cathedralis Ecclesia Patavina usque ad annum 624. fuit, ubi est Ecclesia Sanctæ Sophiæ, & erat unica Parochia Civitatis.*
22 *Congregatio Parochorum Paduæ quando, & à quo instituta?*
23 *Cathedralis Ecclesia Patavina baptizat omnes infantes, à Sabbato Sancto usque ad Dominicam in albis, in memoriam antiquæ suæ universalis Parochialitatis in urbe.*
24 *Parochi Patavini habent stallum, & locum in choro Ecclesiæ Cathedralis, & jus intonandi Litanias, & deferendi sacras Reliquias in Processionibus in signum quod sunt de gremio Cathedralis, & ejus veri, ac antiqui Capellani.*
25 *Archipresbyter Patavinus exoneratus Cura animarum, ea translata in*

Sen

*Sex Mansionaria, qui soli sunt Parochi Ecclesiæ Cathedralis*

26 *Episcopus potest administrare Sacramenta in sua Diœcesi etiam invito Parocho*

27 *Pœnitentes Publici absolvebantur olim ab Episcopo tantùm*

28 *Pœnitentiæ Sacramentum hodie ex generali consuetudine administratur à quocunque Sacerdote approbato per Ordinarium*

29 *Periculum non est dandum Parochianis vagandi, & mentiendi circa receptionem Communionis Paschalis*

30 *Archipresbyter Cathedralis alinerat Vicarius Episcopi circa administrationem Sacramentorum*

31 *Consuetudo etiam immemorabilis sublata est circa administrationem Sacramenti Eucharistiæ in Paschate alienis Parochianis*

32 *Innocentius XI declaravit, non satisfacere Præcepto communicantem in Paschate extra Parochiam, quamvis in Basilicis Romæ*

33 *Decreta S. Cong. Concilii ligant in utroque foro*

## PRIMUS CASUS.

*Parochus, exigendo à suis populis schedulas datas in Communione Paschali, reperit inter illas unam Ecclesiæ Cathedralis, ubi quidam de sua Parochia communicavit. Quæritur, an iste satisfecerit Præcepto?*

PRo intelligentia oportet repetere, quod 1 scriptum est supra *Decis.* 24. ad secundum Casum mensis Maii hujus anni 1689., videlicet, quod in primitiva Ecclesia, omnes Christi fideles diebus festivis non poterant audire Divina officia, neque Sacram Communionem recipere, nisi in eorum Parochiali Ecclesia, & à proprio Parocho *cap. In Dominicis* & *cap. Nullus* 9. q. 2. *cap. Placuit ult. de Pœnit. dist.* 6. & *cap.* 2. *de Parochiis*. Sed invectis in Ecclesia Catholica omnibus Regularibus, ob eorum eximiam sanctitatem, & doctrinam, à Se- 2 de Apostolica iisdem concessum fuit, ut Sacramentum Eucharistiæ omnibus fidelibus ad eosdem confluentibus, possent dispensare Tamburin. *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 3. præterquàm per Viaticum in articulo mortis, & in tribus temporibus annuis, in quibus omnis Christianus obligatus erat Sacram Communionem recipere à proprio Parocho, videlicet in festo Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes juxta *tex. in cap. Etsi non frequentius* 16. & *cap. Seculares* 19. *De Consecrat. dist.* 2. Quæ triplicata annualis 3 obligatio, refrigescente orbis Christiani charitate, restricta fuit ad recipiendum saltem semel in anno, tempore Paschali, Eucharistiæ Sacramentum à proprio Pastore, per Concilium generale Lateranense Quartum, Anno 1215. sub Innocentio Papa Tertio, de quo in *cap. Omnis Utriusque Sexus* 12. *De Pœniten.* & *Remission.* Et eamdem obligationem confirmavit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *de Sacrosancta Eucharistiæ Sacramento can.* 9. & *sess.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ can.* 8. Itaut extra omnem dubitationem in præsenti apud Catholicos sit, Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis ad communicandum in propria Parochia, tempore Paschali pro adimplendo supradicto Præcepto Ecclesiæ de quo in *cit. cap. Omnis utriusque sexus*.

Hoc stante dubitare contingit, an eidem obligationi satisfecerit ille, qui in Pascha Resurrectionis Dominicæ receperit Sacram Communionem non in propria 4 Parochia, sed in Ecclesia Cathedrali, prout in casu? Et prima fronte videtur respondendum affirmativè, ex sequentibus motivis.

Primò. Quia Ecclesia Cathedralis appellatur Parochia totius Civitatis, & Diœ- 5 cesis. Card. *in Clem. Dudum.* § *Verum. De Sepult.* Belletus *disquis. Cleric. part.* 1. § 3. *num.* 45. Ergo qui in ea communicat tempore Paschæ, in propria Parochia communicat, & sic satisfacit præcepto.

Secundò. Cathedralis Ecclesia est propria Ecclesia Episcopi, & ideò dicitur Ca- 6 thedralis, ab ejus Cathedra, quæ semper manet in ipsa. *cap. Nec numerus Vers. Cathedraticum* 10. q. 3. *cap. Renovantes* 22. *dist.*

Azor.

*Azor tom. 2. lib. 9. cap. 3. dub. 24.* Tondut. *Resol. benef. part. 2. cap. 2. § 1. num. 4. &* Moscon. *de Majest. militan. Eccl. part. 1. cap. 15. in princip.* Sed Episcopus potest dispensare Sacramenta omnia unicuique de
7 sua Civitate, & Diœcesi. *cap. Quæcumque 10. q. 1. cap. Præcipimus. 12. qu. 1.* etiam invitis Parochis. Genuens. *in Prax. cap. 76. in fine.* Ergo qui recipit Communionem in Cathedrali satisfacit Præcepto.

Tertiò. Quia valet argumentum de Sacramento Pœnitentiæ ad Sacramentum
8 Eucharistiæ, cum de utroque sit eadem dispositio *in cit. cap. Omnis utriusque sexus.* Sed antiquitùs Pœnitentes tenebantur se præsentare Episcopo in Ecclesia Cathedrali pro absolutione obtinenda à peccatis. *cap. in capite dist. 50.* Ergo ibidem poterunt etiam suscipere Eucharistiam.

Quartò. Quia auferenda sunt obstacula, quibus fideles possent retrahi à bono. Sed multi Parochiani ob diffidentiam cum suo Parocho retraherentur à receptione Eucharistiæ, si à solo Parocho, non autem in Cathedrali Ecclesia possent eam sumere. Ergo.

Quintò. Quia id videtur permissum ex-
9 presse *in cap. Officium. 3. & ibi Glossa in Verb. A foris veniunt. De Offic. Archipresb.* ubi statuitur, inter cætera ministeria Archipresbyteri Ecclesiæ Cathedralis præcipuum esse administrare Sacramenta omnibus de Diœcesi confluentibus ad illam.

Sextò, hujus textus, & Glossæ auctoritate freti pronunciarunt, communicantem tempore Paschali in Ecclesia Cathedrali satisfacere præcepto Ecclesiæ omnes infrascripti Doctores, videlicet ex Cano-
10 nistis Barbosa *de Canonic. cap. 6. num. 20. & de Paroch. cap. 20. num. 12.* Genuensis *d. cap. 76. num. 22.* Guttierez *quæst. Canonic. lib. 1. cap. 27. num. 24.* Oldrad. *cons. 230. num. 2. in fine.* Sbrozzius *de offic. Vicar. lib. 1. qu. 3. num. 18. & lib. 2. quæst. 14. num. 1.* & Michael Ant. Frances *de Eccles. Cathedral. cap. 21. à num. 104. & seqq.* Ex Moralistis autem Bonacina *de Sacramentis tom. 1. disp. 4. quæst. 7. punct. 2. num. 11.* Gesualdus *in Theol. moral. tom. 1. tract. 12. cap. 4. num. 20.* & Tamburin. *de Commun. lib. Unic. cap. 4. § 4. num. 47.*

Septimò, horum opinioni robur addit consuetudo, quæ ubique vigere censetur, & concedere, ut confluentes ad Ecclesiam 11 Cathedralem, & in ea communicantes tempore Paschæ satisfaciant præcepto, ut testatur Diana *part. 9. tract. 9. resol. 65. aliàs 64. & part. 11. tract. 7. resol. 28.* Quas inveniet Lector in Opere Coordinato *tom. 2. tract. 2. resol. 15. & resol. 16.*

His tamen non obstantibus, contrarium est tenendum, & præscindendo Communionem, quam suis manibus daret Episco- 12 pus, ut infra declarabitur, affirmandum venit, non satisfieri præcepto Communionis Paschalis ab illo, qui deserens propriam Parochiam, sine licentia sui Parochi Communionem accipit in Ecclesia Cathedrali. Rationes irrefragabiles sunt.

Primò, quia pro satisfactione præcepti Concilium Lateranense requirit, ut Communio Paschalis recipiatur à proprio Paro- 13 cho, ut expresse loquitur *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœniten. & Remiss.* cujus hæc sunt verba: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Sed qui administrant Eucharistiam in Ecclesia Cathedrali (excepto Episcopo) non sunt proprii Parochi illius exteri ibi communicantis. Ergo non satisfecit præcepto.

Secundò. Quod autem non sint Parochi proprii illi, qui administrant Sacramenta in Cathedrali respectu habitantium in alienis Parochiis, constat tum *ex Can. Eccle-* 14 *sias 13. q. 1.* ubi antiquitùs fuerunt divisæ Parochiæ, tum *ex Sacro Concilio Trid. sess. 24. de reform. cap. 13.* ubi, *Mandat Sancta Sinodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licite Sacramenta*

Cc *susci-*

*suscipiant*. Igitur cum in Civitate sint distinctæ Parochiæ, ut supponitur in casu, & iste Parochianus, qui vadit pro Communione ad Cathedralem, habeat suam propriam Parochiam, & suum proprium Parochum, illum scilicet, sub quo habet domicilium, sequitur, Sacerdotes Ecclesiæ Cathedralis, etiam Archipresbyterum, ut infra in responsione ad quintum, non esse proprios Parochos ejusdem communicantis.

Tertiò. Aliàs sequeretur, quod quilibet de Civitate, & Diœcesi posset contrahere Matrimonia coram Curatis Sacerdotibus Ecclesiæ Cathedralis, vel coram 25 Archipresbytero ejusdem. Quod tamen nemo est qui affirmet, immò manifestè esse falsum probat Sanchez *de Matrim. lib. 3. disput. 27 num. 2.* & Pontius eodem *tract. lib. 5. cap. 12. num. 7.* Ea ratione quia Concil. Triden. *sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.* pro illius Sacramenti validitate requirit præsentiam proprii Parochi, sicut Lateranense Concilium pro adimplendo præcepto Communionis Paschalis requirit, eam recipi à proprio Sacerdote.

Quartò. Eadem ratione hæc opinio confirmatur, quia neque Curatis, neque Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis licitum est portare Viaticum, vel dare Extremam 26 Unctionem infirmis degentibus sub aliis Parochiis, ut decisum refert à Sacra Congregatione Barbosa *in Decis. Apostol. collect. 275 num. 3. Verb. Ecclesia Cathedralis*, & quidem jure, nam pro administrandis Sacramentis necessaria est Jurisdictio, hæc autem haberi non potest nisi in subditos; At non est subditus, qui degit in aliena Parochia, & nullibi reperitur concessum Ecclesiæ Cathedrali, ac ejus Curatis, ut hi exerceant Jurisdictionem in alienos Parochianos; immò contrarium est statutum *in cap. Placuit de pœnit. dist. 6.*

Quintò. Quia si licitum foret unicuique deserere propriam Parochiam, & adire 27 Ecclesiam Cathedralem pro Communione Paschali, plura sequerentur absurda, siquidem daretur confusio in regimine Ecclesiæ animarum, frangeretur pax inter Parochos, videntes ab illis de Ecclesia Cathedrali poni falcem in eorum messem, & eorum jus usurpari; & quod magis urget, proprius Pastor nesciret rationem reddere ovium suarum, dum esset facile Parochianis illis, qui quærunt excusationes in peccatis, malitiosè, dolosum mendacio asserere, se satisfecisse Præcepto Ecclesiæ de Confessione annua, & Communione Paschali in Ecclesia Cathedrali; quod immediatè est contra mentem, & finem Conciliorum Lateranensis, & Tridentini, locis supracitatis, ubi volunt à proprio Parocho Sacramenta recipi, pro satisfactione præcepti, ad obviandum fraudibus, & ut omnis Pastor videat vultum sui pecoris, & certus sit de ejus statu, de quo est Deo rationem redditurus.

Sextò. Idcircò communicantem in Ecclesia Cathedrali tempore Paschatis, nisi de manu Episcopi, vel de licentia ejus, 28 aut proprii Parochi, non satisfacere Præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ tenent, & docent gravissimi Theologi, & Canonistæ videlicet Emin. Card. de Lugo *in Responsis moralib. lib. 1. dub. 15.* Gobat *in Theolog. Experim. tract. 3 num. 66.* Coroninus Illustr. Controvers. *lib. 2. Controv. 4. num. 153.* Diana *cit. part. 9. tract. 9. resol. 65 num. 2.* Et novissimè doctissimus Vir, & Advocatus in Romana Curia Jacobus Pignatelius *tom. 7. Consult. 89. à num. 12. & seqq.*

Septimò quia in quacunque Diœcesi habentur Constitutiones Synodales, quæ præcipiunt, fieri Communionem Pascha- 19 lem à quocunque in propria Parochia, nihil dicendo, vel excipiendo circa Ecclesiam Cathedralem, de qua quidem Episcopi essent locuti, si voluissent permittere suis subditis, ut ad illam confluerent, propria Parochia relicta, pro adimplendo Præcepto Communionis Paschalis, ut observat Gobat *d. tract. 3 num. 67.* Hinc sequitur, quod ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *cap. Romanorum. dist. 9. Clem. ult. de Rescript.* quia lex si voluisset, expressisset. *cap. Ad audientiam 2. de Decimis. cap. 2. de Transact.* Cumque leges Synodales generaliter dicant, quod quilibet in Paschate Communionem recipiat à proprio Parocho, generaliter

raliter sunt intelligendæ, exclusa etiam Cathedrali Ecclesia Barbosa *in Axiomat Jure Axiom* 136 *num* 1.

Neque subsistunt, quæ fuerunt in contrarium considerata. Nam quo ad Pri-20 mum. Quod Ecclesia Cathedralis appelletur Parochia totius Diœcesis, intelligitur per Antonomasiam, & respectu antiquissimorum temporum, in quibus, desudantibus Episcopis in prædicatione Evangelii, vix in quacunque Civitate, & Diœcesi erat Ecclesia una, in qua Divina officia peragerent, & Sacramenta Fidelibus administrarent; & hæc Ecclesia erat Cathedralis, prout in hac Civitate Patavina, ab anno Incarnati Verbi XLVI. (in quo prædicabat Catholicam Fidem Patavii S. Prosdocimus Discipulus S. Petri Apostolorum Principis, & hujus Urbis Antenoreæ primus Antistes, & Apostolus) usque ad an-21 num DCXVI. una tantùm erat Ecclesia Parochialis, videlicèt ipsamet Cathedralis sub nomine Sanctæ Sophiæ extra muros Civitatis quam postea anno DCXXIV, Tricidius Fontana Episcopus Patavinus transtulit intra mœnia, & collocavit in medio Civitatis, prout ex antiquis scripturis deprompsit nuper eruditissimo calamo Sertorius Æques Ursatus in sua Historia Patavina *part.* 1. *lib.* 1. *pag.* 51. & *part.* 1. *lib.* 2. *pag.* 135. 143. & 154. cui concordant Angelus Portenarius *in eadem Histor. lib.* 9. *cap.* 2. & *cap.* 4. & Jacobus Cavacius *Histor. Cœnobii D. Justinæ lib.* 1. *pag.* 33. Igitur priscis illis temporibus Cathedralis Ecclesia Patavii erat Parochia totius Civitatis, & Diœcesis, in qua quidem Ecclesia Cathedrali administrabantur Sacramenta incolis Paduanistum à Sacerdotibus, qui appellabantur Capellani ejusdem Cathedralis, tum ab Archipresbytero, primævo, & principali Parocho, atque Vicario Episcopi in hoc ministerio curæ animarum. At reddita tranquillitate toti Italiæ, & adaucto populis Patavinis, fabricatæ fuerunt aliæ Ecclesiæ in Urbe, & in Diœ-cesi, quarum regimen demandabatur iis-22 dem Sacerdotibus Capellanis, quorum Congregatio fuit ab Episcopis Patavinis instituta, & Decenis, ac Quartesiis dotata, ut animarum gubernio vacarent in prædictis Ecclesiis, quæ postea erectæ fuerunt in Parochiales, & separatæ omninò ab Ecclesia Cathedrali, factæque independentes circa administrationem Sacramentorum à Capitulo, & Archipresbytero ejusdem Cathedralis Ecclesiæ, con-23 firmata tamen reciproca prærogativa huic, & illis, in signum antiquæ unionis, videlicèt, quod à die Sabbathi Sancti usque ad Dominicam in Albis, nullus Parochus Urbis Paduæ possit Baptismi Sacramentum conferre; sed infantes sacro fonte abluendi, per dictum tempus, portentur ad Cathedralem; in ejus præeminentiæ obsequium, & veteris universalis Parochialitatis memoriam. E contra iisdem Parochis Patavinis reservatus fuit locus in Choro Ecclesiæ Cathedralis, & Jus intonandi 24 Litanias, dum publicæ supplicationes peraguntur, cum solita eleemosyna sex solidorum Parocho intonanti, nec non prærogativa induendi Pluviale, & deferendi tum miraculosam Deiparæ Imaginem (quæ erat DD. de Zabarellis Nobilium Paduæ Portenar. *lib.* 9. *cap.* 4.) tum Reliquias Sanctorum, ac demum Jus incensandi in Missa eosdem Parochos per unum è Capellanis ejusdem Cathedralis, ac iisdem dandi Pacem, prout fit cum aliis de gremio ipsiusmet Ecclesiæ, & Chori in signum quod ipsi Parochi olim erant Sacerdotes, & beneficiati de gremio prædictæ Ecclesiæ Cathedralis, cui propterea remansit Jus Parochiale tantummodo super vicis, & domibus conti-25 guis, quod Jus diù exercitum fuit ab Archipresbytero; à quo tandem fuit translatum in sex Mansionarios, distincta eadem Parochia, in sex partes, unicuique assignata sua Parochia, & populi parte ad præscriptum Concil. Trident. *cit. sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* adeout nunc ipsi Mansionarii sint veri, & proprii Parochi intra limites sibi assignatæ Parochiæ, & nullus alius possit se intromittere absque eorum licentia in administrandis Sacramentis, non solùm ex Commansionariis, sed neque ipse Archipresbyter, in quo nunc stat sola cura Habitualis sine exercitio, ut latè probat Nicolaus Noa-

*lis conf.* 69. *per totum*. Adinstar Capituli Sancti Petri de Urbe habentis curam Animarum habitu, ejus exercitio existente penes Vicarium perpetuum, privativè quo ad ipsum Capitulum, ut notat Fagnan. *in cap expositis num.* 42. *de Præbend.* Hæc, quæ de Ecclesia Cathedrali Paravina cursu temporis sic mutata leguntur, & videntur; similem exitum etiam alibi habuisse testantur Barbosa *de Parocho cap* 1. *num* 17. Puteus *lib* 1. *decis.* 361. *num* 5. *&* Gonzalez *gloss* 6. *à num* 77 *& seqq.* ubi affirmat, adhuc in Hispaniarum Regnis reperiri aliquas Diœceses, in quibus unica est Parochia, eaque est in Ecclesia Cathedrali, quod confirmat Rota *part* 2. *divers. decis* 309. *num.* 5. *&* Ferentill *in addit ad* Buratt. *decis* 402. *num* 7.

Non obstat Secundum, quia nemo est, qui neget, licitum esse recipere Communionem Paschalem à proprio Episcopo in Ecclesia Cathedrali, vel alibi, etiam invito Parocho; licèt enim, ubi Parochiæ

26 sunt distinctæ, & habent proprium Rectorem, non possit Episcopus vocari Parochus, vel Rector earumdem Ecclesiarum Parochialium, Gonzal. *gloss* 6. *num* 83. Barbosa *de Parocho cap* 1. *num* 22. & Rota *part* 1. *recent Decis* 25. *num.* 4. tamen potest Episcopus in tota sua Diœcesi administrare omnia Sacramenta suis subditis, quia ipse omnium eorum est Pastor, & eorumdem animæ ipsi Episcopo sunt commissæ, quas immò debet aliquando Sacramentorum pabulo nutrire. Pax Jordan *tom.* 1. *lib* 3. *tit* 3. *num* 1. Squillant *de Oblig. & Privil Episc part* 3. *cap* 1. *&* 2. & multò magis in Ecclesia Cathedrali, cujus immediatas Parochus censetur. Barbosa *de Parocho cap* 28. § 2. *num* 13. Idcircò qui Communionem Paschalem recipiunt de manu Episcopi in Ecclesia Cathedrali, ut facere solent Excellentissimi Rectores hujus Civitatis, & alii Decuriones, Curiales, ac Cives in feria quinta Cœnæ Domini, hi quidem satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. Pax Jordan *d. tit* 3. *num* 49., at qui communicarent in Ecclesia Cathedrali de manu aliorum Sacerdotum, non satisfacerent præcepto, quia ipsi nullam jurisdictionem habent in alienis Parochianis, Hostien *in cit. cap. Omnis utriusque sexus* Card Tuscus *Litt. P. concl* 95. *num.* 7. & Barbosa *de Parocho d. cap* 1. *num.* 22.

Tertium non obstat, quia *tex. in cap In capite dist.* 50. Loquitur de publicis pœnitentibus, qui in foro exteriori absolvebantur ab Episcopo cum præsentia proprii Parochi, quasi restis super vera emendatione

27 pœnitentis. At circa Pœnitentiæ Sacramentum, etiam antiquitùs non poterant Sacerdotes Ecclesiæ Cathedralis in foro interno illud dispensare alienis Parochianis *cap Placuit de Pœnit dist* 6. Hodie tamen ob privilegia Regularium, & universalem consuetudinem, quæ trahit tacitum consensum omnium Parochorum, permissum est cuicumque Sacerdoti approbato per Ordinarium ad audiendas confessiones, illas ad se confluentium, etiam tempore Paschali audire; & super hac libertate confi-

28 tendi omnes Parochi licentiam censentur concedere, præcipuè in Civitatibus, parochianis suis, & de hoc puncto nulla est controversia.

Quartum non obstat, quia non est tanta difficultas in communicando de manu proprii Parochi, quanta in confitendo coram ipso, & quatenùs aliquis de Parochia ob honestum motivum cuperet alibi communicare, Parochus requisitus de licentia, illam concederet. Majus esset absurdum, dare libertatem ovibus vagandi, & mentiendi circa adimplementum hujus præ-

29 cepti, & hoc est cavendum. *cap in Genesi. De elect. l. Nam absurdum. ff. de bonis libert.*

Quintum non obstat, quia ut supra dictum est *cap officium De offic Archipr* & Glossa *ejusdem* est intelligenda de antiquis temporibus, quando nulla alia Parochia erat

30 in Civitate, vel Diœcesi, quàm Ecclesia Cathedralis, in qua Archipresbyter vacabat curæ animarum, & dicebatur Vicarius Episcopi in his, quæ spectabant ad forum interiorem, & administrationem Sacramentorum. At in præsenti, Cathedralium Archipresbyteri vel non habent Jus administrandi Sacramenta, vel ea administrant tantummodo his, qui sunt de Parochia ejusdem Cathedralis, & sic imminuta est Jurisdictio, quam olim habebant, ut notant

Moneta

Moneta *de Distributiōn. Quot. part. 2. q. 1 num 28.* & Barbosa *de Jure Eccles Univers' lib 1 cap 25 num. 25.* Et ideircò circa eorumdem Archipresbyterorum auctoritatem attendendas, esse consuetudines Civitatum dicunt Canonistæ, quos citat Fagnanus *in cap Ad hæc num 14 & 15 De offic Archidiac.*

Sextum non officit, quia declarandi sunt Doctores in contrarium allegati, de Communione recepta in Cathedrali de manu Episcopi, vel de Civitatibus, in quibus distinctæ non sint Parochiæ, ut dictum est supra.

Septimum de consuetudine non subsistit, tum quia *Concil Trident. d. sess 24. de Refor cap 13. in fine* revocat quascunque con-[31] suetudines etiam immemorabiles circa ingerentiam unius Parochi in his, quæ spectant ad curam alterius Parochi, cum etiam quia eamdem consuetudinem abolevit *Sacra Congregatio Concilii Anno 1649* & S. M. Innocentius Papa XI *Anno* 1682. qui declaravit, non satisfieri Præcepto Com-[32] munionis Paschalis à Communicantibus in Basilica Lateranensi, vel Vaticana, vel nationali, sed esse communicandum in propria Parochia, sub qua quisque habitat, ut testatur de certa scientia Jacob. Pignatell *d. tom 7 consult 89 num 18.* quibus Decretis cedere oportet opiniones Doctorum privatorum, cum eadem semper reverenter suscipiat, & observet Rota Romana, ut [33] habetur coram Buratto *decis. 479 num 3* ea ratione, qua ligant in utroque foro, etiam quod non sint publicata Roderic. *quæst. Regul. tom. 1 quæst 11. art 2. circa med* Ferentill *in addit ad d. decis. 479. num. 21*

## DECISIONIS XLIX.

Ad Octobris Secundum Casum.

## ARGUMENTUM.

In Trutina ponitur, An peccet mortaliter Monialis, quæ Communionem Sacram semel tantùm in anno suscipit? examinatur Regula Sancti Benedicti, & declaratur, quid esset *Mixtum*, quod Lector Hebdomadarius sumebat *propter Sanctam Communionem*. Referuntur Constitutiones Urbanæ pro Minoribus Conventualibus, ac Statuta Tertii Ordinis Sancti Francisci. Explicatur *Clem. Ne in agro. De Statu Monachor.* Adducitur Concil. Trident *sess 25. cap 10 de Regular.* Et plurimæ Synodales Constitutiones circa Communionem Monialium. Rationes pro utraque opinione ponderantur, & resolvitur, abstinentiam Monialis à Sacra Communione per plures menses esse à culpa gravi inexcusabilem.

## SUMMARIUM.

1 *Regula S. Benedicti confirmata à S. Gregorio Papa Anno 595*
2 *Cassinenses debent Eucharistiam sumere omni die Dominico*
3 *Declarationes Congregationis Cassinensis ad Regulam S. Benedicti sunt confirmatæ ab Innocentio Papa XI. & habent vim legis*
4 *Regula S. Benedicti pro Monialibus habet præceptum de Communione facienda singulis diebus Dominicis*
5 *Regula S. Francisci præcipit, Eucharistiam sumi omnibus Dominicis diebus, ac festis Deiparæ, Apostolorum, aliarumque Sanctorum Ordinis.*
6 *Regula Tertii Ordinis Sancti Francisci quam frequentiam Sacramentorum requirat?*
7 *Communio Menstrua imposita est Monachis à Clemente V.*
8 *Monachorum Nigrorum appellatione qui veniant?*
9 *Clem. Ne in agro §. Sane De Stat Monachor obligat etiam Monachos, albos, ac Moniales*
10 *Communio Menstrua à Concilio Tridentino indita Monialibus.*

11 *Epi-*

11 *Episcopi ferè omnes jubent Monialibus, ut saltem semel in mense communicent.*

12 *Communicare plus quàm semel in anno nullus tenetur de Præcepto, etsi Religiosus. Contrarium num 18*

13 *Admonens, vel exhortans non videtur velle obligare. Contrarium num. 23*

14 *Monialis non recipiens Communionem, nisi semel in anno, non est immunis à peccato mortali*

15 *Masculinum comprehendit sub se fœmininum.*

16 *Moniales gaudent Privilegiis concessis Religiosis suorum Ordinum, etsi non sint subjectæ Regularibus, sed Episcopis*

17 *Moniales tenentur de Præcepto sumere Eucharistiam semel saltem in Mense*

18 *Regulares peccant mortaliter non Communicantes saltem semel in mense*

19 *Regulæ transgressio quando sit peccatum mortale?*

20 *Moniales subiiciuntur statutis Regularium in iis, in quibus sexus non repugnat.*

21 *Judicium idem de similibus, & connexis*

22 *Verbis hortatoriis utuntur Sacri Canones etiam in materia de Præcepto*

23 *Monitio Concilii Tridentini, ut Moniales semel in mense Communicent, facit Præceptum*

24 *Communio menstrua cur de Præcepto apud Religiosos?*

25 *Ratio est præferenda auctoritati Doctorum*

26 *Doctoribus antiquis adhærendum potiùs, quàm modernis.*

27 *Rationes, ob quas Monialis non Communicans semel saltem in mense peccat mortaliter*

28 *Discrimen esse debet inter vitam Religiosorum, & vitam laicorum*

29 *Infirmus nolens recipere medicinam peccat mortaliter.*

30 *Inedia voluntaria abbreviare vitam est mortale peccatum*

31 *Jubilæum non recipiens ex pigritia peccat.*

32 *Pœnitentiam Communionis menstruæ non adimplens peccat mortaliter.*

33 *Melancholici sunt iracundi.*

34 *Monialis omittens communicare in mense ob aliquod improvisum impedimentum animæ; an peccet?*

35 *Discretione opus est in omni negotio.*

## SECUNDUS CASUS.

*Monialis professa, temperamenti melancholici, ex quo facilè movetur ad tristitiam, & iracundiam, taldio affecta, & mediæ Sacramentorum assueta, semel tantùm in anno, ad Eucharisticum convivium, tempore scilicet Paschali, accedit. Quæritur, An varius hic Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentorum usus in ea sit culpa mortalis?*

Difficillima mihi videtur hujus Casus resolutio. Idcircò pro investiganda veritate, & ad consulendum conscientiis Sanctimonialium, & earum Confessariis in hac re instruendos, tria sunt præmittenda, & adnotanda.

1 Præmissum primum. Etsi in Regula Sancti Benedicti Abbatis, quæ anno DXCV confirmata fuit in Concilio Romano à Sancto Gregorio Papa, ut notat Card. Baronius *ad Ann 595 num 59* nullum reperiatur præceptum de frequentia Sacræ Communionis, sed solùmmodo *cap 38 De Hebdomadario Lectore*, habeantur hæc verba *Lecturus tota hebdomada, Dominico ingrediatur. Qui ingrediens post Missas, & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, &c.* Et paulò inferius *Frater autem Hebdomadarius accipiat Mixtum priusquàm incipiat legere propter Communionem Sanctam, & ne fortè grave sit ei jejunium sustinere* Nihilominus in illius capitis declaratione Patres Congregationis Cassinensis hæc conscripsere *numer 3 Ex eo quod hic Beatus pater Benedictus dicit. Post Missas, & Communionem, & infra in eodem cap Propter Communionem Sanctam, ostenditur, quod qualibet Dominica die Fratres communicabant, ideò mandamus, quod*

2 *idem Sanctum, & antiquum Religionis institutum servetur in singulis nostræ Congregationis Monasteriis, nisi fortè ob reveren-*

tiam

*tiam alicujus festi solemnis differatur, aut praemittatur hujusmodi Communio*. Ex his constat in Congregatione Cassinensi esse praeceptum de Communione facienda singulis Dominicis diebus, siquidem supradictae declarationes, ad Regulam Sancti Patris Benedicti habent vim legis, nam jussu SS. Innocentii Papae Undecimi fuerunt revisae, discussae, et ubi opus esse visum fuit, correctae, & motu proprio à Sanctitate sua confirmatae die 22. Novembris 1680. ut ex ejus Bulla praeinserta eidem Regulae, & declarationibus, impressae *Romae Typis Rev. Camerae Apostolicae dicto Anno* 1680.

Praemissum secundum. Quamvis disputabile sit, an supradicta declaratio, & praeceptum de Communione singulis Dominicis diebus facienda afficiat Moniales Ordinis Benedictini, praecipue, subjectas Episcopis, ut hic Patavii, quod infra examinabitur, certum est, eamdem declarationem, & praeceptum haberi in Regulis vulgari idiomate scriptis, vel typis impressis pro Monialium Ordinis Benedictini regimine, ut ego observavi in una Monasterii S. Stephani hujus Civitatis manuscripta Anno 1506. & in aliis impressis Venetiis, annis 1581. 1594. 1627. 1656. 1672. In quibus ad declarationem *cap.* 38. Regulae, explicantur illa Verba *Frater Hebdomadarius accipiat Mixtum priusquam incipiat legere propter Communionem Sanctam*. Idest *accipiat frustulum panis, & parum Vini*, quod confirmat *Hierolexicon Macri in Verbo Mixtum* his Verbis: *Matutinum jentaculum dicitur Mixtum, quia in sola offa, sive mixtione panis, & vini consistebat*. Et idem laudis prosequuntur *P. D. Rogerius de Barulo Monachus Caelestinus in expositione Regulae Benedictinae Anno* 1538. & *P. D. Sylvanus Razzius Monachus Camaldulensis Anno* 1574. *qui ad d. cap. 38 De Hebdomadario lectore* examinat illa verba ultima: *Propter Communionem Sanctam*, & relatis variis interpretationibus aliorum *de Mixto* per lectorem sumendo, priusquam incipiat legere *Propter Communionem Sanctam*, subdit, legendum potius esse *Post Communionem Sanctam*, itaut error irrepserit in antiquis Regulae transcriptionibus, & loco *Post*, scriptum sit *Propter*; verior enim, atque germanior sensus Regulae videtur; ut lector sumat jentaculum *Post Sanctam Communionem*, ne fortè grave sit jejunium sustinere, legendo ad totam mensam. Unde sequitur; quod si lector debet sumere jentaculum post Sanctam Communionem: ita etiam quod Communio singulis Dominicis diebus est facienda à monialibus.

Tertium Praemissum. In Regula verò Sancti Francisci, relata in Constitutionibus Urbanis, quia eadem Regula, Constitutiones, & Decreta in Capitulis generalibus Religionis pro Regulari observantia emanata, confirmata, & approbata fuerunt ab Urbano Papa Octavo die 15. Maii 1628. sic legitur in *cap. 3 Regulae* n. 10. *Omnes nostri Ordinis Fratres, tàm Clerici, quàm Laici, tàm Novitii, quàm Professi, singulis diebus Dominicis (quibus Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti renovatio facienda est) Item singulis Beatae MARIAE Virginis, Sanctorum Angelorum, Apostolorumque Festis, Omniumque Sanctorum die, ac Sancti Patris nostri Francisci, Titularis, & Advocatorum Ecclesiae, Sanctorumque nostri Ordinis solemnitatibus, qua decet devotione, & reverentia, confiteantur, sacraque Dominici Corporis Communione reficiantur. Si tamen dictae Festivitates ita proximè inter se se mutuò inciderent, ut frequentior aequo tanti Sacramenti videretur usus, ex discreto Superioris arbitrio à Communione abstineant. Confessionis verò salutaris usus nullatenus (quantum fieri potest) intermittatur*. In Regula autem Fratrum Tertii Ordinis de Poenitentia ejusdem Ordinis Sancti Francisci *cap. XIV. De Sacramentali Poenitentia, & Eucharistia* ita ordinatur *Et quoniam teste Augustino initium bonorum est Confessio malorum, seroque medicina paratur (juxta illius sententiam) cum mala per longas invaluere moras, atque etiam peccatum, ut doctè disserit Gregorius, quod per Poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, summum bonum in celeritate putantes, decernimus, ut quintodecimo quoque die, aut saepius etiam (si placuerit) Fratres nostri Ordinis suis Ministris, vel* aliis

*aliis Sacerdotibus per Ministras electis sua peccata Confessione revelent, sibi injunctam pænitentiam agant. Eucharistiam summa cum humilitate, ac reverentia assumant, primo uniuscujusque mensis die Dominico, nisi Canonicorum ministri illud in alterum diem justè, ac piè distulerint.* His consonat *Clem. Ne in agro §. Sane De Statu Monachor.* per 7 quam Clemens Papa V. in Concilio Generali Viennensi Anno MCCCXII. Ne in agro Dominico, sacra videlicet Monachorum nigrorum Religione, indecorum aliquid obreperet, inter cætera, statuit, ordinavit, & præcepit, *Ut singulis mensibus, tàm in Monasteriis, quàm extra, sublata occasione quacunque, ad Confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi. Et in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent, nisi ex causa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abstineant, vel accedant.* Appellatione autem Monachorum nigro-8 rum, de quibus loquitur hæc Clementina in exordio, intelliguntur quinque celebriores Congregationes Benedictinæ, quæ sunt, in Italia Cassinensis, seu Sanctæ Justinæ de Padua, in Germania Bursfeldensis, in Gallia Casalensis, in Hispania Vallisoletana, in Lusitania Sancti Martini de Tibaes; ut notat Lezana *in Summa tom. 6. ad Mare Magnum Carmelit. num. 251.* Verùm supradictam Conciliarem Constitutionem 9 obligare non solùm Monachos nigros, sed etiam Monachos albos, quales sunt Cistercienses, Camaldulenses, Olivetani, & alii propter identitatem rationis; ac etiam Moniales docent Canonistæ, Glossa, Paulus, Imola, Bonifacius, & Cardinalis Zabarella, quos citat *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 19. quæst. 17.* & contra Moralistas contrarium opinantes tenet etiam Navarrus *in Manuali cap. 2. num. 9. & in cap. 21. num. 59.* Tandem Concilium Tridentinum loquens de frequentià Communionis habenda per Moniales *in sess. 25. de Regular. cap. 10.* ait: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores* 10 *Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas.* In conformitate autem hujus Tridentini Decreti ferè omnes Episcopi in suis Constitutionibus Synodalibus mandant Monialibus, ut semel saltem in mense Communionem Sacram sumant, uti de Ecclesia Metropolitana Mediolanensi testatur Gavant. *in Manuale Episc. Verb. Monialium Cura Spi-* 11 *ritualis num. 6.* & Corius *in Epitome Concil. S. Caroli eodem Verb. num. 4.* Et de Patriarchali Aquilejensi *Concil. in Provinc. Aquilejen. primum de Anno 1596. tit. de Monialib. Vers. Admonentur. pag. 59. tergo.* & *Constitutiones Synodales Patavinæ part. 4. tit. 6. Vers. Ac ut majorem* de hac Ecclesia Paduana, & aliæ plures. Dixi *ferè omnes*, quia Sanctus Franciscus Salesius in suis Constitutionibus, confirmatis ab Urbano Papa Octavo die 27. Junii 1626. *cap. 21.* mandat Monialibus de Visitatione, ut accedant ad Divinam Mensam singulis Dominicis, ac aliis Festis diebus de præcepto, nec non omnibus feriis quintis, excepto, si dies præcedens, vel subsequens fuerit festiva, & novissimè Eminentissimus, ac Reverendissimus Cardinalis Fr. Vincentius Maria Ursinus tunc Archiepiscopus Sipontinus, nunc autem Archiepiscopus Beneventanus, viva Sancti Caroli imago, in suo Edicto Synodali diei primæ Junii Anni 1678. præcipit Monialibus Sacram Eucharistiam recipere bis saltem in mense.

His prænotatis, deveniendo ad resolutionem casus propositi, videbatur dicendum, juxta opinionem Theologorum infra citandorum Pellizzarii, Tamburini, Bordoni, Donati, & aliorum Monialem semel tantùm in anno Communionem Sacram recipientem, tempore Paschali, esse immunem à culpa mortali ex sequentibus motivis. Primò, quia de præcepto nullus tenetur ad communicandum nisi semel in anno, etsi sit Religiosus, vel Monialis, juxta 12 *textum in cap. Omnis Utriusque sexus De Pœniten. & Remiss.* Secundò, quia Communio menstrua Monialibus indicta est tantùm de consilio, ea autem, quæ de consilio

filio sunt, non obligant ad peccatum. *cap. fin. 14 quæst. 1.* Tertiò, quia transgressio Regulæ non est culpa mortalis, nisi sit circa tria Vota, vel ex contemptu. S. Antonin. *3 part. tit. 16 cap. 1 §. 7.* ubi loquitur de Regula Sancti Benedicti. Quartò, quia Moniales non afficiuntur statutis, seu constitutionibus factis à Prælatis Religionis pro viris Regularibus, & Monachis. Quintò quia *Clem. Ne in agro. De Statu Monachor.* non est extendenda ad Moniales. Sextò, & quatenùs extenderetur, videtur correcta à Concilio Tridentino *d. sess. 25. de Regul. cap. 10.* ubi voluit Sanctimoniales admoneri ad Communionem saltem in mense, non autem obligari, quia qui admonet, vel hortatur, non intendit obligare. 13 Zerola *Verb. Moniales. Vers. Ad septimum.* Et ita docent, & tenent Pellizzarius *de Monialib. cap. 6 num. 8.* Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatissar. disp. 16 quæst. 6.* Bordonus *Variar. Resol. part. 1 resol. 20.* Donatus *in Prax. Rerum Regular. tom. 4. tract. 13 quæst. 1.* apud quos alii Moralistæ citantur.

Cæterùm, pace tantorum Virorum, mihi non videtur immunis à culpa mortali 14 Sanctimonialis illa, quæ inediæ Sacramentorum assueta, accedit ad Communionem tantùmmodo in Paschate, siquidem, reflectendo in sensu veritatis ad supradicta motiva, non reperio, quod subsistant. Non Primùm, nam non est verum, quod Religiosi, & Moniales non habeant præceptum de communicando semel saltem in mense, immò totum contrarium resultat tum ex Constitutionibus Benedictinis, & Ordinis Sancti Francisci suprarelatis, tum ex Clementina *Ne in agro*, in quibus expressè obligantur ad Communionem saltem menstruam, quod pro indubitato admittit Caramuel *in Theologia fundament. num. 764. & 765.* & tenet Glossa *in eadem Clem. Ne in agro. §. Sanè. In Verb. Mensibus.* Nec non Vasquez, Hurtadus, & alii apud Dianam *part. 8. tract. 1 resol. 16.* quæ jacet in Opere Coordinato *tom. 3 tract. 1 resol. 24.* Neque juvat dicere easdem Constitutiones vel Regulas, & dictam Clementinam obligare Monachos, & Viros Religiosos, ad quos Leges illæ diriguntur, non autem Moniales; quia immò in illis Legibus comprehendi etiam Moniales, tanquam personas militantes sub eadem Regula, tenent insignes præcitati Canonistæ, Bonifacius, Imola, & Cardinalis Zabarella *in d. Clem. Ne in agro num. 5.* relati ab Azorio *d. tom. 1 lib. 12. cap. 19 q. 17.* juxta vulgatam Regulam, masculinum comprehendit sub se fœmininum. 15 *l. Qui duos 60. in fin. ff. de legat. 3 l. justa 201 ff. De Verb. Signific.* Barbosa *de Appellat. Verbor. cap. 99 num. 48.* Et sicut Moniales gaudent Privilegiis Monachorum, seu Regularium sui Ordinis. Miranda *de Monial. q. 9. art. 4 & 5 & quæst. 10. art. 2.* Portell. *in dub. Regul. Verb. Moniales num. 11.* etiamsi non 16 sint subjectæ Regularibus, sed Episcopis. Tamburin. *de Jure Abbatum tom. 1 disp. 27. quæst. 1 in fine. Et de Jure Abbatissar. disp. 17 quæst. 2.* Lezana *tom. 6 in Mare Magnum Casinense num. 385.* ita subjiciuntur Statutis, Constitutionibus, & Legibus suorum Ordinum in iis, in quibus sexus non repugnat. Lezana *in Summa, tom. 1 cap. 25 num. 1* ubi Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1 cap. 12.* & Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 12 q. 2. num. 3 & disp. 13 q. 4 num. 9.* maximè quia eadem necessitas, & idem finis frequentandi Sacramenta est in Viris, ac in Fœminis, & ubi est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio. *l. Illud ff. ad leg. Aquil. l. A Titio ff. de Verb. Signific.* Ideò apparet verius esse quod Moniales teneantur de præ- 17 cepto ad communicandum semel saltem in mense, & non ex solo consilio (quod erat secundum motivum contrarium) & est probabilior sententia Cajetani *ad 3 part. D. Thom. de Confess. quæst. 1.* Navarri *in Manual. cap. 21 cap. 39.* Dicastilli *de Pœnit. disp. 7 num. 18.* Hurtadi *de Sacram. Pœnit. disp. 7 diffic. 8.* & aliorum apud Dianam *part. 8. tract. 1 resol. 16.* In Coordin. *tom. 3 tract. 1 resol. 24.* nec non Joan. Petri Barchi *in Speculo Religios. cap. 13.* affirmantium, Regulares non confitentes, & non communicantes semel in mense juxta *Clem. Ne in agro* mortaliter peccare: & 18 per hæc cadunt duo prima motiva contraria. Tertiùm pariter non suffragatur ex doctrina S. Antonini, loco citato, quod transgressio Regulæ non sit peccatum

 tum

tum mortale, nisi transgressio sit circa vota, vel cum contemptu. Nam in præsenti
19 casu Monialis, quæ non communicat semel in mense, peccat contra votum obedientiæ; & stans per annum sine communione, excusari non potest à contemptu, frequentia enim peccati dispositivè inducit ad contemptum ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst. 186 art. 9 & Cajetani ibi* nec non *Collegii Salmanticen tom 12. tract 11 de legibus cap 2. num. 37 & seqq.* & Peyrini *tom. 1 de Subdit quæst 1 cap. 5 § 1. 2. & 3* Et quod peccet mortaliter contra votum obedientiæ ex eo probatur, quia agitur de re gravi, gravitas autem transgressionis resultat tùm ex fine, ob quem est præcepta Communio, à quo Monialis non communicans se avertit, idest ab auxiliis, & præsidiis ad resistendum diaboli tentationibus, tùm ex jactura boni communis spectantis ad Religionem; videlicet ob malum exemplum, & scandalum, quo aliæ Moniales possunt persuaderi ad deserendam frequentiam Sacramentorum, & ad imitandum indevotos Laicos, qui semel tantùm in anno communicant, & hæ sunt duæ causæ, ob quas non obedire Regulæ, vel præceptis Superiorum in Regularibus est culpa mortalis Sayr *in Clav Regia lib 3 cap 7 num 14.* Sanchez *in Decalog lib 1 cap 4. num 2. & 3 ubi DD & lib 6 cap. 4. num. 18* Lezana *in Summa tom. 1 cap 8. num 18 & tom. 6 in Mare Magn. Carmelit num. 37* Peyrin *de Subdit quæst 1. cap. 5. § 4 dub. 4. & Collegium Salmanticen. tom 13 De Statu Religioso tract 15 cap 6 num 49.* Quartum motivum ex adverso consideratum non subsistit; quia, sicut dictum est, quemadmodum Moniales, etsi subjectæ Episcopis, gaudent privilegiis concessis Religioni Virorum, ita subjiciuntur decretis, statutis, & constitutionibus ejusdem Religionis in
20 iis, in quibus sexus non repugnat ex Suarez *de Relig. d tom. 4. lib 1 cap 12.* & Lezana *d. tom. 1 cap 25 in princ & tom. 6 in Mare Mag. Carmelitar. num 386.* Et hinc est, quod in Regula Sancti Benedicti vulgari idiomate pro Monialibus impressa, sub *cap 38* apposita est Constitutio Congregationis Cassinensis, de qua in primo præmisso, & dispositio *Clem. Ne in agro*; de qua in tertio præmisso, ne possent allegare ignorantiam circa obligationem communicandi de præcepto saltem semel in mense. Quintum motivum non me movet, quia prædictam *Clementinam Ne in agro*, extendi etiam ad Moniales supra ostendi ex sententia Cardinalis Zabarellæ, & aliorum Canonistarum, quos refert Azor *tom. 1 lib 12. cap 19 quæst 17* & suadetur ra- 21
tione, quod de similibus, & connexis idem est judicium *cap Inter cætera De Rescript cap Translato de Constitut cap In causa. De Re Judic* Et ubi materia æquè convenit mulieribus sicut Religiosis, Moniales veniunt appellatione Monachorum Fagnan *in cap Ut filii num 42 & ibi DD de Filiis Presbyter* Barbosa *In Jure Eccl. Univers lib 1 cap 43 num 14* Sextum verò motivum eget consideratione, quam non fecisse videntur illi, qui scribunt, *Clementinam Ne in agro* fuisse correctam à *Concil Trid d sess 25 de Regul cap 10.* & communionem menstruam, quæ *ob d Clementinam* erat de præcepto, conversam esse in consilium, ob illa verba *admoneantur Sanctimoniales &c* Igitur considerandum est, morem fuisse Sacrorum Conciliorum uti verbis 22
hortatoriis, & monitionis in pluribus casibus, quamvis materia esset de præcepto. Sint exempla Est de præcepto non communicare cum hæreticis, & evitare eorum consortium *cap Omnis. & cap Quæ dignior 24. quæst 1 cap Si quis Episcopus cap Sicut cap Ad abolendam de hæreticis* Attamen S. Gregorius Papa in *cap Rogo 21 quæst 3* mandant evitari hæreticos per verba hortatoria, dicens *Rogo, hortor, & moneo, ut à prohibitæ vobis communionis consortio per omnia suspendatis* ubi Glossa ait: *Verbum rogandi hic præceptivè ponitur.* Item decimarum solutionem esse de præcepto nemo ignorat. *cap Parochianos, & cap Non est in potestate hominum De Decimis* Nihilominus de adimplemento ejusdem præcepti loquitur per exhortationem, & commonitionem *cap Revertimini 16. quæst 1* ibi *Hortor vos; atque commoneo, ut inferatis decimas in horrea* In Episcopis, & in Parochis residentiam esse de præcepto non solùm Ecclesiastico, sed etiam Divino, neminem latet; verumtamen

Conci-

Concilium Tridentinum iisdem illam intimat, admonendo, & hortando, ut habetur *sess. 23 de ref. cap. 1. ibi Sacrosancta Synodus.* Et inferius *Easdem interim admonet, & in Domino hortatur*, ne scilicet in Adventu, Quadragesima, & aliis solemnioribus festivitatibus absint à residentia. Cur ita? quia scilicet mos est antiquus in utroque jure, & in Conciliis generalibus, proponere rem de præcepto cum verbis admonitionis, & exhortationis, ut docet Abbas *in cap. Nam concupiscentiam. num 3.* & Decius *num. 21 De Constitutionibus.* Albericus à Rosate *in Diction. Verb. Hortabitur.* & Fagnanus *in cap. Qualiter num. 38 De Cleric. non residen.*

Ideircò etiam in casu isto de Communione menstrua, ad quam sunt ex præcepto obligatæ Moniales, Concilium Trid. *d. cap. 10. de Regul. sess. 25* dixit, *admoneantur*

23 *Sanctimoniales*, non quia hæc communio sit tantùm de consilio, cum ex inveterata consuetudine Religionum, & ex earum statutis, nec non ex Clementina *Ne in agro* fuerit, & sit de præcepto, sed quia satis visum est Concilio, Moniales monitas fieri, juxta stylum loquendi servatum in utroque jure, per verba monitionis, de re tamen cadente sub præcepto, & ad quam adimplendam, semel saltem in mense præcisè sunt obligatæ. Ultimum restat motivum de auctoritate Pellizzarii, Bordoni, Tamburini, Donati, & aliorum per eos citatorum, opinantium, Moniales non teneri ad communionem menstruam ex præcepto, sed ex consilio. Porrò, salva semper reverentia iisdem Theologis præstantissimis quidem, & eruditissimis, eorum opinionem deserendam existimo ex duplici capite. *Uno*, ob evidentiam rationis, si

24 enim Communio menstrua est de præcepto in viris Religiosis ob bonum commune religionis, ut pietas animi, & probitas morum fulciatur frequentia Sacramentorum, sine quibus Religiosi fierent pejores Laicis; & Ecclesiasticam perfectionem pessundarent. Caramuel *in Theolog. fundament. d. num. 764. Vers. sed interrogas*, eadem ratio militat in Sanctimonialibus; quam rationem præferendam esse doceor

25 à S. Hieronymo relato *in cap. Ego solis. dist. 9.* ubi ait: *Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserint; sed quia mihi per alios auctores, vel canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint.* Et à S. Augustino *Epist. 112. ad Fortunatianum* de qua *in cap. Neque quorumlibet. ead. dist. 9.* ita habetur. *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis.* Nemo inficiabitur, præceptum Communionis menstruæ *in Clem. Ne in agro § Sanè. De Statu Monachor.* emanasse ob bonum commune Religionis Benedictinæ. Igitur illud extendi debet etiam ad Moniales, ex Abb. *in cap. Ex parte. num. 3. de Postulando.* Summa Angelica *in Verb. Monachus num. 12. Et in Verb. lex num. 3. & num. 7.* ubi notat, quod si materia, de qua lex fecit præceptum, sit necessaria, & multùm ponderosa, obligat sub mortali. Alterum caput, propter quod deflecto à prædictis Theologis est, quia contrarium docuerunt antiquiores Canonistæ Bonifacius, Imola,

26 Cardinalis Zabarella, & Navarrus supra allegati, & adhærendum esse antiquis Doctoribus, potiùs quàm modernis tradit Hostien. *in cap. Unico num. 51. & 52. de Sacra Unct.* Sylvest. *Verb. Opinio sub num. 2.* Et pluribus congestis Fagnanus *in cap. Ne innitaris à num. 349. & seqq. De Constitut.* Etiamsi contra plurimos Auctores stet unus tantùm, dummodo iste secum afferat evidentem rationem, ut ex Sanchez *de Matrim. lib. 3 disp. 16. num. 4.* arguit Sancius *in Selectis disp. 26 num. 5. Vers. & favet.*

His stantibus, reassumendo casum propositum, & ejus resolutionem, dicendum venit, Monialem non accedentem ad Eucharisticam Communionem, nisi semel in anno, ex torpore, & mala consuetudine, peccare mortaliter ex rationibus sequentibus. 1. Quia Extat præceptum de commu-

nicando saltem semel in mense tum ex Regula, & Statutis Ordinum Regularium, tum *ex Clem. Ne in agro. § Sanè De Stat Monac* 2 Quia *d Clem Ne in agro* comprehendit etiam Moniales ex Card. Zabarella, & aliis Canonistis supracitatis 3 Quia Moniales etsi subjectæ Episcopis, sicut gaudent Privilegiis suorum Ordinum, sic eorumdem statutis afficiuntur in iis, quæ ipsarum statui conveniunt, ex Lezana, & aliis supra 4. Quia Constitutiones Ordinum, & *Clem Ne in agro* obligant ad Confessionem, & Communionem menstruam sub pœna peccati mortalis, ex Navar *cap* 21 *num.* 59 Dicastillo, Hurtado, & aliis allegatis. 5 Quia Monialis omittens Communionem per integrum annum peccat etiam mortaliter ratione scandali, & ratione contemptus, ex S Thom Peyrin Lezana, aliisque 6 Quia Concil. Trident. *sess* 25 *de Regul. cap* 10 quamvis dicat, Moniales *admoneri* de Communione saltem menstrua, illud verbum non est de consilio, sed de præcepto ex DD supra relatis, & Fagnano *in cap. Quoniam* 38 *de Cler resident* 7 Quia Communio menstrua in Monialibus dicitur de re gravi, concernente bonum tum particulare, tum commune ipsarum, ac religiositatem, & bonam famam Monasterii, ex Caramuele, Abbate, *& Summa Angelica citatis* Et licitum si foret Monialibus non communicare, nisi semel in anno, eorum Monasteria non essent domus religiosæ, sed castra militum 8 Quia opinio modernorum Moralistarum dicentium, esse de consilio, & non de præcepto menstruam Communionem, est minus probabilis, tanquam destructiva exemplaritatis Sanctimonialium 9 Quia debet 28 esse discrimen inter vitam earum, & laicorum. *cap Denique dist* 4 Glossa *in sit Clem Ne in agro. § Sanè Verb Mensibus*. Ibi *Propter religionis perfectionem aliquid debeat ad pensum sanctæ institutionis adiicere*. Immò si malè sentitur de laicis semel tantùm in anno communicantibus, *cap. Sæculares dist.* 1 Quid de Monialibus cogitandum? 10 Quia sicut peccat mortaliter infirmus, qui non vult sumere medicinam in gravi infirmitate. 29 Mastrius *in Theol. Morali disp* 11. *num.* 34. ita Monialis respuens sanctam Communionem, quæ, ut ait Concil Trident. *de Euchar sess* 13 *cap* 2. *Est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur* 11 Quia quemadmodum media voluntaria abbreviare vitam corporalem, est peccatum mortale. Gobat *in Quinario tract.* 5. *cap* 1 *num.* 31. 30 Sanchez *in Consil Moral. lib.* 5 *cap.* 2 *dub* 33. Sic erit mortale peccatum abstinentia ab Eucharistia, per quam alitur vita spiritualis. Jo. 6 *Qui manducat me, vivet propter me* 12. Quia negligens accipere Jubileum universale missum à Papa, non potest es- 31 se sine culpa, nam negligentia est semper peccatum, & quia est prodigalitas quædam bonorum spiritualium, ac etiam quia turpis est pars, quæ non conformatur toti Gobat *in cit Quinario tract* 3 *quæst* 119. *num* 336 *& in Theologia Experim tract* 6 *num* 299. Ergo culpabilis erit etiam Monialis negligens circa sanctam Communionem, privans se frequentibus Indulgentiis, etiam plenariis adinstar Jubileorum, & non se conformans in hoc actu religionis suæ Communitati 13 Quia peccat mortaliter, qui non adimplet confessionem, & Communionem menstruam sibi à Confessario impositam in dispensatione impedimenti oc- 32 culti ad contrahendum Matrimonium Gobat *d tract* 5. *in Quinar cap.* 37 *à num.* 222. *& seqq.* Igitur à simili peccabit mortaliter Religiosa non communicans semel in mense juxta Ordinis sui statuta, & juxta præceptum Juris Canonici *in d Clem. Ne in agro § Sanè De Statu Monachor.* quam sub mortali obligare docent etiam Vasquez, Dicastillus, & Azorius citati per eumdem Gobatum *d. cap* 37 *num.* 224. 14 Et tandem cum prædicta Monialis sit temperamenti melancholici, ex quo facilè 33 movetur ad tristitiam, & ad iracundiam, magnoperè indiget Communione frequenti, *ut eo se salutari præsidio muniat ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas*, ut loquitur Trid Concil *d sess* 25 *de Regular cap* 10. Nam, ut docet Aristoteles *in Mor. lib* 2 *cap* 7 *n* 11 melancholici, ut plurimùm, sunt incontinentes *Et lib* 7 *Ethic cap* 14 *num.* 11 Quia atra bile eorum corpora mordentur, *propterea in-*

*res intemperantes, & pravi evadunt*

Quod si quis quærat, an peccet mortaliter Monialis, si aliquo tantùm mense omittat sacram Communionem ob improvisam animi perturbationem, quæ forsan invaditur? Respondeo in hoc casu non peccare, 34 si coram Confessario, vel Abbatissa compareat, implorans licentiam pro ea vice non accedendi ad Convivium cœleste, donec tranquillitatem cordis reassumat, ut tenet Cardin Zabarella *in d. Clem. Ne in* 35 *agro. §. Sane num* 2. Et jure quidem, est enim opus discretione in omni negotio *cap. Præsentium 1 q. 5 cap. 1 de Offic. Custod.* & monet Lezana *in Summa tom 6 ad Mare Magnum Carmelitar num 169.* & mea opinio, quod Monialis non communicans peccet mortaliter, procedit in illa, quæ per plures menses, cum contumacia, abstinet à Communione.

## DECISIONIS L.

Ad Octobris Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Petitur, Utrum ad faciendam experientiam, an Mulier patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita Energumena, verè sit talis, vel potiùs Lunatica, Epyleptica, Saga, Maga, aut Pythonissa, licitum sit, eam petentem Eucharisticam Communionem fallere, porrigendo illi Hostiam non consecratam? Declaratur, qui sint Energumeni, Lyncathropi, Lunatici, Epyleptici, Magi, Sagæ, Pythones, & quibus signis prædicti cognoscantur? Exponuntur causæ, quibus Deus permittit in hac vita, homines à Dæmonibus vexari? Et an dentur remedia naturalia ad fugandos Dæmones? Referuntur opiniones Doctorum circa resolutionem casus. Narratur factum mirabile Sancti Philippi Nerii, ex consilio insignium Virorum pro experimento spiritus Venerandæ Virginis Ursulæ Benincasæ anno 1582. tempore Gregorii Papæ XIII.

### SUMMARIUM.

1 *Energumeni undè dicti?*
2 *Diabolus vexat homines spiritualiter, & corporaliter.*
3 *Lycantropi sunt homines melancholia affecti.*
4 *Lunatici qui sint?*
5 *Lunaticos quare diabolus obsideat?*
6 *Epileptici qui sint? Et quid Epilepsia?*
7 *Epilepsia post annum 25 incurabilis.*
8 *Alcis ungula sanat Epilepticos?*
9 *Sanguis hominis decollati haustus an sanet Epilepticos?*
10 *Mahometus erat Epilepticus, & obsessus à Diabolo*
11 *Magia quid sit, & quotuplex?*
12 *Sagæ quæ sint?*
13 *Pythones qui dicantur? ac Pythonissæ? num 14*
15 *Energumenos dari non est dubium.*
16 *Athei, & Nasuti aliqui Philosophi negant energum.*
17 *Petrus Aponus Philosophus Patavinus laudatus, accusatus de hæresi, absolutus.*
18 *Mulier Patavina melancholica loquebatur latino sermone.*
19 *Animæ defunctorum an obsideant corpora viventium?*
20 *Energumenos veros dari est de fide. & num 27.*
21 *Platonis error de notionibus congenitis in homine.*
22 *Idiomate peregrino loquens, absque studio, convincitur esse energumenus.*
23 *Animæ Purgatorii, ac etiam Beatæ aliquando apparent viventibus, sed non obsident eorum corpora.*
24 *Anncephaleosis quid sit?*
25 *Pacisci an liceat, ut præmoriens appareat Superstiti?*
26 *Dæmon quomodo possit stare in corpore hominis viventis; non autem in anima?*

27 Ener-

27 *Energumeni verè possidentur à Dæmone.*
28 *Legio una Dæmonum quod Dæmones contineat?*
29 *Energumeni quibus signis cognoscantur esse tales?*
30 *Monialis Novitiæ fictio, ut videretur energumena.*
31 *Dæmones ob quas causas permittantur obsidere homines?*
32 *Exorcismus quid sit?*
33 *Diabolus an expelli possit rebus naturalibus?*
34 *Hostiam non consecratam porrigere pro consecrata an licitum?*
35 *Exempla propositæ Hostiæ non consecratæ tanquam consecratæ.*
36 *Ursulæ Benincasæ exhibita Hostia non consecrata, ex consilio prudentum Virorum, ac S. Philippi Neri.*

## CASUM PRUDENTIALEM.

*Quod à prudentibus Parochis decidendam proponitur, est: Utrum ad faciendam experientiam, an mulier, patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita energumena, verè sit à Dæmone possessa, an potius sit Lycantropa, vel Lunatica, vel Epileptica, Maga, Saga, aut Pythonissa? licitum sit, eam, Eucharisticam Communionem petentem, fallere; porrigendo illi hostiam non consecratam?*

Ad ornatum hujus casus quatuor sunt præmittenda, & examinanda.

1 *Qui sint Energumeni? Qui Lycantropi? Qui Lunatici? Qui Epileptici? Qui Magi? Quæ Sagæ, seu Striges? Et qui Pythones?*

2 *An dentur veri energumeni, & quibus signis cognoscantur?*

3 *Ob quas causas, à Deo permittatur Energumenismus?*

4 *An præter Exorcismos Ecclesiæ; dentur remedia naturalia, quibus liberentur Energumeni?*

QUoad primum. Quamvis scriptum sit à Glossa *in cap. Exorcista dist. 23* 1 quod Energumeni dicantur *ab Erge, idest labor, & à mene, idest defectus*; quasi deficere videantur obsessi à diabolo ob nimium, laborem, verius est, energumenos denominari à voce ἐνέργημα quæ significat vexationem, seu agitationem, ideoque ἐνεργούμενοι sunt homines vexati, & agitati à Dæmonibus, qui propterea appellantur ἐνεργῶντες nam verè, & propriè *Ενέργημα est vexatio homini illata à diabolo immediatè, localiter intra corpus ejus existente, & operante, illudque ad tempus fatigante*, ut doctè advertit Gasp. Schottus *in Physica Curiosa tom. 1. lib. 4. cap. 1.* subdens, prædictam vexationem posse fieri dupliciter à diabolo, *spiritualiter* scilicet, & *corporaliter*. Primo modo diabolus vexat 2 hominem per suggestiones malas ad cor, ut flagitia operetur: Et sic dicitur intrare spiritualiter in hominem; ut habetur apud *S. Luc. cap. 22. num. 3. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes*, idest suggerendo illi, tradere Redemptorem Judæis, ut legitur apud S. Joan. *cap. 13. n. 2.* ibi *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in Cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes.* Altero modo diabolus vexat homines corporaliter, sed & hoc dupliciter, vel *ab extra*, ipsum affligendo in corpore, ut fecit cum Sancto Job, & cum plurimis aliis Sanctis, vel *ab intra*, quando dæmon invadendo hominem, & ejus corpus ingrediendo, eum vexat, & exagitat, & in hoc casu verè, & propriè homo obsessus à Diabolo, dicitur Energumenus, sive Arreptitius, Dæmoniacus, obsessus, seu infessus. Et è contra non possunt dici Energumeni, qui vexantur à Diabolo exterius tantùm, quales sunt maleficiati, dum diris morbis ob maleficia affliguntur: neque illi, contra quos malus spiritus aliquid præsumit attentare circa corpora ad extra; ut quando Redemptorem nostrum *assumpsit Diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum Tem-* 3 *pli.* Matth. 4. 5. Quo verò ad *Lycantropos*, hi verè, & propriè sunt homines melancholia correpti, & dicuntur à λύκος idest *Lupum*, & τροπή, idest *conversionem*; quia qui afficiuntur in excessu atra bile, & symptomatibus melancholiæ agitantur, sibi videntur conversi in Lupos, & abhorrent ab hominum consortio, & de nocte tran-

transitare per loca inculta affectant, & præcipuè circa sepulchra, ut docet Avicenna *lib 3 tract 5 cap 20.* & differit eruditus inter Medicos Paulus Ægineta *lib. 3 c 16* his verbis *Qui lycantropia detinentur, noctu domo egressi, Lupos in omnibus imitantur, & donec dies illucescat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur* Unde testatur Hieron Magius *lib 4 Miscellan Angl* cognovisse quendam hoc morbo correptum, qui sæpè ab Augustinianis, aliisque æditius in sepulchris dormiens inveniebatur; & qui mortuorum ossibus domum suam planè compleverat Porrò, etsi non omnes, lycantrophiæ morbo laborantes, sint energumeni, neque absque aliis signis debeant pro Dæmoniacis reputari, nihilominùs de facili possunt esse à Dæmone obsessi, ut erant illi, de quibus scribit S Matthæus *cap 8 n 28.* his verbis *Cùm venisset (JESUS) transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, itaut nemo posset transire per viam illam* Et de iisdem loquuntur S. Lucas *cap. 8. num. 26* & S. Marcus *cap 5 n 1* Illi verò 4 censentur Lunatici, qui singulis mensibus patiuntur mentis alienationem, potissimùm deficiente Luna, ut notat Glossa *in cap Omnis die 11. de Consecr dist 5* & licèt possit esse morbus naturalis tantùm, & ex mera infirmitate cerebri, quod cum sit humidissimum, ut dicit Aristoteles *lib. de Somno, & Vigilia cap 5 post medium*, maximè subiicitur operationi Lunæ, quæ ex sui proprietate habet movere humorem, & ideò ex hac causa hi vocantur Lunatici. *Colleg Compluten. tract 1 de Cælo disp. 4 q 6 num 67* Frequenter tamen qui Lunatici sunt, etiam energumeni sunt, sivè id contingat, quod diabolus possessor humores cerebri concitet, & turbet, sivè quod inveniens morbum illum naturalem in corpore, inde sumat occasionem illud invadendi, utitur enim sæpè diabolus corporis dispositione, veluti occasione, ut notat Schotus *in Physic Cur d lib. 4 cap 10. § 2.* Talis erat filius hominis, qui genuflexus ante Redemptorem nostrum, sic illum rogabat Matth. 17 14. *Domine, Miserere filio meo, quia Lunaticus est, & malè patitur Et increpavit illum JESUS, & exiit ab eo Dæmonium, & curatus est* Quam verò ob rem Dæmon Lunaticos obsideat, mul- 5 tas diversi Auctores afferunt causas *Orig. tract 1 in Matth.* D Chrysostom *Hom. 58.* & D Hieronym *in cap 4 S* Matthæi, inter quas refert duas præcipuas S. Thom *1. par. q 115. art. 5* Unam, ut infamet Creaturam Dei, idest Lunam, quasi auctricem infirmitatum hominum; alteram, quia cum Dæmon non possit operari, nisi mediantibus naturalibus virtutibus, expectat augmenta, vel decrementa Lunæ, tanquam tempora aptiora ad perturbandam phantasiam hominis, & eum affligendum *Epileptici* illi sunt, qui labo- 6 rant eo morbo menstruo, quem Medici vocant *Epilepsiam, Morbum Comitialem, Caducum, Sacrum, Herculeum, Magnum, seu affectum puerilem* Est autem *Epilepsia convulsio totius corporis, temporanea, cum privatione sensuum, & mentis* Et duplex est, una perfecta, in qua totum corpus agitur, & altera imperfecta, dum una tantùm pars corporis subiacet convulsioni, nempè caput, brachia, tibiæ Causam veram morbi Comitialis, seu Epileptici adhuc esse ignotam omnibus medicis opinatus est eximius in hac Urbe Patavina, & Lyceo Medicinæ professor Joannes Fortis *Consil Medic tom 1 cap 40.* Scribit Galenus *lib de dist Sympt cap 3 Ab obstructione imperfecta ventriculorum cerebri Epilepsiam generari* Ipse verò Joan Fortis subdit *d. cap 40. Rarò, aut nunquam à causa obstruente; & frequentissimè, & ferè semper ab irritante provenire* Quidquid sit de vera causa tantæ infirmitatis, procedit à Cerebro, ubi materia viscosa generatur, & dum discutitur, cadit in nervos, & contorquet patientem, qui ore spumat, dentibus stridet, & sensibus ferè semper exuitur. De hac ait Hippocrates *Aphoris 7 sect 5* 7 *Epilepsia ante pubertatem eveniens curabilis est eadem verò post vigesimum quintum annum curationem non admittit* In pueris infantibus generari hunc morbum notat Joan. Jonstonius, *in Idea Universæ Medicinæ Practicæ lib 12. tit 1 num 3 Vel à terrore, cujus occasiones omnes vitandæ sunt: vel à lacte corrupto in ventriculo, & tunc vomitus*

est op-

*est optimus. Vel à vermibus in intestinis se se moventibus, quorum ratio est habenda. Vel à difficili dentitione, quæ promovenda vel à Variolis, morbillis, febribus, quæ etiam sunt curanda. Vel à primario cerebri effectu*, de quo supra. Idem auctor inter remedia recenset *gemmam Smaragdum, Lapidem in hirundinum ventriculis dissectis repertum, & ungulam Alcis auriculæ sinistræ inditam.* Et quod ungula Alcis mire proficiat comitiali morbo laborantibus, ex Medicorum, & Historiographorum auctoritate probat Scotus *in Physic. Curiosa lib.* 8. *cap.* 1. § 5. ubi subdit, efficaciorem esse ungulam pedis posterioris dextri, sed & aliorum trium pedum eamdem virtutem ungulas habere. Quod affirmat etiam Plinius *lib.* 8 *cap.* 15. relatus ab Andræa Carpo Clerico Regulari *in Opuscul. de Natura Animal. lib.* 2. *sive de Venatione lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 403. Et meminit Aresius *lib.* 6. *Impres.* 163. *num.* 6. Porrò famosum remedium ad Epilepsiam sanandam à vulgo constituitur haustus sanguinis scaturientis è venis hominis capite truncati, de quo testatur Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 3. & de quo ita scribit Gobat in *Quinario tract.* 5. *cap.* 23. *num.* 153. *Hunc Sanguinis haustum esse salutarem (Epilepticis) est quidem opinio vulgi, non displicita* Laymano. *At duo Medicinæ Doctores ea super re à me consulti asseruerunt, eam esse meram persuasionem, refutatam non solùm scripto publico, sed etiam recentissima experientia, exemploque hominis, quem unus illorum medicorum noverat, & qui poto sanguine fecerit omnia, quæ facienda præscribuntur, attamen absque operæ pretio. Quidam etiam Carnifex medicinæ in paucis peritus, à me interrogatus, respondit, se quidem scire, fuisse haud semel haustum ea intentione ejusmodi sanguinem, sed absque effectu, quantum quidem ipse sciat.* Sed de his, obiter dictis, satis. Utrùm verò Epileptici sint etiam energumeni? utique negandum venit, frequens est enim experientia infelicium hominum utriusque sexus hoc morbo laborantium, qui, periodis morbi decursis, & symptomatibus superatis, cognoscuntur immunes à Diaboli infestatione. At aliquando quis est Epilepticus, ac etiam obsessus à Diabolo, quemadmodum ille, de quo ita narrat S. Marcus *cap.* 9. 17. *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.* Utrumque morbum fuisse in Mahometo non est incredibile. Hunc enim Pseudoprophetam, & Mahometismi Auctorem comitiali infirmitate fuisse detentum, habemus in Annalibus apud Emin. Card. Baronium *Anno* 630. *num.* 1. & 2. ac etiam à Diabolo vexatum, illumque hæreticum, & Magum vocant Zonara *tom.* 3. & *Paul. Diaconus lib.* 18. *Histor.* ut notat Delrius *Disquisit. Magic. in Proloquio.*

8 9 10

Pro Magorum autem notitia, sciendum est, quod *Magia est ars, seu facultas, vi creata, & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat.* Est autem triplex, *Naturalis*, cujus mira operatio provenit à virtute per naturam insita rebus. *Artificialis*, quæ ex humana industria, & philosophiæ studio, mediis licitis exercetur. *Diabolica* quæ à Cacodæmonis malitia pendet, & cujus ope, & assistentia operatur mirabilia, ut declarat Delrius *Disquis. Mag. lib.* 1. *cap.* 2. ex cujus doctrina sequitur, eos esse dicendos Magos, qui inito pacto expresso, vel tacito cum Dæmone, ejus opera utuntur, vel ad maleficia patranda, vel mira exercenda, occulta, longinquavè revelanda, de quibus fusè Scotus *in Physica Cur. lib.* 1. *cap.* 16. & 17. & *lib.* 4. *cap.* 13. ubi horrenda exempla in perniciem corporum, & animarum, fidem perversis his hominibus præstantium.

11

Sagæ verò sunt pessimæ fœminæ, quæ pariter commercium habent cum Dæmone, & ejus adjutorio patrant maleficia, & transferuntur corporaliter ad conventus nefarios, vel insidentes hirco, aut alteri fantastico animali, hoc est ipsi Dæmoni, corpus illius animalis assumenti, vel arundini, scoparumvè baculo, ut relatis pluribus Doctoribus, Theologis, Juristis, & Criminalistis comprobat Scotus *d. lib.* 1. *cap.* 23. ubi plurimas historias de Sagis, & strigibus ponit.

12

Tandem

Tandem *Pythones* illi habentur, qui edunt vaticinia Dæmonis ope. Hi autem sunt in triplici differentia. Alii habent Spiritus Πάρεδρος, seu familiares, annulis, vitris, cistis, aliisvè rebus inclusos, quos consulunt, & responsa ab illis accipiunt. Alii extrinsecùs accedentem subinde, & sibi assistentem habent spiritum, cujus afflatu, aut suggestione divinant. Alii denique intra se habitantem, & per os, aut per pudenda loquentem, ac responsa sibi, aliisvè dantem habent Dæmonem, ut plenè probat Delrius *Disquisit. Magicar. lib. 4. cap. 2. qu. 6* & Scotus *in Physica Cur. lib. 1. cap. 37. & lib. 4. cap. 11.* ubi eruditè demonstrat, Pythonum originem evenire ab Apolline Delphico, apud quem viri, seu mulieres in tripode sedentes, aut divaricatis cruribus stantes, divinandi spiritu afflabantur, teste Plutarcho *lib. de defect. Oracul.* Strabone *lib. 1.* & Cicerone *de Divinat.* & vox tum ex ore, tum ex pudendis horum Pythonum prodibat, & ideò *ventriloqui* dicebantur, quod ad reprobandos horum impiorum hominum sectatores narrat S. Joann. Chrysostom. *in Epist. 1. ad Corinth. Hom. 29.* & se vidisse in quadam Pythonissa testatur Cœlius Rhodigin. *lib. 8. cap. 10.* Pythonissam fuisse mulierem illam, & à Dæmone obsessam, quæ evocavit Sauli Samuelem, ut habetur 1. *Reg. 28.* communior est sententia; certa autem de illa puella, de qua 14 ita scribit S. Lucas *in Act. Apostol. cap. 16. num. 16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem Spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis, divinanda.* Et infra. *Dolens autem Paulus, & conversus, Spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine JESU CHRISTI exire ab ea; & exiit eadem hora.* Ubi ly *Dolens*, ait Menochius *lib. 2. cap. 18. num. 2.* significat, tædio affectus, Diabolus enim, priusquam expelleretur ab Apostolo de puella Pythonissa, ipsum, & socios summis laudibus commendabat, dicens: *Isti homines Servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis:* molestum est autem viris prudentibus se laudatos audire ab iis, à quibus sciunt odio haberi. Tandem illud est advertendum discrimen inter Pythones, & alios energumenos, quod illi voluntariè sunt obsessi, isti verò coactè. Et hæc de primo præmisso.

Quò ad secundum præmissum, *An vere dentur energumeni?* superfluum quærere videtur, cum irrefragabiles habeamus auctoritates. I. In Sacro Evangelio circa Dæmoniacos, qui fuerunt liberati à spiritibus immundis per CHRISTUM, ut habetur *Matth. cap. 8. Marc. 5. Luc. 8.* Et quidem *S. Matthæus d. cap. 8. num. 16.* ait: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat Spiritus verbo.* Et *D. Marcus cap. 1. num. 32. Vespere autem facto, cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & Dæmonia habentes, & erat omnis Civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & Dæmonia multa ejiciebat.* Testatur pariter *S. Lucas cap. 8. num. 2.* quod Christus Dominus dum *iter faciebat per Civitates, & Castella, prædicans, & evangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à Spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem Dæmonia exierant;* ultra plurimas specificas alias liberationes energumenorum. II. Quia Christus dederat Apostolis, aliisque discipulis suis potestatem ejiciendi Dæmonia, qua ipsi usi gaudentes dicebant: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Luc. 10. 17.* Et in Actibus Apostol. 5. 16. legimus de Divo Petro, *Concurrebat autem & multitudo vicinarum Civitatum Jerusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* III. Quia concors est omnium Patrum, Conciliorum, ac Theologorum consensus, à Dæmonibus homines obsideri, & tot illustres Scriptores de hac re idem testantur, ut humanitatem omnem exuisse oporteat eum, qui fidem omnibus derogare vellet, sunt enim integri tractatus, nec non exempla plurima in vitis Sanctorum. IV. Quia illi, quos energumenos dicimus, tales sæpè numero effectus edunt, qui non

Ee nisi

nisi ad Dæmones in illis existentes, atque agentes reduci possunt, cujusmodi sunt sermo linguæ antea planè ignotæ, revelatio rerum antea incognitarum, etiam absentium, & occultarum, motio, & translatio magnorum ponderum, & his similia, de quibus infra. Ex V. Quia prædictis effectibus cum sæpè admisceantur blasphemiæ in Deum, mendacia, & contumeliæ in homines, necessarium est cognoscere eorum auctorem esse Dæmonem; non autem Angelos bonos, vel ipsum Deum.

16 Nihilominùs non esse superfluam investigationem apparet, non solum ob Atheos, qui Deum, & Angelos, tàm bonos, quàm malos è rerum natura eliminare coguntur, sed etiam ob nonnullos nimium Nasutos Philosophos, qui morbum ἐνέργημα negantes esse Dæmoniacum, illum naturalibus, indispositionibus corporum adscribunt; & contendunt, humores atroces, & violentos extorquere melancholicis, maniacis, & phrænetici peregrinas linguas, asserentes, mentem hominis imbutam esse artibus ante illarum usum, & nostrum scire nihil aliud esse, quàm reminisci. Ita Levinus Lemnius *de Occult. natur mirac. lib. 2. cap. 2.* Et noster Petrus de Apono Patavinus, de quo in una ex quatuor januis Publici Palatii hujus Urbis Antenoreæ hæc habetur inscriptio. *Petrus Aponus Patavinus, Philosophiæ, Medicinæque*

17 *scientissimus, ob idque Conciliatoris cognomen adeptus; Astrologiæ verò adeò peritus, ut in Magiæ suspicionem inciderit, falsòque de hæresi postulatus, absolutus fuit.* Auctor, inquam iste, *in Commentar. ad Sect. 30. Problem. Arist. in probl. 1* testatur, ut refert Scotus *in Physic. Cur. lib. 4. cap. 12. § 3.* se multos vidisse, qui atra bile, seu melancholia purgata, cum antea peregrinis linguis loquerentur, & mira supra vires naturæ præstarent, & sine dubio pro Dæmoniacis haberentur, curati fuere, & sanæ menti restituti. Confirmat id exemplo mulieris Patavinæ illiteratissimæ, quæ dum melancholica

18 ægritudine detineretur, latino sermone quàm decentissimè loquebatur, postmodum verò expurgato vitioso illo humore, sanitati restituta, ne verbum quidem latini sermonis proferre noverat. Petrus Pomponatius *lib. de Incantation. cap. 10. suppos. 6.* prædictos effectus linguarum in melancholicis attribuit astrorum influentiis, & ait se vidisse Mantuæ mulierem uxorem Sutoris, secundùm diversa idiomata loquentem, durante infirmitate, & à Medico sanitati restitutam, eò quod melancholiam curavit. Consimilia exempla ex Sirenio *lib. 9. de Fato* narrat Scotus *in d. § 3.* Quocirca alii auctores potiùs provenire volunt prædictos effectus ab animabus Defunctorum, quas intrare, & possidere posse corpora eorum, quos energume-

19 nos appellamus, astruunt. Ita Cælius Rhodigin. *lib. 2. cap. 13.* & hanc opinionem habuisse olim Judæos innuere videtur Joseph Flav. *lib. 7. de Bello Judaico cap. 33. & S. Justin. martyr Apolog. 2.* Alii verò utrumque negantes, vel hominum deceptionibus, vel occultissimis causis attribuunt; sed à Dæmonibus corpora hominum invadi, & obsideri non concedunt, tum quia anima rationalis est tota in corpore, & tota in qualibet parte corporis. Ergo non est ibi Dæmon, non enim potest esse simul in eodem loco cum anima; tum etiam quia Dæmones non possunt illabi animabus hominum, nec intra eas esse, cum hoc solius Dei sit, ergo nec possunt esse intra corpora, aut in ea illabi, quemadmodum neque animæ Defunctorum intrare, aut possidere possunt corpora viventium.

20 His tamen minimè obstantibus, veritas est manifesta, & de fide, dari veros energumenos, à Dæmonibus obsessos, in eis manentes, & operantes, ut ex Scriptura sacra probatum est supra, & ex testimonio SS. Patrum, Conciliorum, & Scriptorum. Et quo ad *Levini Lemnii* assertionem, de rerum notionibus nobis congenitis, & ab humore melancholico excitari peregrina Idiomata ad reminiscentiam, respondetur,

21 esse errorem Platonis, jamdudum confutatum à Tertulliano *lib. de Anima cap. 14.* ab Arnobio *lib. 2. contra Gentes*, à S. Irenæo *lib. 2. cap. 59. & 60. & à S. Augustino lib. 12. Civit. cap. 15.* ridiculum enim, est, & absurdum dicere, dato, &

non

non concesso, quod essent in nobis rerum notiones congenitæ, eas excitari à melancholia, nam sequeretur, omnes arreptitios, & alios morbis melancholicis laborantes loqui linguis peregrinis. Præterea notiones in mente hominis existentes, debent esse ordinatæ, ut quis ordinatè de rebus illis loquatur, at melancholia, & alii morbi, experientia teste, mentes infirmorum non ordinant, sed perturbant. Exemplis autem relatis à Petro Aponensi, & à Pomponatio respondet Theophil. Raynaudus *in Theolog. natur. dist. 2. qu. 1. art. 1.* nos non cogi, fidem eis adhibere sine præde, & injuratis testibus, sed suppositis pro veris vel mulieres illæ loquebantur latino sermone non benè, non expeditè, non secundùm regulas, & earum sermo proveniebat à quadam superficiali eruditione acquisita ex longo auditu scholarium, vel Doctorum latinè loquentium, ut ego cognovi famulum quemdam, qui comitabatur juvenes nobiles ad scholas publicas, & ex eorum conversatione latinabatur satis benè. Pariter recordor, mulierem quamdam hic Patavii, quæ ingrediebatur publicum gymnasium semiphrænetica, & scholaribus applaudentibus proferebat multas latinas sententias, sed cum erroribus grammaticalibus pluribus. Vel prædictarum mulierum idiomata peregrina erant castigata, atque perfecta; & tunc cur non est dicendum, fuisse Dæmonium in eis inhabitans tempore infirmitatis, cujus ope loquebantur, cessasse autem locutionem alienorum idiomatum ob discessum Dæmonis, completa purgatione? certum est enim, neque febrim, neque atram bilem, neque ullam aliam humoris cujusvis corporei affectionem posse conferre promptam, ordinatam, ac stabilem, durante morbo, facultatem loquendi, & respondendi ad interrogata peregrino idiomate, quod æger priùs non noverat. Igitur lo-

22 cutio, & responsio aliena lingua à Dæmone ululante in ægro provenit; ut exemplis probat Raynaud. *d. art. 1.* & Scotus *d. lib. 4. cap. 12. §. 3.* ubi subdit rationem, ut scilicet sic homines decipiantur, credentes non à Dæmone, sed à seipsis idioma exterum haberi, vel ad alium malum finem à malo spiritu intentum. Quod autem locutiones prædictæ peregrinæ, aliique miri effectus in energumenis proveniant ab astris, seu à planetis cœlestibus, confutavit Origen. *tract. 4. in Matth.* est enim error manifestus, prout etiam quod fint animæ Defunctorum reingressæ in corpora sic loquentium, vel mira operantium. Concedunt Theologi, animas beatas, aut in purgatorio, vel etiam in

23 inferno detentas apparere aliquando viventibus, id Deo permittente ob aliquas justas causas, ut latè probat Delrius *Disquis. magic. lib. 2. quæst. 26. per plures sect.* Thyræus *de Spirituum apparit. lib. 3. à cap. 11. & seqq.* & alii apud Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 38. num. 23.* At negant easdem animas posse obsidere, invadere, & intrare corpora viventium: quod si spiritus obsidens dicat, se esse animam alicujus defuncti, Dæmon est, qui mentitur, & cum mendacio id asserit Abulens. *in Matth. cap. 8. qu. 124.* Delrius post *lib. 6. disq. Mag. Anacephalæos.* idest recapitulatione, vel summaria repetitione dictorum) *monit. 10.* Sanchez *d. cap. 38. num. 24.* Sæpè nam-

24 que Dæmones fingunt, se esse animas defunctorum, ut viventes in errorem inducant. S. Thom. *1. part. qu. 117. art. 4. ad 2.* Sylvest. *V. Maleficium qu. 4. num. 2.* ideoque non est absque culpa, saltem curiositatis, pacisci inter aliquos, ut præmoriens superstiti appareat, certiorem eum de suo statu facturum, ob periculum illusionis

25 Dæmoniacæ. Cirvelus *de Superstit. part. 3. cap. 12.* Delrius *lib. 2. qu. 26. sect. 7.* & Sanchez *d. lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 25.* Exemplum hujuscemodi sponsionis refert Emin. Card. Baron. *ad ann. 411. num. 69.* & Menoch. *in Stromat. part. 1. cap. 68.* mirandum, non imitandum. Quo verò ad primam rationem illorum, qui negant energumenismum, scilicet quia duo spiritus creati non possunt coexistere, & esse simul in uno, & eodem loco; responde-

25 tur, posse stare Dæmonem in homine vivente, quia anima hominis est in corpore, non ut in loco, sed ut forma in materia; diabolus autem in energumeno stat non per modum formæ vivificantis; sed tamquam in loco diffinitivè, exercendo vi-

res omnes corporales illius energumeni ad motum localem pertinentes, ut doctè explicat Bar. Sybilla *in Speculo peregrin. quæst Decad 3 cap 3 qu* 2 ubi dat exemplum serpentis loquentis ad Evam, & Asinæ ad Balaam. Ad secundam verò rationem, quod illapsus in hominem sit solius Dei, non autem spirituum creatorum, respondetur, procedere de illapsu in animam, non autem in corpus. Siquidem, cum anima rationalis sit simplex, & incorporea, non habens dimensiones quantitatis, nihil potest in ea esse, nisi illud, quod dat ei esse, & est in ea per virtutem suam, idest solus Deus. At in corpus etiam Dæmon potest illabi, & intrare propter subtilitatem naturæ suæ, penetrans eius corpore sine ullo obstaculo, ut de facto illabuntur, & penetrans corpora energumenorum, quod ex S. August. *de Eccl dogm cap* 50. & aliis SS Patrib. demonstrat idem Sybilla *d. decad. 3 cap. 3 quæst* 4.

Concludendo igitur primam partem secundi nostri præmissi, dicendum est, verè 27 dari energumenos, idest, verè Dæmones (Deo permittente) intrare, invadere, & obsidere corpora hominum, qui quidem Dæmones invadentes, & obsidentes esse possunt ex omnibus eorum choris, ordinibus, & classibus, quia omnibus æqua est malitia, æquum in homines odium, æquus eis nocendi ardor. Thyræus *de Dæmoniacis cap* 12. Et non solùm unus unum invadit hominem, sed sæpè duo, ac plures, etiam ad legionem usque, ut ex *S Luc cap.* 8. *num.* 30. (Una autem legio Dæmonum continet 6666 Spiritus, ut habetur in Hermete Theologico *part* 2. 28 *tract de Angelis cap* 3 *conclus* 5. *Vers finem pag* 9. Et notat Hieronym à Basilica Petri *in suis Ephemerid. sacris die* 2. *Januarii* de Passione SS martyrum Sebastiani, & Alverii militum legionis Thebeæ) Thyræus *cap* 13 & 14. & Scotus *in Physic d lib* 4. *cap* 5 *ubi* § 2. subdit eosdem malos Spiritus posse invadere homines cujuscunque sexus, ætatis, & conditionis, affligendo, ex permissione Divina, corpora variis infirmitatibus, fascinationibus sensuum, & membrorum deturpationibus, de quibus *eodem lib.* 4. *cap.* 6. varia exempla cumulat, vim magnam habentia, si à Parochis lecta, & indita suis plebibus fuissent, excitandi timorem Dei, & observantiam Divinorum Mandatorum. Porrò tùm sævi, & diri ergastuli non possunt privare animas hominum, quos obsident, Theologicis, aliisvè infusis virtutibus, nec eos vexare, nisi quantum Deus permittit.

Quo verò ad secundam partem secundi propositi præmissi, signa ad cognoscendum 29 energumenos alia sunt *probabilia*, alia *incerta*. Probabilia sunt, occultorum revelatio, linguarum peregrinarum, quas infirmus non didicerit, locutio; scientia legendi, scribendi, cantandi, aut aliarum artium, quas non noscerat, discursus de rebus altissimis, cognitio futurorum, & absentium, sublevatio magnorum ponderum, ingens robur in rumpendis vinculis, corporis energumeni admirabile pondus, ejusdemque rigor, inflexibilitas, aut immobilitas, magna voracitas, & bibacitas, summa celeritas, & agilitas in currendo, & saltando atque his similia. Dicuntur probabilia hæc signa ad judicandos energumenos esse illos, à quibus talia emanant, quia cum superent humanam scientiam, & naturalem facultatem, & nullum adsit signum illa esse à Deo, vel ab Angelis sanctis, probabiliter infertur, provenire à Dæmone latente, & inhabitante in ipso energumeno. Laud. Scotus *in Physica cit lib* 4 *cap* 9. Signa autem incerta sunt barbaræ, & inconditæ voces, clamores, & ululatus belluini, membrorum defectio, alteratio, contortio. Tumor pectoris, gutturis; ac etiam inquietatio, & adversio à rebus sacris, sanctis, & benedictis, aliaque plurima congesta per Zachariam Vicecomitem *in Complem. exorcist part* 1. & dicuntur signa incerta, quia etsi frequenter exerceantur à veris energumenis, aliquando tamen procedunt à non energumenis, vel quia ipsi ex apprehensione fixa se tales esse credunt, qualis erat matrona illa, de qua Scotus *d lib* 4. *cap* 9. quæ cum tangeretur communi clavi ferrea credens esse lipsanum aliquod sacrum, clamores magnos emittebat, vel quia simulant, & volunt tales ab aliis reputari, præcipuè mulieres, quarum aliqua exempla

pla narrat idem Scotus *d lib 4 cap 9* & jam pluribus ab hinc annis mihi evenit circa quamdam puellam, Religionis austeræ habitum indutam, quam cum pœniteret illius vitæ, ita benè sibi intumescere pectus, & guttur faciebat, ut Moniales eam crederent energumenam, at ego hortatus illam, mihi exponere veritatem, fassa fuit, id operari, ad exeundum è Monasterio, quod ego statim, dexteritate convenienti, exequi feci, & deindè perfecta sanitate potita fuit In his igitur signis prudentia magna opus est, quia *Pravum est cor hominis, & inscrutabile Jerem 17 9 Et Brevis omnis malitia super malitiam mulieris Eccl 25 26*

30

Quo ad Tertium præmissum, quærentibus quas ob causas permissum sit Dæmonibus intrare corpora hominum, eos obsidere, & vexare, utique respondendum est cum illis verbis Apostoli, *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus? Rom 11* arcanum est enim, & à nobis imperscrutabile, undè S. Hieronymus *in epist ad Paulam de dormitione Blesillæ* ait inscrutabili judicio Dei relinquendum, quod bimuli, trimulivè, & ubera materna lactantes à Dæmonio corripiantur Cæterùm ob quatuor præcipuè causas, permitti à Deo, homines invadi, & à Dæmonio obsideri constat Prima est ob gravia scelera per eosdem homines patrata hinc Saulem spiritus malus arripiebat, quia ipse furebat in Davidem, quærens ipsum occidere. *1 Reg 15* S. Mariam Magdalenam obsederant septem Dæmonia, dum erat peccatrix *Marc ult 9* Apostolus tradidit Sathanæ Corinthium illum gravi luxuria reum *1 Cor 5 4* In vitis Sanctorum frequentia habentur exempla invasionum hujusmodi ob perjuria, calumnias, & injustas in servos Dei cædes à perversis patratas Secunda causa est peccatum veniale, quod deducitur ex Cassiano *collat 7 cap 27* de Abbate Moyse, qui possessus fuit à Diabolo propter impatientiam, & durius prolatum verbum Et ex S. Gregorio *lib 2 Dialog cap 1* ubi quædam Virgo energumena evasit ob levem gulam, & ex vita S Bernardi *lib 2 cap 2* ubi quidam fuit à Dæmone obsessus, quia eum repperit distractum in oratione Tertia est maledictio à genitoribus prolata in filios, ideò legitur in vita S Zenonis Martyris apud Surium *die 25 Maii*, cum mater febrienti filio poculum aliquoties præbuisset, nec filius petere desisteret, impatientia victa, eidem iterum poculum offerendo imprecata est Dæmonium, & statim obsessus, ac malè fuit vexatus. Quarta tandem est causa, ut discamus, præter corpora, & animas nostras esse alios spiritus, quod olim Saducæi, & nunc Athei negant; ac erudiamur, quàm miserum sit, Dæmonis servituti se per peccatum subjicere, & qualem is tyrannidem exercebit in inferno, qui tàm diris modis eos vexat in hac vita

31

Quo ad quartum Præmissum Certum est in Ecclesia Catholica institutos esse exorcismos ad pellendos Dæmones è corporibus energumenorum Est autem *Exorcismus*, ut definit *Isidorus de Eccles offic cap 20 sermo increpationis contra spiritum immundum.* Sivè, ut scribit Quartus *de Benediction tit. 1 sect 3 dub 1 Exorcismus est adjuratio imperativa; qua Dæmones coguntur exire de corporibus obsessis, invocato Divino nomine, vel adhibitis rebus sacris* Utrùm verò dentur res naturales habentes vim eosdem impellendi, nonnullis Doctoribus visum est dari, videlicet lapides, radices, & herbas, inter quas Rutam, Salviam, Anethum, Fœniculum, Allium, Verbenam, aliasque plurimas, congestas à Scoto *in d Physica Curiosa lib 4 cap 15 § 2.* ubi addit, etiam suffitibus Dæmones expelli; exemplo Tobiæ qui fumo jecoris, & cordis piscis fugavit Dæmonem ex ædibus Saræ sponsæ suæ, ut habetur *Tob cap 8.* & docet Mengus *in Flagell dæmon ex. 3 4. & 6* Cæterùm nulla res sensibilis, atque corporea, atque adeò neque herbæ, radices, lapides, odores, suffitus habent vim physicam, ac naturalem, directè, & per se Dæmonem expellendi, ut docent S. Thom *in 4 dist 7 art ult* & *in cap 41 Job. lect 3* Abulens *in 1 Reg cap 16 quæst 46* Delrius *disquis Mag quæst. 30. sect 3* Theophil Raynaud. *in Theolog naturali distinct 2. artic 2 numer 53* & Zacchias *in Quæst Medicoleg lib 4 tit. 2 qu 5.*

32

33

*145 num.25.* Indirectè tamen res prædictæ possunt expellere dæmones, quatenus hi innituntur complexioni infirmæ, vel humoribus commotis in homine, præsertim atræ bili, & sanguini copioso; ideircò cum plures herbæ, radices, suffitus, ac similia humores hominum variè creant, ac temperent, faciunt quoque, ut dæmones abeant, & recedant à corporibus divexatis, non cogendo, sed causando, ut correctis malis humoribus fugiant infernales inquilini, ut explicat Scotus *d. lib 4. cap 15 §.3* & antea *lib 2. cap 40.* ubi examinat suffitum jecoris piscis, quo Thobias fugavit dæmonem, juxta S. Raphaelis instructionem, eumque vult habuisse virtutem moralem; quatenùs nimirum excitato illo fumo, Angelus apprehendit dæmonem, abduxit, & ligavit, & sic ex institutione ejusdem Angeli fumus ille positus fuit tanquam signum, ad abiciendum, & ligandum dæmonem, quod placet Celadæ *in cap 6 Tobiæ d. §.233*

His ita constitutis, deveniendo ad resolutionem propositi casus, duas reperi contrarias opiniones scribentium. Una negativa, docens numquam esse licitam fictionem in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum veritatis *cap De homine De Celebrat Missar* quia dare Hostiam non consecratam credenti recipere consecratam, est inducere illum in idololatriam quia adorat tanquam Deum panem purum, & ita sentiunt, etsi in aliis terminis, videlicèt de publico peccatore decipiendo, qui indignè vellet communicare, Suarez *de Euchar disp 67 sect 4* Pax Jordanus *tom. 1 lib 2. num 82.* Reginald *lib. 29 num 49.* & alii apud Dianam *part 4. tract 4. resol. 47* posita in opere Coordinato *tom. 2 tract 2 resol 31* & novissimè Franc de Lugo *lib. 1 de Sacram cap 6. q 11 num 62.* Altera opinio affirmans tenet, ob aliquam justam causam licitam esse hujuscemodi fictionem in exhibenda Eucharistia, quemadmodum Sacerdotes frequenter fingunt absolvere pœnitentem, quem reperiunt non benè dispositum, ad tollendum scandalum inter adstantes, & quo ad periculum idololatriæ, cum ea sit materialis tantùm, potest indirectè permitti, & huic sententiæ adhærent Altisiodorensis, Villalobos, & Ludovicus de S Joann. quos citat, & approbat ipse Diana *cit tom 2 tract. 2. resol 31*

Sed ultra horum auctoritatem Doctorum tria reperio exempla suadentia licitam fictionem in casu proposito. Primum desumptum ex Joanne Heroldo narratur à Joann. Bapt. Matthæoli Parocho Romano *part. 2. Sylvæ Historialis lib 8. cap 2. tit 3 exemplo 4.* exhibitam scilicèt fuisse particulam non consecratam cuidam energumeno, à quo fuit dentibus comminuta; sed eidem data Eucharistia, spiritus immundus pavens, & tremens ex Energumeno exivit. Alterum exemplum habetur apud Joann. Sanctum *in Selectis disp 26 sub num. 5 Vers. Ego fateor* ubi refert de puero novem annorum, qui cum in articulo mortis Eucharistiam sibi porrigi postularet instanter, Sacerdos tamen judicans non esse tutum illi ministrare, ei Hostiam non consecratam detulit. At puer statim clamans dixit: quare me decipere vultis? quo cognito à Sacerdote, intelligenteque, à Spiritu Sancto fuisse edoctum, Corpus Christi suscipiendum afferens, puero dedit; illudque devotè, ac sanctè puer recepit. Hæc ibi Sanctus *ex Promptuario discip. litt E exempl 26.* Sed responderi potest, hæc bona fide, ac pia voluntate tunc forsse facta. At non scientia, & prudentia imitabili. Ita philosophor & ego. Sed quid ad sequens tertium exemplum magni ponderis, Romæ, à Viro Sancto, ex consilio Virorum pietate, prudentia, scientia, ac auctoritate pollentium? Rem brevi perstringam. Ursula Benincasa*, Virgo Deo devota, nata Neapoli Anno 1547 die 28 Octobris, divina charitate succensa, inter cæteras supernaturales gratias, miris ecstasibus donabatur, in quibus tanto pondere eam figebat Spiritus Sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret, imò brachia ejus, aliquando in raptu extensa, gravissima pondera, à Religiosis viris apposita, sustentaret. Anno 1582 sic Deo jubente Romam venit ad summum Pontificem Gregorium XIII. cui post plures ecstases in ejus conspectu habitas, reverenter exposuit, Majestatem Divinam

vinam ob peccata totius Christianitatis nimis esse offensam, ac ubique flagella versari paratam, nisi fidelis populus ageret pœnitentiam. Hinc volens Papa certificari, an Virgo illa verè à Deo extases haberet, vel à dæmone deciperetur, selectis piis, ac doctis viris, inter quos fuit sanctus Philippus Nerius tunc Romæ vivens, præcepit, ut spiritus ejusdem Ursulæ experimentum sumerent. Humiliationum, mortificationum, jejuniorum, aliarumque pœnalitatum rigida ei injunxerunt exercitia, quæ omnia patienter, ac lætanter famula Dei perpessa est; extasis dono semper à Deo illustrata. Tandem per eosdem egregios, prudentes, ac sanctos viros deventum fuit ad hoc ultimum experimentum: videlicet cum longa media cælestis Convivii Ursulam affecissent, ac ipsa Eucharistico pane recreari postularet, eidem intimarunt, ut pro die crastina se præpararet ad Sacram Communionem, cujus loco ei detulerunt particulam non consecratam; at illa divinitùs id agnoscens, ait: *Non est hic Dominus meus JESUS CHRISTUS*. Quo audito Sanctus Philippus in lacrymis cum aliis erupit; & omnes concluserunt, Ursulam esse charam Deo, & Divino spiritu repletam, eique statim Sacram Eucharistiam præbuerunt. *Ita in ejus Vita cap. 19. & in Admirand. Orbis Christiani tom. 2. lib. 3 cap. 3 § 3 num. 14.* Bonifacius Bagatta. Igitur dicendum videtur, non esse illicitam fictionem in nostro casu proposito, quam etiam ad experiendam veritatem, si Monialis diceret, se sola Communione Sacra vivere, absque alio corporali cibo censet admittendam Pellizzar. *de Monialib. cap. 10. num. 259 Vers. Utrum verò*.

Prima opinio primum locum obtinere debet, non enim passim, aut pro re levi, & ubi alia suppetunt remedia, ad hanc fictionem est deveniendum. Porrò ubi ageretur de re magni momenti, & factis omnibus aliis experimentis adhuc esset ambigua cognitio, bonúmne, an malus esset spiritus mulieris? cum consilio piorum, ac prudentum virorum, & cum superiorum assensu, cautè ad evitandum scandalum in populo, crederem fictionem prædictam non esse illicitam juxta exemplum Venerabilis Ursulæ Benincasæ.

## DECISIONIS LI

### Ad Mensis Novembris Primum Quæsitum

### ARGUMENTUM

Quæritur, quæ necessaria sint ad licitam EUCHARISTIÆ perceptionem? & docetur, quatuor requiri in suscipiente Fidem; Voluntatem suscipiendi; Statum gratiæ, non ex sola contritione, sed præmissa Sacramentali confessione, exceptis tribus casibus hic notatis; & Devotionem. Quæ omnia juxta sacrorum Theologorum doctrinam roborantur.

### *SUMMARIUM.*

1 *Eucharistiæ verum Sacramentum etiam peccatores recipiunt, sed non licitè.*
2 *Eucharistiæ licita receptio requirit quatuor dispositiones. Et quæ?*
3 *Fides habitualis non sufficit, sed requiritur actualis ad Communionem.*
4 *Phreneticis, & amentibus quando possit dari Eucharistia?*
5 *Parochi peccant non instruentes rusticos, & idiotas de veritate Eucharistiæ.*
6 *Confessio peccati mortalis est præmittenda Communioni.*
7 *Contritio ad communicandum sufficit absque Confessione in tribus casibus.*
8 *Eucharistiam sumens qui est in peccato mortali, committit sacrilegium.*
9 *Venialia peccata habens, & Eucharistiam sumens, an peccet venialiter?*
10 *Devotio requiritur in Communicante. Et quid ea sit?*

QUÆ-

## QUÆSITUM PRIMUM

*Quæ dispositiones ex parte animæ requirantur in suscipiente Eucharistiam, ad consequendos effectus supra recensitos.*

Dictum fuit ad recipiendum validè tantùm Eucharistiam, nullam requiri 1 dispositionem, seu præparationem in anima recipientis; nam falsa est opinio illorum, qui dixerunt, quod dum Eucharistia tangitur à peccatore, aut sumitur, Christus statim recedat, canit enim Ecclesia *Sumunt boni, sumunt mali* & Judæ indisposito, fuit data vera Eucharistia, verumque Christi Corpus, & Sanguinem ipse recepit, & de fide est, quod quandiù perseverant species consecratæ, perseverat Eucharistia, & à quocunque accipiatur etsi non disposito, si perseverant species, validè Eucharistia percipitur. Porrò ad licitè recipiendam, & ad consequendos mirabiles effectus expositos in primò, ac secundo 2 quæsito superioris mensis Octobris, pro debita, & digna dispositione animæ requiruntur quatuor.

Primò requiritur fides, quia *sine fide impossibile est placere Deo Hebr* 11 & Glossa super illud 1 *Corint* 11 *qui manducat, & bibit indignè*, ait *Sidest fides, vel charitas, judicium sibi manducat, & bibit*. Ratio est, nam Eucharistia est Sacramentum vivorum, sed vita spiritualis non datur in via sine fide, juxta illud *Justus autem meus ex fide vivit Hebr* 10. 38. Et quidem fides debet esse actualis in suscipiente Eucharistiam, nec sufficit habitualis, 3 opus est enim dijudicare Corpus Domini, idest discernere inter ipsum, & alios cibos; sed hæc dijudicatio, seu discretio fieri non potest per scientiam humanam, aut solam fidem habitualem, quæ non est judicium, & assensus, sed inclinat ad judicium, & assensum. Ergo requiritur in actu fides assentiens, & dijudicans, in cibo illo esse Corpus Domini, & ideò de ea loquitur Ecclesia dicens. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat Fides, præter rerum ordinem*. Et in Hymno *Pange lingua*, ait *Etsi sensus deficit, ad firman-dum cor sincerum sola fides sufficit*.

Secundò requiritur in suscipiente voluntas suscipiendi hoc Sacramentum venerabile Eucharistiæ, quia si coactè, & ejus repugnante voluntate reciperet, nullum effectum reciperet, sufficit autem voluntas vel virtualis, vel habitualis recipiendi, ideircò phræneticis, vel amentibus, qui dum lucida habebant intervalla Eucharistiam petierunt, dari potest Tamburin *de Expedit. Commun cap* 4 § 1 *num.* 4 Emin. Card. de Lauræa *in* 4 *sent tom.* 1 *disp* 25 *de Euchar num* 122 *&* 123 ubi advertit, prædictam voluntatem habere debere pro obje-4 cto sumendi Eucharistiam tanquàm continentem Corpus Christi; quapropter non datur infantibus, vel perpetuò amentibus, quia hi non habent intellectum ad discernendum cibum spiritualem à cibo materiali, & per consequens non possunt habere voluntatem suscipiendi Eucharistiam tanquàm continentem Corpus Christi. Hinc sequitur, peccare Parochos, qui non erudiunt suos rusticos, ac alios idiotas accedentes ad Eucharisticam Mensam, ut 5 sciant, & credant, in ipsa non sumi panem materialem, sed Corpus Christi sub speciebus panis.

Tertiò requiritur ad licitè suscipiendam Eucharistiam status gratiæ, idest, ut anima suscipientis sit immunis, & libera à peccato mortali, quod probatur ex Apostolo. 1 *Cor* 11 ibi *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit &c.* Et ex *Constitutionib. Apostol. lib* 7 *cap* 72. 6 ubi de Eucharistia dicitur *Qui Sanctus est, accedat si quis non est, curet, ut fiat per Pœnitentiam*, adeout, qui peccati mortalis conscientiam habent, debent ante Communionem illam expiare cum Sacramento Pœnitentiæ, etiamsi sibi viderentur esse contriti, ut expresse præcipit Sacrum Concilium Tridentinum *sess* 13 *de Sacrosancto Euchar. Sacram cap* 6 relatis enim supradictis verbis Apostoli de necessaria probatione ante Communionem, subdit. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati,*

*cati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia confessoris, quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Et idem repetiit, & decrevit *d. sess. 13. in can. 11. ibi: Statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Qui autem contrarium docere ausus fuerit &c. eo ipso excommunicatus existat.* Quod quidem præceptum Confessionis faciendæ ab habente peccata mortalia, antequàm accedat ad Eucharistiam, esse præceptum Divinum, probat contra Medinam, & Navarrum Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Eucharist. disp. 14. num. 69. &* Eminentiss. Cardin. de Laurea *d. disp. 25. num. 126.* Tamburin. *de Commun. cap. 1. num. 15.* Et idcircò non sufficit contritio, nisi in tribus casibus. Primus est in casu mortis, si Sacerdos haberi non possit, cui

7 moribundus confiteatur. Secundus est, si Sacerdos teneatur celebrare, & non possit abstinere absque scandalo. Tertius est, si quis non communicando incurreret infamiam, graveve detrimentum, & non haberet copiam Confessarii, à quo posset absolvi, vel quia Confessarius nullus reperitur, vel si adest, non habet facultatem absolvendi à reservatis, à quibus forsan detinetur ille, qui communicare debet, vel ex justo motivo non potest illi Confessario manifestare omnia peccata sua absque infamia, vel absque gravi detrimento; in his enim casibus, elicito actu contritionis, potest sumi Sacra Eucharistia cum obligatione tamen quamprimùm confitendi, ut fusè probat Tamburin. *d. lib. de Exped. Commun. cap. 1. §. 6. & §. 10.* ubi DD. cumulat. Et Eminentiss. Cardin. de Laurea *d. disp. 25. à num. 158. & seqq.* ubi *num. 159.* advertit, sumere

8 Eucharistiam in peccato mortali esse sacrilegium contra virtutem Religionis, irrogans irreverentiam, & injuriam sanctorum Sanctissimo, & casus tremendos ultionis Divinæ in eos, qui præsumpserunt ad sacrum Convivium accedere cum peccato mortali, referunt Bagatta *in Admirandis Orbis Christ. tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 7.* Matthæolus *in Sylva Histor. part. 2. lib. 8. cap. 2. tit. 13.* & Nicolaus Laghius *tract. 4. disp. 2.* Cæterum sumens Communionem Eucharisticam cum peccatis venialibus, sumit non illicitè, neque venialiter peccat, ex communi Doctorum placito, neque priva-

9 tur effectu Communionis, ea ratione, quia venialia non pugnant cum gratia, neque impediunt nutritionem vitæ spiritualis. Jo. Sanctius *in Selectis disp. 22. num. 9.* Tamburin. *de Commun. cap. 1. §. 4.* Emin. Card. de Laurea *d. disp. 25. num. 128.* & Mastrius *in 4. Sent. disp. 3. de Euchar. num. 404.* Quamvis Suarez *de Euchar. disp. 66. sect. 4. §. Dicendum in primis.* Et Emin. Card. de Lugo *ead. tract. disp. 14. num. 31.* teneant, esse peccatum veniale communicare cum multis venialibus, vel ob inanem gloriam, quæ est nova culpa venialis, quia irreverentiam committit, qui ad tantum Convivium accedit cum ejusmodi maculis etsi levibus, quasi cum veste nuptiali aliquantulùm sordida; & ideò vel cum Confessione præcedenti, vel cum eorum displicentia, & proposito emendandi utile est, se purificare etiam à venialibus, quantùm humana fragilitas potest, ante Communionem.

Quartò tandem ad licitè sumendam Eu-

10 charistiam, requiritur in sumente devotio actualis, vel saltem virtualis, quæ consistit in actu reflexo ad excellentiam, & sanctitatem tanti Sacramenti, & ad cognitionem propriæ humilitatis, & indignitatis; cujus respectu Ecclesia præmittit in administratione illa verba *Domine non sum dignus,* ter illa reiterando, ut excitetur devotio, & reverentia in sumente, quæ quidem reverentia præcipitur *in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* & cum non debeat intelligi de actuali absoluta, interpretari debet saltem de virtuali, ad instar intentionis in consecrante, ut notat idem Emin. Card. de Laurea *d. disp. 25. num. 129.* & sic concordantur Theologi dicentes, non

esse necessariam devotionem in Communione, idest actualem, cum aliis Doctoribus & SS. Patribus requirentibus devotionem, scilicet saltem virtualem ad consequendos effectus hujus Venerabilis Sacramenti.

## DECISIONIS LII.

Ad Mensis Novembris Quæsitum Secundum

### ARGUMENTUM.

Statuuntur dispositiones ex parte Corporis necessariæ ad licitè sumendum Sacram EUCHARISTIAM? Quatuor eas esse demonstratur. Naturale jejunium. Modestiam vestimentorum. Facultatem deglutiendi, retinendique Sacramentum in stomacho. Et abstinentiam à copula conjugali. Tres primæ Doctorum auctoritates, & Exemplis firmantur. Remissa quarta dispositione ad Decisionem sequentem.

### *SUMMARIUM.*

1 *Jejunium necessarium in Communicante; exceptis novem casibus.*
2 *Vestimentorum modestia necessaria in accedente ad Eucharistiam.*
3 *Theodoreti mater reprehensa ob vanitatem vestium.*
4 *B. Catharinæ, filiæ S. Birgittæ, cognatam increpat Deipara ob vestes vanas.*
5 *Deglutire qui non potest Hostiam, non est communicandus.*
6 *Vomitus si eveniat post Communionem quid agendum?*
7 *Infirmitas ulla corporalis impedit Communionem.*
8 *Antonius Maria Cortivus de Sanctis Nobilis Patavinus, fundator Congregationis Oratorii Paduæ, repellebat à Communione accedentes cum nimia immunditia in vestibus, vel sine lineo collare.*

## QUÆSITUM SECUNDUM

*Quæ dispositiones ex parte corporis requirantur ad licitè sumendam Sacram Eucharistiam?*

Quatuor fuerunt notatæ dispositiones corporales in responsis. Naturale jejunium. Modestia vestimentorum. Facultas deglutiendi, & retinendi Sacramentum in stomacho. Et abstinentia à copula carnali.

De prima, idest de naturali ejejunio, necessario ad licitè communicandum, fusè actum est supra in mense Januario hujus anni *Decis. III.*, ubi præceptum de jejunio in Communicante ab Apostolis habuisse originem probavi, & novem casus explicui, in quibus tantummodo licitum est communicare absque jejunio, quos lector videat, & reminiscatur. 1

De Secunda, idest de modestia Vestimentorum, præcipuè in mulieribus accedentibus ad Sacrum Convivium, scripsi ad Casum Prudentialem Decembris anni 1683. in quo ex argumentis Theologicis, Juridicis, Scripturalibus, & Historicis demonstravi quomodo, quando, & quantum peccent fœminæ vanas vestes, cum offensione modestiæ induentes. De his agit Tamburin. in d. lib. de Expedit. Commun. cap. 2. §. 3. ubi hæc verba: *Fateor, regulariter vix à veniali excusari eas, quæ tam anxiè faciem dealbant (utinam eodem modo conscientiam) si non ex alio capite, certè ex eo, quod illud tempus, quod expenderunt ad se comendas (de quo scitè Poeta*, dum comuntur, dum pectuntur, annus est) *ad animam piis virtutum actibus exornandum vel certè ad utiliora negotia expedienda, consumere debuissent.* Igitur ut plurimùm mulieres ob vana ornamenta accedant ad Communionem cum peccato veniali. 2

Si Parochos delectat, legant, & prædicent sequens exemplum, modestiam vestium muliebrium concernens, quod refert *Hieronym. à Basilica Petri in suis Ephemerid. Sacris. Kal. Februarii* in vita S. Petri Galatæ eremitæ, ad quem gratia miraculorum illustrem accessit mater Theodoreti insi- 3

insignis Ecclesiæ doctoris, de quo Emin Card Bellarminus *in libro de Scriptoribus Ecclesiast Anno* 430. Itaque duas gratias flagitavit ejus mater à S. Petro Galata, & ut ab oculorum lippitudine, quam patiebatur, esset libera; ac etiam à sterilitate, filiumque sibi impetraret. Verùm quia juvenis ipsa erat, & vanis vestibus ornata, S Eremita eam interpellavit, quid agendum cum quodam, à quo pulcherrima pictura fuerat deturpata? Respondit ipsa, castigandum fore Tunc subdidit S Petrus, tu illa es castigatione digna, quæ imaginem Dei detur pas fucis, pigmentis, & vestitu prophano Pœnituit illam, & promisit emendationem; obtinuitque utramque gratiam, nam, oculorum sanitatem assecuta, peperit deinde prædictum Theodoretum

Proficeret etiam narratio sequens desumpta ex Vita B Catharinæ Virginis, filiæ Sanctæ Birgittæ, quæ reperitur post hujus Sanctæ revelationes, ac miracula *pag. mi-* 4 *hi* 843 *cap* 3 & refertur etiam vulgari idiomate à P Carolo Gregorio Rosignolo Soc. Jesu *in Mirabilib Dei circa Sanctos suos p* 2. *Mirab* 22. Narratio ita se habet S Catharina Svetiæ Principissa, etsi juncta matrimonio Principi Egardo, virginitatem de ejus assensu servabat & vestes humiles induebat, cujus exemplo multæ nobiles consodales ejus, & cognatæ, vestes pomposas; & ornamentum superfluum patriæ reliquerunt Inter quas nobilis domina uxor fratris S Catharinæ domini Caroli, quamvis consiliis, & exemplis ejus in principio pertinaciter resisteret, speciali tamen divinæ visitationis oraculo ad melioris vitæ ordinem conversa est Nam contigit in civitate Calmarnensi, in Capella B. Virginis; dum simul starent in oratione ante imaginem ipsius B Virginis, venerabilis domina Catharina cum uxore fratris, quod domina illa, uxor videlicet memorati domini Caroli paululum obdormiret, videbaturque sibi, quod Beata Virgo hilari vultu respiceret dominam Catharinam sororem mariti sui, se verò torvis oculis, & irato vultu inspectaret Hac visione multum turbata, cœpit cum lacrymis Beatam Virginem orare dicens, Quare Domina mea me ita terribiliter respicitis? Cui Virgo Quare non obedis consiliis dilectæ meæ Catharinæ? Si ejus consiliis, & exemplo habitum tuum, & mores correxeris, ego te per gratiam meam hilariter respiciam. Quæ expergefacta, admonitionis hujusmodi haud ingrata, continuò depositis superbiæ ornamentis, humilitati, & dominæ Catharinæ moribus se studuit conformare. Hucusque narratio ejusdem Vitæ Oh quantæ mulieres nimium comptæ, dum accedunt ad Sacram Eucharistiam sumendam torvis oculis inspectantur à Redemptore propter earum vanitates? Parochi eas arguant, obsecrent, increpent

Quo ad Tertiam dispositionem corporis pro licita communione, requiritur facultas deglutiendi, & retinendi Sacramentum in stomacho; quia cum hoc divinum Sacramentum maxima devotione, ac reverentia sit tractandum, & non exponendum vilipendio, & conculcationi, si recipiens Eucharistiam non posset eam traiicere, vel jam trajectam non posset retinere in stomacho, vel ob tussim, vel ob vomitum, 5 non est communicandus, ne exponantur species Sacramentales periculo irreverentiæ Eminentiss. Card de Lauræa *d. disp.* 25 *num* 94 & nos declarabimus infra *Decis LV* Tamburin. *de Commun cap* 2. §. 5 *num* 13 *&* 14 ubi advertit quando est dubium, an infirmus possit deglutire Sacramentum, vel illud retinere in stomacho, faciendam esse experientiam cum particula non consecrata, quam si deglutiendi facultatem non haberet, vel deglutitam non retineret saltem per horam; non erit communicandus; sic enim convenit reverentiæ hujus Sacramenti, quod si improviso vomitus veniat, & Sacra Hostia expellatur, reponatur in aliquo loco sacro, donec species corrumpantur, & tunc in Sacrarium mittentur Quod si vomi- 6 tus post duas, vel tres horas sequatur, & species non appareant, erit vomitus comburendus, & cineres in Sacrarium proiiciendæ, juxta *Rubric. Missal de defectib occurren tit.* 10. *num* 14. *& ibi* Quartus S. Thomas 3 *part quæst* 83 *art* 6 *ad* 7 Bissus in *Hierurgia Sacra Verb Eucharistia ru* 177 Et Diana Coordinatus *tom* 2. *tract* 2. *resol*

 97 sum-

97 sumpta *ex part 5 tract 3 resol 55* Quo ad alias infirmitates nullus morbus reddit infirmum indignum divino Epulo, quamvis esset illuvies, lepra, fluxus menstruus, Gobat *in Experim. Theolog. tract. 4. num.* 360 neque neglectus corporis in malè vestitis, & immunditiam ex negligentia praeseferentibus Suarez *de Euchar disp 68 sect.* 1 quamvis hos graviter reprehendendos, & aliquando à Sacra Mensa repellendos velit Pax Jordan *tom 1 libr 3 tit 3. num.* 77 quod non semel fecisse Ven. Antonium Mariam de Sanctis, Fundatorem Congregationis Oratorii in hac Urbe Antenorea, cum confratribus Oratorii, qui festivis diebus in illo accedebant ad Communionem absque lineo collare albo, seniores ejusdem Oratorii mihi retulerunt, & in praesentem diem servatur, nisi magna paupertas illos excuset, nam in vestibus sordes etiam Sanctus Philippus Nerius damnabat, saepè usurpans adagium Divi Bernardi *Paupertas mihi semper placuit, sordes verò numquam*. Ita in ejus Vita Petr Jacob. Bacius *lib 2 cap 14 num 8.*

Quo ad quartam corporis dispositionem, videlicèt abstinentiam à copula carnali pro licito accessu ad Sacram Synaxim, quid de ea scribant Doctores, demonstret sequens.

## DECISIONIS LIII.

### Ad Novembris Primum Casum.

### ARGUMENTUM.

Elucidatur, quantam abstinentiam habere debeant a conjugali copula uxorati, recepturi Sacram EUCHARISTIAM Sacri Canones de hac re allegantur, ac plures rationes, & quatuor conclusionibus Casus resolvitur. Subindè duo corollaria ponuntur: Unum de castitate conjugali primitivorum Christianorum Alterum de pernicie immoderatae Veneris in conjugatis juxta Medicorum observationes.

### SUMMARIUM.

1 *Copulae carnali conjuges si vacaverint, sequenti die non sunt communicandi secundum antiquos Canones.*
2 *Maritus debet abstinere ab uxore tribus, aut quatuor diebus ante sacram Communionem.*
3 *Verbum* Debet *importat necessitatem.*
4 *Oza, quare percussus à Domino?*
5 *Gentiles facturi sacra abstinebant ab uxoribus*
6 *Irreverentia irrogatur Eucharistiae, si tangatur manibus immundis*
7 *Maritati, si statim post copulam, sumant Eucharistiam, peccant venialiter.*
8 *Copula inter conjuges non impedit Communionem secundùm aliquos, ob plures rationes.*
9 *Opinio illa amplectenda, ex qua majora bona percipiuntur.*
10 *Monendi sunt conjuges communicaturi, ut abstineant à copula carnali*
11 *Conjux, qui non petiit, sed reddidit debitum, non est repellendus à Communione.*
12 *Conjux, qui petiit debitum recto fine, est admittendus ad Eucharistiam.*
13 *Copula inter conjuges voluptatis causa est culpa venialis*
14 *Conjux, qui ex sola voluptate copulam habuit, non debet die sequenti communicare, nisi ei aliqua justa causa suffragetur.*
15 *Causae communicandi Conjuges, etsi non abstinuerint à copula*
16 *Canones de abstinendo à copula ante Communionem sunt de Consilio*
17 *Copula non exercebatur à fidelibus in primitiva Ecclesia in quatuor casibus, seu temporibus*
18 *Lactare proprios filios est praeceptum naturale in Matribus*
19 *Veneris usus immoderatus est perniciosissimus.*
20 *Epilepticus morbus venit ex immoderato coitu*
21 *Mala ex nimia Venere.*

CASUS

## CASUS PRIMUS.

*Mulier uxorata in Sacramentali foro, facta suarum reconciliatione culparum, Parocho Confessario innuit, conjugi suo, nocte præcedenti debitum solvisse petenti. Quæritur, an eidem sit Sacra Communio concedenda?*

Plures plura scripsere. Alii negarunt. Alii affirmarunt. Alii diversos casus distinxerunt. Omnia, qua majori brevitate potero, argumenta, & rationes referam.

Qui negarunt concessionem Eucharistiæ supradictæ uxoratæ, ob exercitum præterita nocte conjugium, ducti fuerunt.

Primò *ex cap. Sciatis 33. q. 4.* ubi S. Hieronymus sic scribit: *Sciatis fratres charissimi, quoniam quicunque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.* Ergo. [1]

Secundò *ex cap. Quotiescunque, ead. causa 33. q. 4.* ubi sic ait Sanctus Augustinus: *Quotiescunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete.* Cur ita? utique quia in dictis festivitatibus omnes fideles oportebat accedere ad Eucharisticam Communionem. *cap. Etsi non frequentiùs, & cap. Sæculares de Consecr. dist. 2.* Ergo.

Tertiò, *ex cap. Fratres 33. pariter q. 4.* ubi S. Ambrosius inculcat dicens: *Fratres non solùm debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissimè contineatis. Nullus omninò uxori suæ jejuniorum diebus conjungatur.* Non alia certè ratione, quam ob reverentiam futuræ Communionis Paschalis, undè annotatio ad dictum caput ait, quod in alio manuscripto S. Ambrosii legitur: *Nullus omninò uxori suæ jungatur ante Octavam Paschæ.* Ergo.

Quartò, sed aliis pluribus relictis canonibus, illud est irrefragabile Concilii Elibertani, celebrati *anno 305. Illiberi in Hispania*, relatum *in cap. Omnis homo. De Consecr. dist. 2.* his verbis. *Omnis homo ante Sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus: nec inter Catholicos connumerabitur, qui missis videlicet temporibus, Pascho, Pentecoste, & Natali Domini non communicaverit.* Nec est audienda Glossa ad hoc caput asserens, esse intelligendum de consilio, non autem de præcepto; quia totum contrarium videtur verius, loquitur enim Concilium per verbum *Debet* quod importat necessitatem, & inducit præceptum. *l. Sæpè. ff. de Offic. Præsidis.* Fagnan *in cap. Qualiter. num. 37. De Cleric. non residen.* [2] [3]

Quintò. Quia etiam Moyses præcepit populo appropinquanti monti Synai, ut per triduum abstineret ab uxoribus. *Exod. 19. 15.* Abimelech Sacerdos Davidem, petentem panes propositionis ad manducandum, interrogavit, num ipse, & qui secum erant, abstinuissent à mulieribus? *1. Reg. 21.* Plurimi volunt auctores, ideò Ozam, qui tetigit Arcam, percussum fuisse à Domino, quia antecedenti nocte opus conjugis cum uxore exercuerat. Menoch *in Œconomica lib. 1. cap. 12. versus finem.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 13. num. 2.* Immò ipsi gentiles non faciebant Sacra, nisi abstinentes à copula carnali juxta Tibullum *lib. 2. Elegia prima*, sic canentem: [4] [5]

*Vos quoq; abesse procul jubeo, discedat ab aris.*
*Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.*
*Casta placent superis: pura cum veste venite,*
*Et manibus puris sumite fontis aquam.*

Sextò. In sumptione Eucharistiæ abesse debet omnis irreverentia, quia immò est cum reverentia sumenda. *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœniten. & remission.* Sed, qui polluto corpore accedit ad Communionem, committit irreverentiam, tum quia irreverentia irrogatur Sacramento, si manibus immundis tangatur. Emin. Card. de Laurea *d. disp. 25. num. 105.* igitur multo magis si corpore fœdato per pollutionem, tum etiam quia copula carnalis perturbat mentem, & illa delectatio per commotionem spirituum inducit hebetudinem mentis, & alienationem à spiritualibus, Eminent. Card. Toletus *de Septem peccat. mort. cap. 55.* Ergo. [6]

Septi-

Septimò. Quia esse culpam saltem venialem accedere ad sacrum Convivium die, qua carnalem copulam maritati exercuerunt, & sic eos esse ea die repellendos, tenent Alensis, Abulensis, Alex. Cajetan. & alii viginti duo partim Theologi, partim Juristæ, quos cumulat Sanchez *de Matrim. d. lib 9 disp 13 num.* 2. qui *num* 4. refert ex Josepho *lib* 12 *antiquit. Judaic cap* 8 Mathiam Sacerdotem Jerosolymis die quadam abstinuisse à solemni sacrificio, quod nocte præcedenti uxorem cognovisset Quod dictum ego reperire non potui in meo codice E contra

7

Affirmarunt multi, esse concedendam Communionem absque scrupulo prædictæ Uxori, non obstante debiti maritalis solutione.

8

Primò Quia debitum petitum, & redditum recto fine, vel ad prolem generandam, vel ad concupiscentiam sedandam, nullam continet culpam. *cap Vir cum propria* 33 *q* 4. Sancius *in selecti disp* 23 *num* 24. Ergo non impedit Communionem.

Secundò Quia carnalis copula exercita inter conjuges etiam voluptatis capiendæ causa regulariter non excedit culpam venialem Sanchez *d. disp* 13 *de Matrim num* 7 Sed culpa venialis non impedit Communionem Suarez *de Euchar disp* 63 *sect* 3 Tamburin. *de Commun cap* 1 § 4 Ergo

Tertiò Quia, qui cœnando causa voluptatis comedit, venialiter dicitur peccare Sed iste non repellitur à Communione Tamburin. *d. lib de Exped. com cap* 2. *num* 5 Ergo neque prædicta Uxor.

Quartò Quia si abstinere à Communione post conjugalem copulam est actus reverentiæ, & Religionis, etiam communicare, & suscipere Eucharistiam est Religionis actus, & quidem major, ut probat Joan. Sancius *in Select d disp* 23 *num.* 13 Sed in concurrentia actuum locus dandus est majori Ergo Communio erit concedenda

Quintò Illa est opinio amplectenda ex qua majora bona percipiuntur Sed abstinendo ab Eucharistia unum tantùm bonum resultat conjugibus, qui debitum maritale persolverunt, scilicet actus reverentiæ, & Religionis in Sacramentum at illam sumendo, resultant plurima bona, nempè augmentum gratiæ, remissio venialium, auxilia ad frænandas passiones, & tentationes, ad acquirendasque alias virtutes Suarez 3 *p q* 79. *art* 8 *disp* 84 *sect* 1 Sancius *d disp* 23 *num* 16 Ergo

9

Sextò Si qui habeat peccatum veniale mendacii levis, vel iracundiæ, vel non gravis detractionis, seu affectum ad hæc levia peccata, bonum erit consilium, ut ab eis abstineat; sed si abstinere nolit, non erit consilium salubre, ut abstineat à Communione, alioquin committeret illa venialia, & perderet fructum Eucharistiæ, ac auxilia ad superandas illas tentationes, & inclinationes malas Vasquez *de Euchar. quæst* 80. *art* 7 *num* 27 Sancius *d disp.* 23 *num* 21 Ergo idem in casu nostro

Septimò Quicunque inciderit in pollutionem fornicariam, vel peccaminosam; & dolens, ac peccati pœnitens confessus fuerit, non est repellendus à Communione; cui obest tantummodò culpa mortalis S. Thom *Opuscul* 65 § *De Eucharistia num.* 20. Gabriel *in Canone Missæ lect* 10. *Litt* O. Baja *de casib Consc part* 1 *Casu* 8. *in fine* Sed in uxoratis non fuit culpa mortalis ob exercitam copulam, ut supponitur Ergo non est neganda Eucharistia iisdem, ut mordicus tenet, & defendit Joan Sancius *in Selectis d disp* 23. ubi plurimas rationes, & auctoritates congerit.

Distinxerunt alii diversimodè, ex quorum dictis deducuntur sequentes conclusiones pro casus resolutione

Prima conclusio Monendi semper sunt conjuges, & consulendi, ut communicaturi abstineant à copula carnali saltem antecedenti die ob reverentiam tanti Sacramenti, ut advertunt omnes Doctores Sanchez *de Matrim d. lib* 9. *disp.* 13 *num* 17. Jo. Sancius *in Select d disp* 23 *num* 11. Emin Card de Lauræa *de Euchar. d. disp.* 25 *num* 93.

10

Secunda conclusio Si conjux communicandus copulam carnalem egit, non petendo, sed reddendo, non est repellendus à Communione Glosa *in cap. Omnis homo verb Abstinere* & ibi Cardin. Turrecrem. *de Consecr. dist.*2. Sanchez *de Matrim. d. lib* 9

11

*d. lib 9. disp 13 num. 9* ubi DD cumulat, quibus favet doctrina sancti Francisci Salesii, huc referenda suis ipsissimis, ac dulcissimis verbis, quæ habentur *ad Philoteam, seu in Introduct. ad Vitam devotam part 2. cap 20.* Igitur sic Sanctus loquitur *Bisogna, che io dica questa parola per le persone maritate A Dio non piaceva nell' antica legge, che li creditori volessero esigere ciò, che era loro devuto, ne giorni di festa, mà non vietò mai, che i debitori non pagassero, e rendessero il loro debito à quelli, che lo dimandavano. Quindi è, che per rendere il debito matrimoniale, non deve alcuno essere privato della Communione, se per altro la sua devotione lo spinge à desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Christiani si communicavano ogni giorno, ancorche fossero maritati, & havessero la benedittione della generatione de figli.*

Tertia conclusio Si communicaturus 22 exercuit conjugalem copulam petendo, ductus tamen recto fine, ut causa prolis, vel sedandæ concupiscentiæ, & ad evitandum periculum pollutionis, & in hoc casu, suo judicio est relinquendus, ut juxta suam devotionem vel accedat ad sacram Mensam, vel abstineat. *Cap. Vir cum propria 33 q 4* S Thom *3 p q 80. art 7 ad 2.* S. Antonin. *3 p tit 13. cap 6. §* 10. & alii plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matrim d. lib 9. disp 13 num. 5* ea ratione quia finis rectus, & motivum honestum adæquat, & præponderat corporali immunditiæ, & voluptati, quæ intercedit in copula conjugali; quod approbant Castropalaus *de Eucbar punct 13 num. 3 apud* Gobatum *in Experim. Theol d. tract 4 num. 356. Collegium Salmanticen tom. 10. De Sacramentis tract 4. cap 7 num 63* Bernal, atque Leander apud Dianam *part 10. tract. 16 resol. 34.* quæ requiescit in Coordinato *tom 2. tract 2. resol 51.*

Quarta conclusio Si debitum conjugale petitum, & exercitum sit gratia voluptatis 23 capiendæ, quia hodie excusari non potest à culpa veniali, cum contraria opinio sit tamquam erronea damnata ab Innocentio Papa XI *anno 1679 die 4. Martii opinione IX* tutius, & honestius erit, non admittere conjugem, qui petiit debitum, die immediatè sequenti ad Communionem, S Thom *3 p q 80. art 7 ad 2.* Ex Volpi *Resol. Moral. Verb. Eucharistia resol 61 num 35* Nisi aliqua urgens causa eum 24 juvet, & resarciat indecentiam suam; talis autem erit magna festi solemnitas, dies Jubilæi, aut solemnis Indulgentiæ, particularis devotio, seu præparatio, pericu- 25 lum incurrendi aliquam notam, vel suspicionem apud eos, qui non communicantem observarent, ut considerat Sanchez *d. lib 9 de Matrim disp 13 ubi DD num. 8 Collegium Salmanticen d. tract 4. cap 7 num. 63* & Tamburin *de Expedita Com d. cap 2 §. 1.* Idem procedere docent in eo, qui peccaminosam pollutionem passus est nocte antecedenti, sed eam per Sacramentum Pœnitentiæ expiavit. Quo verò ad sacros Canones pro negativa opinione supra relatos, communis est responsio, eos loqui de 26 consilio, non autem de præcepto, excepto tamen *cap Omnis homo De Consecr. dist 2* qui ibi Concilium Elibertanum verè, & propriè imponit præceptum, sed hodie ex contrario usu censetur abrogatum tamquam nimis rigorosum, prout etiam aliqui alii Canones ejusdem Concilii, ut ex. Vasquez notat Gobat *d. tract 4. num. 354* & Illustrissimus Episcopus Baptistinus in Histor Concilior *anno 305 ad Concil Eliberin num 4.*

Ex eis studiosum Lectorem non pigeat, duo corollaria notare Unum est, quod in primitiva Ecclesia Christi fideles conjugalis castitatis, & majoris continentiæ cultores, & amatores erant, siquidem ab uxoribus abstinebant I. diebus jejuniorum, & Processionum, ut orationi vacarent. *cap Fra-* 17 *tres* & *cap Christiano 33 qu 4* II Ante dies festos, & ipsis diebus festis, in quibus sacram Communionem erant recepturi *cap Sciatis eod 33 num 4 & cap Omnis homo De consecr d. 2.* & de hac observantia, & abstinentia à concubitu cum uxoribus plura scribit Tiraquell. *de leg Connub 15 gloss 1 num. 111 & seqq* III A die conceptæ prolis in utero usque ad ejus partum, & à tempore partus usquequò mater lactabat suam prolem *Cap Si causa 33 qu. 4. Et cap Ad ejus verò dist 5.* ubi hæc aurea verba: *Ad ejus verò*

(Uxo-

(Uxoris) *concubitum vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur.* Mos enim erat piarum matrum proprios filios lactare, non autem alienis tradere nutricibus; quod videtur naturale praeceptum, quia unicuique mulieri parturienti natura lac subministrat, quod notat Menoch *in* 18 *OEconomic lib 2. cap 4. num 1 & 2.* Et IV. viri non tangebant uxores menstruatas, & ab earum consortio penitùs abstinebant *d. cap Ad ejus verò* ibi *Cum in consuetis menstruis* (Uxores) *detinentur, viris suis misceri prohibeantur ita morte lex sacra ferrat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat.* Scio hisce temporibus à Moralistis supradictos casus à culpa lethali, si in eis debitum matrimoniale exerceatur, excusari, sed ita non erat apud primitivos fideles, quorum religionem nos hæreditavimus, & eamdem futuram gloriam cum ipsis inquirimus.

Alterum corollarium est, immoderatum Veneris usum cum uxoribus esse perniciosissimum: coitus enim semper est noxius, numquam salutaris, & juxta celeberrimum Cliniæ Pythagorici dictum, tunc 19 Venus est exercenda, cum quis damnum aliquod subire vult, vel seipso deterior fieri desiderat. Tiraquell *de legib Connub. d. leg 15 gloss 1 part 15 à num 6 & seqq.* Zacchias in *Quæst medicolegal lib 6 tit 1 qu 5 num 6 & lib 7 tit 3 qu 4 num 15.* Rationem esse manifestam dicunt Medici, & Philosophi, siquidem carnalis copula diminuit calorem naturalem; quippè cum materia seminalis maximè spiritosa sit, ea ex corpore expulsa, meliores spiritus, subtiliores, & qui præ cæteris naturalem calorem fovent, dissipantur, & evanescunt, & sic Vir, aliàs robustissimus, redditur imbecillis, præterquàmquod labor impensus in exercenda Venere spiritus ipsos exhaurit, succeditque membrorum languor, & lassitudo, & totius individui detrimentum, ut probat Galen *lib 1 de semin cap 16* & *Zacchias in d. qu. Medicolegal cons 70. num 5.* Hinc cruditates accumulantur in stomacho, quæ omnium morborum, ac articularium dolorum materialis causa existunt, ob multas serositates, & humores aqueos, crudos, & tenues, qui profluunt in articulos, & afficiant quamcumque corporis partem, & præcipuè cerebri ventriculos, undè provenit Apoplexiæ, & mors, ut *in d cons 70. num 8* habetur ex Galeno *lib 1. de Spermate*; nec desunt exempla eorum, qui immoderatè coeuntes occubuerunt in ipso concubitu, videlicèt Cornelius Balbus Prætorias, & Q. Heterius Eques Romanus, de quibus Plinius *lib 7 cap 53* & Valerius Max *lib 9. cap. 12.* & de quodam Principe Tarentino, qui congrediens cum meretrice emisit animam, tradit S. Petr Damianus, & Jovian. Pontanus *in lib de Obedientia* de quodam Beltrando, qui in Venere expiravit, & de aliis notat Tiraquell *tit Lege Connub. 15 gloss 1 part 15 n 27 & seqq* ubi numerat quinquaginta species morborum, & infirmita- 20 tum emanantium ex coitu immodico, & exuperante, inter quas *num. 54.* morbus *Comitialis, seu Epilepticus*, ex sententia Hippocratis, & Galeni, de quo Faustus conclusit:

*Turpis & est morbi species horrenda caduci*
*Cum jacet exanimis post sua furta Venus.*

Alia plura hujuscemodi detrimenta indulgentibus Veneri magis, quàm oporteat, referant Mercurial *lib. 2. de morbis Mulier cap. 2.* Massaria *libr. 4. pract 6* & Zacchias *post d Quæst Medicolegales cons. 83 num 15* & præcipuè quod ex nimio frequentato coitu non generatur proles, & vita coeuntis abbreviatur, undè sic dissent S. Antonin *in summa part 2. tit 5. cap 1 de Luxuria §. 12 Vers Tertiò consumit.* Videlicet *Luxuria consumit vitam. Seneca Plures occidit voluptas, quàm gla-* 21 *dius & quidam sapiens eam describens ait: Luxuria est inordinata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ corpus humanum debilitat, & viriles animi robur enervat. Unam ex rationibus, quare antiqui Patres tantum vivebant, & robusti; nunc autem parvo tempore, & plem debilitate, hanc esse puto, quod erant magis continentes, tardè contrahebant matrimonium, interim servando castitatem, nunc autem à pueritia incipiunt plem esse luxuriis, nimis citò contrahunt matrimonium, sed si differunt, perpetrant innumera mala,*

Quæ

Quæ dicta sint, ut Parochi, & Confessarii argumenta habeant ad suadendos uxoratos, ut conjugalem continentiam ament, & à coitu effrœnato abstineant.

## DECISIONIS LIV.

Ad Novembris Secundum Casum

### ARGUMENTUM

Disputatur, an sumptio Tabacchi ante Missam, vel ante Communionem, frangat jejunium naturale, & reddat suscipientem inhabilem ad celebrandum, seu communicandum? Agitur de proprietatibus Tabacchi, & de essentia jejunii naturalis, seu Eucharistici. Referuntur historiæ de Indis, & militibus, viventibus solo Tabaccho, absque alio cibo. Examinantur rationes pro utraque opinione circa fractionem jejunii naturalis, & adducuntur Concilia, atque Decreta Summorum Pontificum, prohibentia sumptionem Tabacchi. Distinguuntur tres modi sumendi Tabacchum; & deciditur casus auctoritatibus, & rationibus, non solùm Theologicis, sed Philosophicis, ac Medicis.

### SUMMARIUM

1 *Tabacchi sumptio an impediat Sacram Communionem?*
2 *Tabacchus cur sic dictus? Et ejus alia nomina.*
3 *Tabacchus est temperamenti calidi, & sicci*
4 *Tabacchus quibus modis accipiatur?*
5 *Jejunium naturale in quo differat ab Ecclesiastico?*
6 *Jejunium naturale quomodo frangatur?*
7 *Jejunium naturale ante Communionem requiritur ob tres causas*
8 *Tabacchi sumptionem impedire Communionem, qui docuerint?*
9 *Tabacchus nutrit*
10 *Miles, qui vixit septem dies solo Tabaccho*
11 *Tabacchus habet vim medicamenti*
12 *Concilia Provincialia prohibentia usum Tabacchi ante Eucharisticam Communionem*
13 *Concilia Provincialia etsi non obligent extra Provinciam, tamen dant directionem*
14 *Tabacchi sumptio prohibita Sacerdotibus ab Urbano VIII. Innocentio X & Innocentio XI*
15 *Tabacchi sumptione non frangitur jejunium naturale ex Diana ob duas rationes*
16 *Tabacchus non est cibus, quia non nutrit.*
17 *Potus debet esse humidus*
18 *Nutrimentum debet habere humiditatem, & esse ex genere dulcium*
19 *Tabacchus sumptus per masticationem, vel per fumationem frangit jejunium naturale duplici de causa*
20 *Pituita nutrit*
21 *Animalia, quæ nutriuntur sola pituita?*
22 *Saliva deglutita non frangit jejunium naturale*
23 *Zacchias medicus quid sentiat de Tabaccho circa fractionem jejunii?*
24 *Tabacchus sumptus per nares in pulvere non frangit jejunium, sed habet magnam indecentiam annexam*

### SECUNDUS CASUS.

*Cum inter necessarias dispositiones corporis ad Sacram Eucharistiam recipiendam, illa sit præcipua, quæ respicit naturale jejunium Quæritur, an sumptio Tabacchi ante Missam, vel ante Sacram Communionem frangat jejunium naturale, & reddat suscipientem inhabilem ad celebrandum, seu communicandum?*

Celebris est hæc controversia inter Theologos morales, quorum antesignanus Antoninus Diana, de ea triplicem disputationem instituit, quamvis profiteatur, se à Tabaccho omninò abstinuisse, videlicet *part* 5. *tract.* 13 *resol.* 1. [1]

*& part. 8 tract. 7. resol. 3.* & denique *part. 10. tract. 16. resol. 24. aliàs* 23. Quæ omnes in opere suo Coordinato fixæ sunt *tom. 2. tract. primo resol.* 120. 121 & 122. In quibus non solùm rationes hinc inde, sed etiam auctores pro utraque opinione recenset, sed quia eorum argumenta videntur aberrare à medicinæ principiis, à quibus pro dignoscenda natura Tabacchi, & essentia naturalis jejunii est regula desumenda, idcircò penitùs vim, & effectus Tabacchi, breviter examinare censui, & sic casum propositum, relatis Theologorum opinionibus, resolvere.

De Tabaccho nonnulla, non injucunda lectoribus, scripsi anno 1682. ad casum prudentialem Mensis Martii, tradendo media adhibenda, ad eliminandum in Ecclesiasticis abusum sumptionis Tabacchi, sed hanc tractationem nunc reassumendo, sciendum est.

Primò; quod Tabacchus est simplex herba, sic dicta à nomine Insulæ, in qua largiter nascitur, quæ hoc nomine vocatur, ut videre est apud Ferrarium *in Dictionario Geographico Verb. Tabacchi insula*, 2 vulgariter dicta *l'Isle Tabaga*. Et est insula Americæ meridionalis in mari Boreali, Intra circulos Cancri, & Æquatoris, habens ab uno latere insulam *Granada*, & ab alio insulam *la Trinidad*, ut in chartis geographicis *Guilelmi Sampsonis*, sub dominio Holandorum, sed capta anno 1679 à M. de Estrees, teste P. Coronello *in pagina Americæ per eum nuper evulgata*. Et non solùm hæc herba *Tabacchus* vocitatur, sed aliis gaudet nominibus, nam ab indigenis dicitur *Pietelt*, à botanicis *Petum*, *Nicotiana*, *ac Herba Santa Croce*, *ut observat* Nicol. Monard. *De Simpl. Medic. ex Occident. India delata cap. de Tabaccho* & Paulus Zacchias *in Quæst. Medicolegal. lib. 9. tit. 7. quæst. Unica num. 1. & 2.* ubi notat, Tabacchum esse temperamenti calidi, & sic- 3 ci in secundo gradu, & ideò utilem ad omnes morbos frigidos, saporis amari, atque acris, provitantis sternutamenta, contra assertionem Lessii *de Just. & Jure lib. 4. cap. 3. num. 19.* dicentis, esse frigidum refrigerantem, & narcoticum, idest somniferum, seu soporiferum, ac de genere *Hyoscyami*, videlicèt herbarum venenatarum. Quamvis autem in medicina plures usus habeat Tabacchus, tamen apud homines, præsertim Religiosos, ejus usus, seu potiùs abusus, ad tres modos recipiendi reducitur, ad nares in pulvere, ad os in fumo, vel in folio ipsum masticando, ad effectum vel excitandi sternutamenta pro 4 capitis expurgatione, vel ea habenda per provocationem pituitæ, & ejusdem expulsione, ut latiùs idem Zacchias *d. lib. 9. tit. 7. qu. unica num. 2.*

Secundò sciendum Quod, licèt certum sit in Ecclesia Catholica, ad recipiendam Sacram Eucharistiam necessarium esse jejunium naturale in recipiente *cap. Sacramenta de Consecr. dist. 1. & cap. Liquido De consecr. dist. 2.* (quod supra probatum est in primo casu Mensis Januarii hujus anni, ubi casus novem cumulavi, in quibus potest sumi sacra Synaxis absque jejunio naturali) & quamvis nota sit differentia inter naturale jejunium, & jejunium Ecclesiasticum, scilicèt quod istud non frangi- 5 tur, si sumatur modicum cibi, neque violatur per medicamentum, neque per potum, non solùm aquæ, sed etiam vini, quod nutrit. Sanchez *cons. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 25. num. 2.* Lessius *de Just. & Jure lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 10.* (sic Ecclesia indulgente, ne nimium dispendium sanitas fidelium è suis molestia patiatur) at è contra per hæc omnia naturale jejunium violetur S. Thom. *3 part. qu. 8 art. 8. ad 4.* Nihilominùs non est certum apud Theologos, & Canonistas, quando dicatur fractum jejunium naturale? Alii enim ad ejus fractionem, & violationem requirunt duo, hoc est, ut suma- 6 tur vel cibus, vel potus, vel medicamentum, etsi in parva quantitate & quod sumptio sit per commestionem, vel potationem, idest per actionem, quæ juxta communem hominum existimationem, vocatur comestio, & potatio. Diana Coord. *d. tom. 2. tract. 1. resol. 120. §. 2.* Alii, præter illa duo, requirunt quid tertium, nempè quod res per modum cibi, vel potus recepta, habeat naturam cibi, vel potus, & facultatem nutriendi; idcircò non frangitur jejunium naturale, si

traicia-

trajiciatur in stomachum aurum, argentum, plumbum, lignum, terra, vel quid simile. Gobat *in Experim. Theolog tract. 4. num* 263 & Tamburin. *de Expedit commun. cap* 2. § 6. *num* 28. Sed alii DD id non probant, dicentes prædicta, & similia, quamvus non habentia naturam cibi, vel potus, nec vim alendi, frangere jejunium naturale, de cujus essentia est, ut nihil penitùs ineret in stomachum, ob reverentiam Sanctissimi Corporis Christi. Ita Castropal *de Euchar. disput Unica. punct* 13 *num* 7 ubi plurimos refert. Villalobos *tom.* 1 *tract* 7. *diffic.* 39 *num.* 1 Scortia *de Sacrif. Missæ lib* 2. *cap* 7. *num* 1 & alii, quos citat, & laudat Collegium Salmanticen *de Sacram tract* 4. *cap* 7 *num.* 70. & novissimè Byssus *in Hieurgia Sacra tom.* 1 *Verb Jejunium naturale n.* 9. § 2. Etenim æquiritur, quod ante Communionem stomachus sit omninò vacuus, & novus à quacunque re propter tres causas. *Prima* est ob sanctitatem Sacramenti

7 *Secunda*, ne devotio accipientis impediatur & *Tertia*, ut evitetur quodcunque periculum vomitus, & irreverentiæ. S. Thom *in* 4 *dist* 8. *qu.* 1 *art* 4. *in resp* Sylvester *Verb Eucharistia* 3 *num.* 8. Fagnanus *in cap Si consliterit num.* 17 *de Accusat.* Sed his tribus causis officere possunt res deglutitæ in stomachum, etiamsi non habeant naturam cibi, aut potus, neque qualitatem nutriendi; & ad minus primæ, & tertiæ, scilicet sanctitati Sacramenti, cui derogatur per trajectionem præcedentem in stomachum cujuslibet materiæ, ac etiam ne vomitus, aut alia indecentia insurgat contra reverentiam Sacrosanctæ Eucharistiæ debitam.

His prænotatis deveniendo ad casus propositi resolutionem, opinionem affirmativam, idest sumptionem Tabacchi ante Missam, & ante Communionem frangere jejunium naturale, & reddere

8 suscipientem inhabilem ad celebrandum, vel communicandum, docuerunt Antonius de Leone *in Quæst Moral de Chocolate part* 2. § 4. *à num* 10. *& seqq.* cujus verba Hispanica ponit per extensum Diana *in cit opere Coordin tom* 2. *tract* 1. *resol* 120. & eidem Leoni adhæsit Lezana *in summa tom* 3 *Verb Eucharistia quo ad Regulares num.* 17. contra quem sumpsit arma idem Diana, & commistiones aggregavit *part* 8. *tract* 7. *resol.* 3 *& part* 10. *tract.* 16 *resol.* 24. *ubi* 23 quæ positæ, & coordinatæ sunt *in d tom* 2. *tract* 1 *resol.* 121 *&* 122. Rationes Lezanæ, & Leonis sunt. Primò, *quia Tabacchus verè est nutrimentum, ut constat ex multis experientiis plurium, qui ex ipso solo sustentati sunt.* Hæc sunt verba Lezanæ, quæ videntur fundata in auctoritate Nicolai Monardi *in simplici medic Histor cap* 14. ubi virtutes omnes refert herbæ Tabacchi, & inter cæteras, ait: *Usus est etiam Tabacchi apud Indos, famis, sitisque sedandæ gratia hoc modo; conchylia quædam cochlearum fluviatilium urunt, deinde attritum calcis modo; hujus, & foliorum Tabacchi æquas partes*

9 *sumunt, manduntque, donec ex utrisque massa quædam fiat, quam in pilulas, pisis majores, formant, atque in umbra siccatas in usum reponunt. Facturi iter per deserta, ubi neque cibum, neque potum inventuros se putant, harum pilullarum secum delatarum unam inter labrum inferius, & dentes reponentes, ejus liquorem assiduè sorbent; qua absumpta aliam reponunt, atque item aliam, donec peregrinationem triduanam interdum, aut quatriduanam absolvant: itaque ratione toto illo tempore, neque famem sibi molestam esse, neque sitim afferunt.* Eadem referuntur à Simone Paulo Medico Regio Aathusiensi, *in Commentar. de Abusu Tabacchi* ubi *pag* 4 citat eximios alios Auctores, qui *de Tabacologia* libros typis dederunt; & præmissa confirmat Joann Chrysostom. Magnenus in Ticinensi Universitate Medicinæ Professor in suis *Exercitat. de Tabaccho anno* 1648 ubi *Exercitat* 9 § 1 hæc habet. *Miraculo proximum est, quod de Tabaccho in hoc famem, sitimque sedandi effectu recensetur* à Monardo, Lopez de Omara, Oviedo, Benzone, Dalechampio, & aliis; *idque admirationem superat, quod absque cibo, & potu alacres, & laboribus reddat aptissimos. Militibus, castrensique lixarum turbæ in Europa, nunc & in voracioribus Europæ populis notissimum est, triduanam expeditionem, nullo incommodo,*

*modo, absque potu, ciboque obiri posse, dummodo Tabacchum adsit unicuique, sive illud fumo, sive trochiscis habeatur assumptum.* Et paulò post. *In obsidione Valentiæ anno 1636 miles fuit, qui hebdomadarium sustinuerit inediam, globulis Tabacchi vires belli laboribus aptas conservans.* Ac inferius *Peruviani tamen meris Tabacchi foliis utuntur ex* Lopez de Homara. *Idem expertos se beneficium à Tabacchi fumo retulerunt mihi milites fide digni, qui uncia Tabacchi unica biduum absque potu, ciboque, immò & absque horum desiderio transegerant.* Et quod Tabacchus, quocunque modo sumatur, habeat vim nutriendi, ac sedandi famem, & sitim late probat rationibus Philosophicis, ac Medicis *P. D. Benedictus Stella Monachus Benedictinus in libro* (vulgari idiomate, sed non vulgari eruditione ornato) *De Tabaccho cap. 31. & cap. 32.* quem Tabacchistas legisse delectabit, & hæc dicta sint in defensionem P. Lezanæ, qui Vir eruditissimus, ac Carmelitanæ Religionis nobile ornamentum, asserendo Tabacchum nutrire, non sine ratione, ac auctoritate Medicorum, & Philosophorum id asserit.

10

Secunda ratio, quod per Tabacchum, præcipuè sumptum in folio per masticationem, vel in fumo, solvatur jejunium naturale, illa est, quia habet vim medicamenti, & sumitur tamquam medicina, vel ad exonerandum caput, vel ad confortandum stomachum, sive ad solvendum ventrem: vere enim Tabacchus est herba medicamentosa, ac quocumque modo sumatur, pro medicamento sumitur. Zacchias *al. lib. 9. Quæst. Medicolegal. tit. 7. quæst. Unica num. 2.* Sed post sumptionem medicamenti, in quacunque parva quantitate, non licet Sacram Eucharistiam accipere. S. Thom. *3. part. qu. 80. art. 8. ad 4.* Ergo.

11

Tertia ratio desumitur ex Concilio Provinciali Limense *die 7. Octobris 1588.* sic decernente: *Prohibetur sub reatu mortis æternæ Præsbyteris celebraturis, ne Tabacchi fumum ore, aut Sysi, aut Tabacchi pulverem naribus, etiam prætextu medicinæ sumant.* Et ex alio Concilio Mexicano *die 27. Octobris 1589.* ita præcipiente: *Ob reverentiam, quæ Eucharistiæ percipiendæ exhibenda est, præcipitur, ne ullus Sacerdos, ante Missæ celebrationem, aut quævis alia persona ante Communionem quidquam Tabacchi, per modum fumalis evaporationis, aut quovis modo percipiat.* Qui quidem Conciliares, ac Provinciales Canones referuntur à Diana Coord. *d. tom. 2. tract. 1. resol. 120. § 1.* & à Byssio in *Hierurg. Sacra. Verb. Sumptio Tabacchi num. 215. § 3.* qui testantur, eosdem ab Apostolica Sede confirmatos, & quamvis non obligent nisi in illis Provinciis. Baldellus *de Legib. lib. 5. disput. 8. num. 1.* habent tamen magnum pondus ad comprobandum, illicitam esse rem ab eis prohibitam, etsi ob approbationem Sedis Apostolicæ eos transiisse in legem universalem velit P. Benedictus Stella *in d. opere de Tabaccho cap. 33.* ubi ponit Bullam Urbani Papæ VIII incipien. *Cum Ecclesiæ die 30. Januarii 1642.* prohibentis in tota Hispalen. Diœcesi quamcunque sumptionem Tabacchi in Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliam consimilem prohibitionem factam ab Innocentio Papa X. *anno 1650.* contra Tabacchum sumentes in Ecclesia, vel in atrio Basilicæ S. Petri Urbis Romæ.

12

13

Quam quidem prohibitionem nuper confirmavit Innocentius Papa XI. *die 10. Octobris 1681.* sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda, & scutorum 25. solvendorum à Presbyteris Tabacchum sumentibus in Sacristiis Urbis Romæ, & de ejus Sanctitatis mandato S. Congregatio Concilii omnibus Episcopis imposuit *die prima Aprilis 1678. Ut sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda prohibere valeant Sacerdotibus, ne manè antequam Missam celebrent, ullatenus Tabacchum sumant*, teste Josepho Chrispino Episcopo *In libr. de Pastorali Visitat. part. 2. § 10. num. 24.* Quibus omnibus fulcitur maximopere opinio PP. Leonis, & Lezanæ affirmantium, non esse licitam Sacram Communionem post sumptum Tabacchum.

14

Contrariam tamen opinionem sustinet Diana Coordinatus *citat. tom. 2. tract. 1. resol. 120. resol. 121. & resol. 122.* ubi plurimi

15 plurimos asseclas Moralistas cumulat, quorum omnium duæ sunt rationes præcipuæ; *Una*, quod ad violandum jejunium naturale, quidquid sumitur, debet sumi tanquam cibus, vel potus, *ex cap. Liquido de Consecr. dist. 2. ibi: In honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intret, quam cæteri cibi*: & per actionem, quæ ex communi hominum existimatione dicatur comestio, vel potatio ex Rubrica Missalis *de Defectib. dispositionis Corporis tit. 9. num. 1. ibi: Si quis non est jejunus post medium noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantacunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare*. Sed Tabacchus non est cibus, neque potus, & non sumitur per modum comestionis, seu potationis, ergo non frangit jejunium naturale. *Altera ratio* est, quia ad violandum naturale jejunium res sumpta, & in stomachum trajecta debet esse alimentalis, & habere facultatem nutriendi, ideò lignum, filum, frustum charthæ, & similia, quæ non nutriunt, non impediunt Communionem Gobat, & apud eum alii ita docentes, *in Theolog. Experim. d. tract. 4. num. 261. 262.* Sed Tabacchus non nutrit, nec habet facultatem nutriendi, ut Diana supponit. Ergo non frangit naturale jejunium.

Quod Tabacchus non sit cibus, neque potus, neque comestio, vel potatio, ut in prima ratione, probari potest ex principiis Philosophicis, & Medicis. Nam, quod non sit cibus, patet, quia quidquid non habet facultatem nutriendi non est cibus. Galen. *lib. 3. de Alimen. fac. cap. 40.* Sed Tabacchus nutriendi vim non habet. Ergo non est cibus. Minor probatur.

16 Quod habet vim alendi debet à natura vinci, & membris assimilari. Avicen. *in cant. text. 1. tract. 1. num. 76.* At Tabacchus neque vincitur à natura, neque membris assimilatur, quia partem nullam alibilem habet, sed tantùm medicamentosam. Zacchias *d. lib. 9. Quæst. Medicolegal. tit. 7. quæst. Unica à num. 14. & seqq.* Ergo non est cibus. Ad exempla Indorum, & multum viventium ex solo Tabaccho respondebitur infra. Similiter Tabacchus non est potus, quia potus debet esse humidus, tanquam institutus à natura ad distributionem ciborum solidorum, ad sitim levandam, & ad corporis refrigerium. Mercat. *de Sanit. & ejus conserv. class. 2. art. 2. quæst. 264. num. 88.* Lessius *de Justit. & Jure lib. 4. cap. 2. dubit. 2. num. 10.*

17 Sed Tabacchus quomodocunque sumatur, humidi rationem non habet, neque ullam ex supradictis facultatibus habet, quia ut dictum est in primo notabili, est temperamenti calidi, & sicci. Ergo non est potus. Pari modo sumptio Tabacchi dici non potest comestio, vel potatio, siquidem, ut supra notatum est, vel sumitur per nares in pulvere ad excitanda sternutamenta; vel per masticationem folii Tabacchi in ore ad alliciendam pituitam è capite, & eam expuendam, vel per fumum ex tubulo in os attractum, qui in capitis cavitates defertur, & indè pariter pituitam elicit, quæ expuitur, & nulla harum actionum est comestio, vel potatio, de quarum essentia est, traicere rem per guttur ad stomachum. Caramuel in *Fundament. Theolog. num. 3583. & seqq.* & Gobat *d. tract. 4. num. 261.*

Secunda pariter ratio Dianæ, seu Tabacchistarum, quod scilicet Tabacchus non habeat vim alendi, nec facultatem nutritivam, & sic non frangat naturale jejunium, probari potest ultra prædicta quia si sumatur in pulvere, vel in folio, quidquid nutrit, debet habere in se humiditatem, & esse ex genere dulcium. Galen. *lib. 4. de Simplic. medic. fac. cap. 10.*

18 nam omne nutrimentum vel est dulce, vel unctuosum, vel ex his compositum. Idem Galen. *lib. de Ocul. cap. 1. part. 5.* Sed Tabacchus non est humidus, cum sit temperamenti calidi, & sicci, & non est dulcis, sed amarus, Ergo neque nutrit, neque facultatem nutritivam habere potest. Ulteriùs, si sumatur in fumo; fumosa omnia sunt amara. Cardan. *lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 36.* Sed amara non nutriunt. Galen. *d. lib. de Simpl. Medic. fac. cap. 15.* idem Cardan. *d. lib. 1. cap. 5. & cap. 40.* Ergo Tabacchus sumptus in fu-

in fumo non habet facultatem alibilem. Tandem fumida substantia tantùm abest, quod nutriat spiritus, quin ipsos dissipat, ac destruit, est enim contraria substantiæ spirituum puræ, ac lucidæ. Ergo Tabacchus in fumo nullam dat nutritionem, nutritio enim fit per similia. Zacchias d. *lib. 9. Quæst. Medicolegal. tit. 7. quæst. Unic. num. 32.*

In hac controversia, mea est opinio, Tabacchum sumptum in ore vel per masti-
19 cationem foliorum; vel per fumationem frangere jejunium naturale, de pulvere sumpto per nares dicam in fine.

Igitur, qui masticat folia Tabacchi, vel ipsum sumit in fumo, violat naturale jejunium, duplici respectu, scilicet nutritionis, & medicinæ. Respectu nutritionis violatur jejunium naturale, quia cum habeamus tot testimonia de fame, & siti sedata per Tabacchum per plures dies in militibus Europæis, in Indis, atque Peruvianis, dicendum est, ex Tabacchi sumptione provenire nutrimentum, non directè ob ejus siccitatem, & amaritudinem, sed indirectè ob pituitam, quam Tabacchus, cum masticatur, vel in fumo suscipitur, prolectat in stomachum, certum est enim apud Medicos, & Philoso-
20 phos per pituitam nutriri corpora absque ope alterius externi alimenti, & multiplici experientia firmatum est, quosdam homines integris annis absque cibo, & potu vixisse, enutritos sola pituita in eorum corporibus abundante, ut doctè advertit Zacchias d. *lib. 9. tit. 7. quæst. Unic. num. 27.* Delrius *lib. 2. Disquisit. Magic. quæst. 21.* & Scotus *in Physica Curiosa lib. 3. cap. 14.* § 1. ubi exempla plura ex probatis auctoribus refert diuturnæ hominum quorumdam à cibo, & potu abstinentiæ, & § 2. inter cæteras rationes, ait, id procedere; *Si ex summa cerebri humectatione materia quædam subtilis, & pituitosa à capite in corpus descendat, atque interea corpori in alimentum cedat.* Immò multa animalia totam hyemem sine cibo extrinsecùs absumpto transigunt, & sola pituita nutriuntur, ut ursus, taxus, glis, & alia, ut citati
21 Doctores notant. Ideircò, quia proprium est Tabacchi, vel folii masticatione, vel fumi receptione, attrahere à capite pituitam, & ad stomachum eam transmittere, & in nutrimentum convertere, dicendum est habere saltem indirectè vim nutritivam, & frangere jejunium Eucharisticum.

Neque obstat, si dicas, illam pituitam à Tabacchistis non deglutiri in stomachum, sed expui, ideòque non solvere jejunium, cum ad summum, si aliqua pars deglutiatur, per salivam videatur degluti-
22 ri, quæ non violat naturale jejunium. Quart. *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 2. difficult. 4.* ubi concordantes. Non enim sumitur Tabacchus à nostratibus ad sedandam famem, vel sitim; seu loco cibi, vel potus, sed tanquam medicina ad exonerandum caput per attractionem pituitæ ex eo in os, quæ statim expuitur, & non permittitur descendere in stomachum.

Nam respondeo, esto, quod non ut cibus, & potus, sed tanquam medicina sumatur Tabacchus, (& est secundus respectus fractionis jejunii naturalis) quantumvis diligens sit Tabacchista in expuitione, fieri non posse, ne multum pituitæ, & multum substantiæ ejusdem Tabacchi descendat in stomachum, ut ratiocinatur pro hac opinione Eminentiss. Card. de Lugo *Respons. moral. lib. 1. dub. 9. num. 4.* his verbis: *Non videtur, negari posse, quod dum Tabacchus dentibus conteritur, aliquis ex illo succus exprimatur, cujus pars in stomachum trajiciatur, nam ejus virtus sentitur statim in stomacho, qui non solum alteratur, & provocatur aliquando ad vomitum, sed etiam plerumque commovetur corpus ad purgationem ventris; qui effectus non videntur fieri posse, nisi virtus, & qualitates hujus herbæ trajiciantur, quæ qualitates cum sint accidentia, non possunt sine subjecto transire; & per consequens fatendum erit, aliquam particulam ipsius substantiæ transire, & deglutiri; quæ licet videatur mixta cum saliva deglutiri, sicut gutta aquæ, quando os abluitur, hoc tamen in casu nostro non videtur fieri præter intentionem, sed potiùs ex intentione saltem implicita, siquidem herba illa ad hunc finem sumitur, & habetur in ore,*

ut eos

*ut eos effectus causet in stomacho, & in corpore; neque sumitur ad delectationem, cum herba ipsa gustui ingrata sit, ut experientia constat, sed sumitur gratia medicinæ, & per consequens solùm ut efficax, & utilis ad ejusmodi effectus, & purgationem causandam.* Hæc Cardin. de Lugo, cui licet adjungere id, quod de hac quæstione sensit sapientissimus Medicus Paul Zacchias *d. quæst.* unic. num. 20. ubi differens de hoc casu ita scribit: *Hinc concludendum,* 23 *Tabacchum neque ut cibum, neque ut potum quomodocumque assumatur, frangere jejunium Ecclesiasticum, aut pœnale; sed benè frangere jejunium Eucharisticum, non in quantum nutrit, aut cibi, vel potus rationem habet, sed in quantum sua substantia quantumvis minima posset occupare, stomachum, aut ejus fumo, vel alias posset causare, agitationem in humoribus, & alios effectus producere minimè convenientes, ubi tantum Sacramentum accipere parentur; quemadmodum etiam decet ob debitam reverentiam, ut diximus, ab omni aliena substantia liberum stomachum servare.* Paucis disputationem perstringendo, Tabacchus, trahendo pituitam è capite, & commovendo humores in stomacho, occupat ejusdem stomachi vacuitatem, tum per descensum pituitæ, tum sui ipsius quantitatem, quibus tollitur totalis illa privatio rei cujuscunque ad jejunium Eucharisticum necessaria, & omnimoda illa abstinentia, ab Ecclesia requisita, ob tanti Sacramenti reverentiam, quapropter qui sumit Tabacchum vel in fumo, vel in folio, illum masticando, licitè celebrare, vel communicare non potest, nisi adeò brevis, & modica sit sumptio, seu masticatio, ut totus humor commotus vel ex stomacho, vel ex capite, sit omninò expuitus, neque trajectus in stomachum.

A Tabaccho autem recepto per nares in pulvere, non videtur frangi jejunium 24 naturale, quia non transit ad vacuitatem stomachi occupandam: sed quia secum annexam habet summam indecentiam, quæ maximè obest reverentiæ debitæ Sacramento Venerabili Eucharistiæ; ideò convenit ab eodem abstinere, vel pariter uti ante celebrationem, vel communionem, ut volunt ex Theologis Byssus *d. Verb. Sumptio Tabacchi. § 3* Volpi *resol. moral. Verb. Eucharistia resol.* 61 num. 28. & ex Medicis Zacchias *d. lib. 9. tit. 7. quæst. Unic.* num. 33. ubi ita concludit: *Ut ergo multa in pauca redigam, dicendum ex mea sententia est, Tabacchi usum in jejunio Eucharistico prohibendum, non quod ullo modo, ut per somnium quidem, nutrire possit, aut folio, aut pulvere, aut fumo. etiamsi aliqua illius particula in stomachum laberetur, sed primò ob Sacramenti reverentiam, quia multam agitationem in humoribus causare potest, & caput ipsum commovere, sensusque turbare, & obtundere, maximè si ejus fumus assumatur, potest & ventrem solvere, aut, quod pejus est, vomitum concitare. Secundò, quia facilè evenit, ut ex ejus usu pituita à capite provitata, & allecta ad stomachum descendat, ibique aut in nutrimentum vertatur, aut ad minùs illius vacuitatem impediat, quam necessarium esse dicendum, ubi tanto cibo cœlesti, ac Sacratissimo refici præstolatur.*

Tandem ad correctionem Tabacchistarum, iisdem obiiciendum est, quod de Turcis legitur in Itineribus Illustriss. ac Excellentiss. DD. Joannis Baptistæ Donati Baili Veneti *Anno 1683. p. 2. pag.* 160. Videlicèt, Turcas in die jejunii abstinere tum à potu, tum ab odoribus: nam *hanno scrupolo di guastare il digiuno non solo con le liquide potioni, mà di più con le fragranze, tenendo, che resti franto il digiuno anco coll'odorato.*

## DECISIONIS LV

### Ad Novembris Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Exarantur omnes morbi, ac infirmitates, impedientes administrationem Sacræ Eucharistiæ, seu Viatici, ne irreverentia committatur in Venerabile Sacramentum. Hi morbi ad quatuor capita reducuntur. Ad defectum

usus

*usus rationis*; ut in delirio, phrænesi, & dementia. Ad defectum *respirationis*, ut in affectibus anginosis, vulgò *di Schranzia*. Ad defectum deglutitionis ob convulsionem, vel paralysim Oesophagi, vulgò *il Camaruzzo*; seu ob molestissimam tussim. Et ad *stomachi ægrotationem*, ratione vomitus, singultus, volvuli, empyematis, vulgò *postema*, nauseæ, bilis, flatus, & lyenteriæ. Quæ omnia juxta regulas Medicinæ, & monita Medicorum sapientum, breviter, atque eleganter recensentur.

## SUMMARIUM.

1. *Morborum genera quatuor, in quibus infirmi non sunt communicandi.*
2. *Delirium, dementia, & Phrænesis impediunt Eucharisticam Communionem.*
3. *Regulæ observandæ pro communicandis delirantibus, vel phreneticis infirmis.*
4. *Semifatui debent instrui, excitari ad devotionem Eucharistiæ, & communicari.*
5. *Schrantia quid sit? & undè dicta?*
6. *Anginosis affectibus laborantes cautè sunt communicandi.*
7. *Puer mutitus per dies 14 frequentibus enematis, idest clysteris.*
8. *Deglutire qui non potest, communicari non debet.*
9. *Vomitus ubi est periculum, ab exhibenda Eucharistia abstinendum.*
10. *Vomitus in quibus morbis solitus sit evenire?*
11. *Volvulus ob sui sævitiem appellatur Miserere mei.*
12. *Flatus solet impedire Communionem.*
13. *Lienteria laborans an Communicandus.*

## CASUS PRUDENTIALIS

*Cum in secundo Quæsito hujus mensis dictum sit, inter cæteras dispositiones corporis, ad Sacram Eucharistiam licitè sumendam, requiri in communicando facultatem deglutiendi, & retinendi Sacramentum in stomacho, itant non subsit periculum vomitus ejusdem: dignentur prudentes Parochi notare omnes morbos, seu infirmitates, quarum causa non licet Communionem dare, seu Viaticum præbere infirmis, ne aliquam irreverentiam committant in Sacramentum.*

Plures plura scripsere; sed omnium dicta ad ordinem redigendo, quatuor, dixerunt, esse genera morborum, quorum causa infirmi non sunt à Parochis communicandi, ad impediendam irreverentiam, quæ posset evenire in Sacramentum. Siquidem alii morbi respiciunt *Usum rationis*, alii *Respirationem*, alii *Deglutitionem*, & alii *Stomachi convulsionem*.

Ad *Usum rationis* quod attinet, morbi ex hoc capite provenientes, sunt *Delirium*, *Phrænesis*, & *Dementia*, hi enim impediunt usum rationis, & mentis alienationem operantur, & per consequens impediunt, ne detur Sacra Eucharistia, quæ tantùmmodò illam cum debita reverentia suscipientibus est exhibenda, quales non sunt *Delirantes*, *Phrænetici*, & *Dementes*. S. Thom. *3 part. quæst. 80. art. 9. Summa Angelic. Verb. Eucharistia 3 num. 14.* Tamburin *de Expedit. Commun. cap. 4. § 1 nu. 4.* Surd. *consil. 89* per totum. Et Rota post Zaccham *in Quæst. Medicolegal. decis. 62 num. 17.* Porrò observandum est, quod *deliria*, *phrænses*, & *dementiæ*, alia sunt perpetua; quæ inhabilitant infirmum ad Communionem Eucharisticam recipiendam, & alia sunt ad tempus, & habent dilucida intervalla, & tunc non impeditur Sacræ Synaxis exhibitio, ut docet idem Zacchias *in quæst. Medicolegal. lib. 9. tit. 9. quæst. Unica num. 4. & 5.* ex doctrina S. Thomæ *in cit. quæst. 80. art. 9.* advertens quod in *Apoplexia*, & *Epilepsia* est obser-

obfervandus ftatus paroxyfmi, nam certum eft in ipfius infultu, etiamfi ægri videantur ab eo fe recolligere, nifi in totum ad fe redeant, nullo modo eft Sacramentum exhibendum, ideoque expectandus finis Paroxyfmi, & videndum, an patiens factus fit compos mentis, & habilis ad recipiendum ipfum.

Cæterùm, quia aliquando deliria, & mentis alienationes potius dici poffunt remittere, quàm intermittere, obfervandæ funt fequentes regulæ, quas tradit fupracit Zacchias *lib. 2. tit. 1. quæft. 21. à num. 15. & feqq.* videlicet I. Senes delirantes rarò habent dilucida intervalla, ideò cautè fe gerat Parochus cum iftis. II. Mulieres, fi in delirium venerint, non ita facilè refipifcunt, & non ita faciles fint Sacerdotes in Sacramenti exhibitione. III. Neque illi, qui fatui funt à nativitate, vel ex longo tempore, præfertim fi muti fint, ac furdi. IV. Qui ob ebrietatem exceffum mentis patiuntur, non recuperant ufum rationis, nifi digefto totaliter vino. V. Lethargici, qui *Comatofi*, & *Carotici* à nimio fopore dicuntur, nullam interpolationem habent fuæ infaniæ, quia caufa morbi, occupans inftrumenta cerebri, femper præfens exiftit, & durante caufa, durat effectus. VI. Icti à fulmine, *Attoniti*, *Congelati*, feu *Cataleptici*, non habent dilucida intervalla, ob eamdem rationem. VII. *Phrenefis*, fi fit accidentalis ob febris calorem, eo intermittente, ceffat: fed fi effentialis fit ob inflammationem membranarum cerebri, nifi fanetur, non dat lucida intervalla. VIII. *Hydrophobi* (ideft rabiofi) item infatuati ex affumpto veneno, & in dementiam lapfi ex longa infirmitate, non habent interpolationes: & ratio eft, quia morbus refidet in cerebro, & nifi curetur, ufus rationis non reaffumitur. IX. Sua tamen dilucida intervalla regulariter habent alienationes mentis provenientes ex *Melancholia*, *Hypochondriaca*, *Ecftafi*, *Epilepfia*, *Apoplexia*, (quæ non fit fortis) *Lycanthropia*, *furore uterino*, & fimilibus: in quibus opus eft confilio prudentis Medici, & prudentia fapientis Parochi, in feligendo tempore opportuno ad communicandum Infirmum abfque periculo irreverentiæ. Porrò qui à natura funt femifatui, ftolidi, furdi, & muti, debilem ufum rationis habentes, fed tamen devotionis, & reverentiæ erga Sacratiffimam Hoftiam capaces, hi, præmiffa inftructione, funt admittendi ad Communionem, ut docet S. Thom. *3. part. quæft. 80. art. 9.* Tamburin alios allegans *de Expedit. Commun. cap. 4. §. 1. num. 4.* Et primis annis Ecclefiaftici regiminis Eminentiffimi Cardin. Barbadici, Paftoris vigilantiffimi Patavini, in Vifitatione Diœcefis, reperi nonnullos femifatuos; ac alios mutos, quos inftructos admifi ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & ab eis fumma cum devotione recepta fuerunt, quod laudat Gobat *in Experim. Theolog. tract. 4. num. 138.*

Quo ad Refpirationis morbos, illi funt, qui circa fauces obveniunt, & dicuntur affectus anginofi, vulgò dicti *Schinantia*, fivè *Schirantia* à verbo græco *ἀπάγχω*, ideft ftrangulationes, angina enim vocatur dolor faucium, ut notat Octav. Ferrarius *de Origine Linguæ Italicæ Verb. Schinantia.* Proveniunt autem vel à catarrho fuffocante, vel ab inflammatione, & ardore faucium, vel à convulfione, aut paralyfi partium oris, & circumvicinarum, vel in mulieribus, à ftrangulatione uteri: in quibus omnibus morbis impeditur deglutitio, non ex vitio ftomachi, feu Oefophagi, fed ob occlufionem faucium, aut læfam actionem mufculorum, os diducentium, quorum ope etiam cæteræ functiones, neceffariæ ad deglutitionem, celebrantur. Quapropter laborantes iifdem anginofis affectibus non funt communicandi, nifi prius Parochus experiatur, an poffint faltem aquam deglutire; fiquidem cum fint fauces occlufæ, regurgitant, & rejiciunt quidquid illis datur in ore, ut differit prædictus Medicus Zacchius *d. lib. 9. tit. 9. quæft. Unic. num. 6.* ubi narrat, vidiffe nobiliffimum puerum quinquennem ex convulfione linguæ, & adiacentium particularum, ne aquæ quidem guttam, per fpatium quatuordecim dierum deglutire potuiffe. Nutriebatur autem frequentibus enematis (*vulgo infufione de Chfieri Amalthea Onomaftica Verb. Enema*) ex carnium contufo, & vitellis ovorum, quo-

rum ope absque alio cibo, & potu per omnes eos dies duravit, post quos sensim comedere cœpit, & sanitatem recuperavit.

Ex defectu verò *Deglutitionis* abstinendum est ab exhibitione Eucharistici Sacramenti, & hic defectus procedit vitio *Oesophagi* (*vulgò Camaruzzo, sivè canna della gola* Octav. Ferrar. *ubi supra Verb. Canna*) & est gulæ meatus, seu fistula ab ore ad ventriculum attingens, dicta à Plinio *Animæ canalis*, qui *Oesophagus* aliquando patitur convulsionem, aut paralysim, vel immediatè in se ipso, vel in musculis, nervis, & aliis partibus illi inservientibus, quo in casu perditur deglutitio, & licèt cibus, vel potus recipiatur in faucibus, non potest transire, neque in ventriculum descendere, unde periculum est vomitus, præcipuè succedente frequentissima, & molestissima tussi, ab Hippocrate dicta *Theriode*, hoc est maligna, & ferina, quia est adeò anxia, & violenta, ut hominem mirum in modum exagitans nec liberè respirare, nec quicquam deglutire permittat, immò si quid homo deglutire tentaverit, illud violenter ab ore per tussim repellatur.

Eamdem ob *Stomachi ægrotationem*, ratione Vomitus non est danda Eucharistia sacra, esset enim peccatum mortale tum in administrante, tum in petente, & recipiente. Quartus *in Rubric. Missal. part. 3. tit. 9. sect. 2. dub. 3. & tit. 10. dub. 2. num. 14.* Ob ægrotationem autem stomachi Vomitus evenire solet in his casibus. *Primò* in sputo sanguinis, si sit frequens, & violentum, sivè procedat sanguis ex pectore, & pulmonibus, sivè ex stomacho ipso. *Secundò*, si enciatur *Empyema*, (*vulgò posiema*) quæ est collectio puris, facta in pectore, adjuncta tussi, qua cessante, & ægro quietem obtinente, poterit cum debita cautela eidem Communio dari. *Tertiò* si infirmus agitetur *Nausea magna*, quæ est motus, & promptitudo ad vomendum. *Quartò* si post vomitum oriatur *Singultus* (*vulgò singhiozzo*) convulsiva oris ventriculi affectio. *Quintò* si ob dolores Nephriticos, Colicos, vel Iliacos sequatur *volvulus*, ob sui sævitiem à Barbaris appellatus *Miserere mei*; idcircò urgente volvulo evomitionem, per quam non solùm cibi, & humores rejiciuntur, sed ipsa etiam stercora; est omninò cessandum à Communione; nec imitandus ille Parochus, de quo meminit Zacchias *in suis Quæst. Medicoleg. d. lib. 9. tit. 9. in princ.* & cujus inexpiabilem appellat temeritatem, dum, non obstante peritissimi Medici interminatione, Juveni cuidam, doloribus Iliacis agitato, cum enormi vomitu, Sacramentum Eucharisticum obtulit, quod paulò post unà cum anima evomuit. Generantur autem dolores Iliaci ob intestinorum tenuium inversionem, vel convolutionem, ob quam fæces per alvum reddi impeditæ, ad stomachum repunt, & per os rejiciuntur. *Sextò*, si excitetur in pectore *Cholera*, morbus scilicet, per quem *Bilis* per os, & per alvum indesinenter projicitur, & dicitur *Cholera humida*. *Septimò* si insurgat *Flatus*, appellatus *Cholera sicca*, qui si sit valdè acutus, & nullam quietem permittat infirmo, dat causam denegandi Eucharistiam, solet enim flatus ipse tanto impetu per os erumpere, ut quicquid in os ingeritur, summa violentia ad extra repellat. *Octavò* tandem ad stomachi infirmitatem accedit morbus dictus *Lienteria* (*vulgò flusso del ventre*) in quo cibi, statim post sumptionem, rejiciuntur per alvum absque ulla concoctione, tales quales fuerunt accepti; quocirca non erit licitum in hoc casu, prout neque in superioribus, exhibere Sacratissimam Eucharistiam infirmo, ne maximo cum horrore contingat, species Sacramentales integras per alvum transmitti, aut aliam irreverentiam irrogari, ut piè, ac doctè monet cit. Zacchias *d. lib. 9. tit. 9. quæst. Unica per totam.* Et hi sunt morbi præcipui, quos Parochi, & Monialium Confessores observare debent, ut sciant prudenter determinare, quando Sacra Communio, seu Viaticum possit, vel non possit infirmis impertiri.

## DECISIONIS LVI.

Ad Decembris Quæsitum Primum.

## ARGUMENTUM.

Quæritur, quo tempore, & quo instanti temporis EUCHARISTIA gratiam conferat. Quatuor opiniones diversæ Theologorum recitantur, Et non nulla monita communicantibus proponuntur.

### SUMMARIUM.

1 *Gratiam quo tempore Eucharistia producat in suscipiente?*
2 *Eucharistia antiquitùs dabatur in frustulis panis, qui masticabatur à suscipientibus.*
3 *Gratia confertur, dum Eucharistia transit per guttur ad stomachum, secundum Suarez.*
4 *Gratia producitur toto tempore, quo species Sacramentales durant in stomacho secundùm Cajetanum.*
5 *Gratia per Eucharistiam causatur statim ac species Sacramentales sunt in stomachum trajectæ ex communi opinione DD.*
6 *Hostia non est diu retinenda in ore; sed citò deglutienda. Et cur?*

## QUÆSITUM PRIMUM.

*Cum dictum sit in primo, & secundo Quæsito mensis Octobris hujus anni, mirabiles effectus Sacram Eucharistiam operari in illis, qui eam dignè, ac devotè suscipiunt, inter quos secundùm gratiam, seu gratiæ augmentum, quæritur, quo tempore, & quo instanti temporis Eucharistia conferat gratiam?*

1 RElatæ fuerunt quatuor opiniones Theologorum. Prima est Becani *cap* 22. *de Eucharist. quæst.* 6. num 2. dicentis, tunc primùm Eucharistiam gratiam conferre, quando ipsa est in ore recepta, ea ratione quia ait Dominus *Jo* 6. *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* At manducatio fit in ore, juxta significationem verbi *Manduco*, derivantis à verbo *Mando*, quod significat dentibus in ore cibum conterere, antiquitùs enim non consecrabatur tenuis particula panis, ut in præsenti, sed integer panis; qui postea frangebatur in frusta, & ea dabantur manducanda, communicantibus, qui dentibus 2 illa masticabant, ut *ex Concilio XVI. Toletano cap.* 6. (celebrato anno Christi 693.) deducit Emin Card. Bona *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 23. ubi subdit, immò *Christum non particulam panis, sed integrum panem accepisse, & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas particulatim discipulis tribuit.* Quod confirmat Joan. Mabillon *in Liturg. Gallicana lib.* 3 *num* 13 dicens, *antiquitùs Eucharistiæ particulam ad Communionem in manus datam fuisse teste Gregor. in Hist. lib.* 10. *cap.* 8. *ac proinde ex majori pane decerptam.* Itaque dum in ore posita est Eucharistia, quæ si esset grossior, dentibus veniret conterenda, masticanda, & sic manducanda, gratiam elargitur sumenti ait Becanus, cui consentire videtur Vasquez *disp.* 103. *cap.* 2. *num.* 17.

Secunda opinio est Suarez *de Eucharist. disp.* 63. *sect.* 4. ubi tenet gratiam Sacramentalem ab Eucharistico cibo conferri, 3 dum transit per guttur ad stomachum, sic enim ratiocinatur. Gratia confertur in manducatione Sacræ Synaxis. Sed manducatio non est, quando cibus tantummodo est in ore, neque quando cibus jam ad stomachum pervenit, tunc enim completa est manducatio, ergo dicendum est, manducationem consistere in trajectione cibi ab ore ad stomachum, & ita gratiam à cibo Eucharistico impertiri, dum transit per guttur in stomachum.

Tertia est opinio Card. Cajetani *in* 3 *p. quæst.* 79 *art.* 1. ubi docet, Eucharistiam causare gratiam toto illo tempore, quo 4 species Sacramentales durant in stomacho, & sumit pro fundamento illa verba Christi Joan. 9. *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Inferens ex eis, quod quamdiu Christus Sacramentaliter est in stomacho fidelis

Christiani, qui recepit Sacramentum, & donec durant species Sacramentales, jugis gratiæ emanatio diffunditur, & confirmari potest, quia Sacramentum Eucharistiæ operatur suos effectus tamquam cibus, cujus proprium est nutrire. Sed cibus nutrit, postquam est in stomachum trajectus, & donec conservatur in stomacho. Ergo & Eucharistia.

Quarta tandem Opinio communis Scotistis, atque Thomistis est, Eucharistiam 5 tunc primò causare gratiam, quando species Sacramentales in stomachum sunt trajectæ, & stomachum attingunt. Ratio est, quia tunc manducatio completur, quando cibus in stomachum recipitur. Igitur, quando Eucharistia descendit in stomacum, tunc dicitur homo Christianus illam manducare, & in eo instanti recipit effectum primarium Venerabilis Sacramenti, idest gratiam. Confirmatur exemplo cibi materialis, per quem homo non frangit jejunium naturale, si tantummodò illum recipiat in ore, vel in guttur trajiciat, si antequam ad stomachum descendat, illum evomat, vel rejiciat, necesse est enim, ut cibus materialis descendat, & perveniat in stomachum, ad hoc ut frangatur naturale jejunium, ut docet Scotus in 4. dist. 8. quæst. 3. C. Et ex his facilè respondetur contrariis opinionibus, & primò primæ, quia sola receptio Sacramenti in ore non est manducatio, aliàs reciperet gratiam etiam ille, qui Eucharistiam non deglutiret, sed expueret. Item secundæ, quia transitus per guttur non est integra manducatio, sed incœpta tantùm, quæ adhuc potest impediri per regurgitationem, & exspuitionem, ut frequenter accidit in cibo materiali, quem ex gutture excreamus, & exspuimus, si aliquod offendiculum ex osse, vel ex spina sentiamus. Tertiæ pariter opinioni respondetur, promissam esse gratiam in manducatione panis cœlestis, hæc autem completur in eo instanti, quo species Sacramentales stomachum adeunt. Neque valet exemplum cibi materialis, qui nutrit, seipsum corrumpendo, & convertendo in carnem nutriti, ad quam nutritionem faciendam requiritur tempus longum, quantum transcurrit in cibi destructione. At cibus cœlestis Eucharisticus non convertitur in illum, à quo est sumptus, sed convertit sumentem in se ipsum per gratiam, quam in instanti concedit, scilicet dum attigit stomachum. Et ita docent Gonet *tom. 5. de Eucharistia disp. 8. art. 1. § 2.* Eminentiss. Card. de Lugo *eod. tract. disp. 12. sect. 2.* Eminentiss. Card. de Lauræa *in 4. tom. 1. disp. 6. num. 7.* Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 2. resol. 33. ex part. 3. tract. 6. resol. 96.* ubi Nugnus, & Coninck. Et novissimè Volpi *in resol. Moral. Verb. Eucharistia resol. 58. num. 4.* Cotonius *in Controvers. lib. 2. controv. 4. num. 60.* & Mastrius *in eod. lib. 4. sent. disp. 3. num. 414.* ubi concedunt, esse probabile, quod etiam toto tempore, quo species Sacramentales durant in stomacho, augeatur gratia etiam ex opere operato, si homo, qui illas recepit, magis, ac magis se disponat, per actus devotionis, & charitatis, ut supra innui ad casum prudentialem mensis Maii hujus anni; & docet Marchantius *in Horto Pastorum de Candelabro Aureo tract. 4. lect. 11. Proposit. 2.*

Sed illud est observatione dignum, quod notat *Collegium Salmanticen. De Sacramentis in genere tract. 4. cap. 6. num. 6.* his verbis. *Qui diu retinet Hostiam in ore, itaut species corrumpantur, antequam deglutiantur, non recipit fructum Eucharistiæ, quia non dicitur applicata suscipienti, antequam deglutiatur.* 6 Quod fusiùs advertit Bonacina *de Eucharist. disp. 4. quæst. 4. punct. 2. num. 2.* Frequenter accidit, adeò exiles particulas consecratas exhiberi communicantibus, ut si horum aliqui nimium in ore humiditatem, vel aqueam pituitam habeant, ex ea species ipsæ Sacramentales absque mora corrumpi valeant; & iisdem corruptis, non trajiciatur in stomachum Sacramentum, sed sola pituita, vel humor aqueus. Igitur non negligant Parochi, suas plebes opportunè docere, ne diù retineant in ore Sacram particulam, immò illam satagant devotè deglutire, ac in stomachum trajicere, ad consequendam gratiam, aliosque mirificos effectus tanti Sacramenti.

Scitu dignum illud est, quod legitur de S. Philippo Nerio *in ejus Vita lib. 2. cap. 1. num. 13.* Videlicet; *Procurava di* *preu-*

*prendere delle più grosse hostie, ch' haveſſe potuto trovare; acciocche quelle ſacratiſſime ſpecie duraſſero più lungo tempo: e maggiormente poteſſe guſtare di quel ſoaviſſimo Cibo; nel guſto di cui, come atteſtano quelli, che gli ſervivano la Meſſa, prorompeva alle volte in affetti ineſplicabili.*

## DECISIONIS LVII.

Ad Decembris Quæſitum ſecundum.

## ARGUMENTUM

Controvertitur, an Communio Euchariſtica devotè ſumpta proficiat ad ſatisfactionem pœnarum, quas communicans ſolvere debet, vel in hac vita, vel in Purgatorio? Declaratur, quid ſit Satisfactio? Quibus operibus fiat? Quid ſit ſatisfacere ex opere operato, vel ex opere operantis? Et reſolvitur controverſia cum diſtinctione.

## SUMMARIUM.

1 *Satisfactio quid ſit?*
2 *Pœna debita pro peccatis remittitur tota in tribus caſibus.*
3 *Satisfactio quot modis fieri poſſit pro peccatis?*
4 *Opere operantis, & Opere operato, quid his terminis intelligendum?*
5 *Euchariſtia devotè ſuſcepta remittit pœnas debitas pro peccatis, non ex opere operato, ſed ex opere operantis.*
6 *Satisfactio requirit opera pœnalia.*
7 *Satisfieri poteſt pro peccatis etiam per actus virtutis non pœnales.*
8 *Pœnalitates ſentiuntur etiam in Communione facienda, præcipuè in Religioſis domibus. Et cur?*
9 *Communio imponi poteſt à Confeſſario pro pœnitentia ſacramentali.*

## QUÆSITUM SECUNDUM.

*Utrum Communio Euchariſtica devotè ſumpta proficiat ad ſatisfactionem pœnarum, quas Communicans ſolvere tenetur vel in hac vita, vel in Purgatorio, non ſolùm pro culpis venialibus, ſed etiam pro culpis mortalibus aliàs remiſſis?*

PRo clara Quæſiti reſolutione notanda ſunt pariter tria Præmiſſa.

Primum eſt, *Satisfactionem* in genere ſumptam, *eſſe redditionem voluntariam æquivalentis aliàs indebiti*. Dicitur eſſe *redditionem* tamquam actum juſtitiæ ad differentiam donationis, quæ eſt actus liberalitatis. Dicitur *Voluntarium*, quia qui per vim patitur, ut damnatus in Inferno, non ſatisfactionem, ſed ſatiſpaſſionem dicitur facere, at in Purgatorio animæ dicuntur ſatisfacere, quia ſponte, ac voluntariè ſubeunt pœnas. Dicitur, *æquivalentis*, nam in hoc conſiſtit illud *ſatis*, id eſt reddere quantum debet ex juſtitia. Dicitur, *aliàs indebiti*, quia ſi quis dat, quod debet ob aliam cauſam, puta ob legatum, non ſatisfacit pro debito ex contractu. Porrò Satisfactio habet locum non ſolùm in civilibus, ſed etiam in criminalibus, ſiquidem offendens redditur per culpam debitor offenſi, & quia omne peccatum habet rationem malitiæ, & offenſæ, per ipſum homo fit debitor ad ſatisfaciendum Deo offenſo, à quo taxata eſt pœna æterna pro peccato mortali, temporalis vero pro venialibus, ſed illa æterna per Paſſionem, & merita JESU CHRISTI Redemptoris noſtri, mediantibus Sacramentis ab eo inſtitutis, commutatur, & fit temporalis, ſolvenda vel in hac vita, vel in Purgatorio, tribus caſibus exceptis, ſcilicet Baptiſmi in adultis, Martyrii, & perfectæ, ac ſummæ Contritionis cum Pœnitentiæ Sacramento in re, vel in voto, in quibus tribus caſibus Deus indulget, & remittit totam pœnam, ut latè probat Emin. Card. de Lauræa *in 4. ſent. tom. 2. de Pœnitentia diſp. 13 num. 76.* ubi notat, neceſſitatem, & obligationem ſolvendi pœnam temporalem poſt remiſſionem culpæ, & æternæ pœnæ originativè oriri a meritis ipſius peccati mortalis, quod tantæ eſt indignitatis, ut etiamſi remittatur, adhuc dignum ſit puniri aliqua alia pœna.

Secundum præmiſſum. Hæc autem ſatisfa-

satisfactio pro pœnis temporalibus delictis tum ob peccata venialia, tum ob mortalia remissa, fieri potest ab homine Christiano in hac vita (præter sumptionem Indulgentiarum, quæ à Papa, & à Prælatis conceduntur) I per actus internos, nempè per charitatem, per contritionem, & similes in virtute meritorum, & gratiæ Christi. II per actus externos pœnales voluntariæ assumptos, ut jejunia, peregrinationes, carnis macerationes, & alia III per afflictiones, & flagella à Deo immissa, & patienter tolerata IV per actus etiam non pœnales, dummodò sint actus honesti, & cujuscunque virtutis V Et non solùm per opera supererogationis, sed etiam per opera, quæ sint de præcepto, & in præcepto, dummodò adsit intentio satisfaciendi vel formalis, vel saltem virtualis VI sive dicta opera satisfactoria sint imposita à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ, cujus dicuntur esse pars integralis, sive sint electa, & voluntariè assumpta ab ipso satisfaciente VII. Non solùm si satisfaciens pro culpis confessis, & dimissis sit in gratia, sed etiam si incidisset in novum peccatum mortale, sivè opera satisfactoria sint pars præcedentis Sacramenti Pœnitentiæ, & imposita à Confessario, sive per ipsum satisfacientem sponte electa, atque assumpta VIII. Quamvis intenderet satisfacere, vel pro peccatis jam confessis, & remissis, vel pro peccatis nondum remissis, at in hoc ultimo casu satisfactio non esset de condigno, sed tantùm de congruo, quatenus per attritionem exercendo opera pœnitentialia potest à Deo impetrare remissionem alicujus pœnæ temporalis, in quam erit commutanda æterna tempore futuræ contritionis, vel actualis confessionis Sacramentalis culparum mortalium, in quibus nunc reperitur, ut doctè ac subtiliter disputando probat Emin. Card de Lauræa *d. tom. 2. in tract de Pœnitentia disp 13. ab art 6 usque ad art* 10. Mastrius *in Theol Moral. disp. 21 qu 12 art 2.* & Lessius *in Operib. Posthum de Pœnitentia in addit ad* D. Thom *quæst. 14 art 1 num. 2.* ubi non consentit, opera satisfactoria exercita in peccato mortali, nisi sint imposita à Confessario, habere vim satisfaciendi.

Tertium præmissum. Communis terminus loquendi est inter Theologos, quod Sacramenta suos producunt effectus, ac virtutes vel ex opere operato, vel ex opere operantis ideircò notandus est sensus, & vis hujus locutionis Tunc enim Sacramentum dicitur operari ex opere operato, quando consideratur, ut opus institutum à Deo ad dandam gratiam, vel producendum effectum proprium ejusdem Sacramenti, præscindendo à merito Ministri, vel suscipientis Tunc autem effectus Sacramenti dicitur ex opere operantis, quando ob dispositionem, & meritum suscipientis conceditur aliquid abundantius, respectu scilicèt majoris devotionis, fidei, charitatis, aut alterius virtutis, quam ex auxilio Dei exercet ille, qui suscipit Sacramentum. Reginald *in Prax lib. 26. num 46.* Bonacina *De Sacramentis in genere tom 1 disp. 1 q 4. punct 1. in prine* Mastrius *in Theol. Moral disp 16 num* 20 Eminen Cardin. de Lugo *de Eucharistia disp 19 num* 160. Et Eminent. Cardin de Lauræa *in 4 sent tom 1. disp. 8. num* 19 4

His prænotatis pro resolutione quæsiti, communis est Theologorum sententia, Eucharisticam Communionem devotè susceptam proficere ad satisfactionem pœnarum, ad quas pro peccatis tenetur suscipiens; at non ex opere operato, sed ex opere operantis, idest non principaliter, & directè virtute Sacramenti, sed ex actibus charitatis, & devotionis ejusdem suscipientis, juxta doctrinam Angelici Doctoris *3 p. q 79 art 5 in corp.* ubi præmissa distinctione, quod Eucharistia considerari potest vel tamquam Sacrificium, vel tamquam Sacramentum, ita subdit: *Si igitur consideretur ut Sacramentum, habet effectum dupliciter. Uno modo directè ex vi Sacramenti; alio modo quasi ex quadam concomitantia, sicut & circa continentiam Sacramenti dictum est. Ex vi quidem Sacramenti directè habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum, ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus, sicut & nutrimentum unitur nutrito Sed quia hæc unitas fit* 5

*tas fit per charitatem; ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis, & fervoris.* Et ideò sequuti hanc doctrinam in terminis nostri quæsiti, ad ipsum affirmativè respondent Suarez *de Euchar. disp.* 63 *sect.* 10. Regnald *lib* 29 *num* 142 Bonacina *eod. tract. de Euchar. disp.* 4. *qu.* 4 *punct.* 1 *num* 9 Sotus *in* 4. *dist.* 11. *quæst* 2 *art* 1. Lessius *de Euchar. qu.* 79. *num.* 14. Volpe *resol.* 57 *num* 23 Candid. Brognolus *in specul. Clericor tract.* 9 *cap.* 10. *num* 8. Emin. Card. de Lauræa *de Euchar. disp* 26 *num.* 56 *&* 69. & Emin Card. de Lugo *eod. tract. de Euchar. disp* 12 *num* 98 ubi latiùs extendit virtutem satisfactivam dicendo, quod licèt ea non proveniat ab Eucharistiæ Sacramento ex opere operato, id debet intelligi principaliter, & immediatè, siquidem mediatè ex eodem Sacramento provenit, & emanat.

6 Neque officit, si quis dicat, satisfactionem pro pœnis debitis ob peccata requirere opera pœnalia, S. Thom *in supplemen* 3 *p. q.* 15 *art.* 1 *&* *Concil. Trid. sess.* 14 *cap.* 8. at nulla pœna experitur in Eucharistica Communione, immò suavitas, & delectatio juxta illud *Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Quia respondetur primò ex communi Theologorum doctrina satisfieri posse pro pœnis temporalibus tàm pro se, quàm pro aliis, sive vivis, sive defunctis, non so-

7 lùm per opera pœnalia, sed etiam per actus virtutum etsi non pœnales, ut pluribus probat, (& dictum est supra in secundo præmisso) Eminen Card de Lauræa *disp.* 13 *de Pœnit. art* 6 §. 3 Ex Mastrius *in Theol. Moral. disp* 24 *num* 63 Respondetur secundò, quod omne opus virtuosum potest dici pœnale, quia includit in se semper aliquam difficultatem, aut pœnalitatem in executione, ob aversionem naturæ, quæ tædio afficitur, & patitur contradictiones in benè agendo, nam post amissam originalem justitiam, & post naturæ lapsum homo inclinatur ad inferiora, & terrena; ut concorditer docent omnes Theologi Scholastici, & Morales Emin Card de Lugo *de Sacram. Pœnit disp* 24. *sect.* 7 § 2. Mastrius *in Theol. Moral. eod. tract. disp* 21 *num* 275 Emin Card de Lauræa *d. disp* 13 *art* 6 §. 4. Reginald *lib* 7 *num* 4. Valentia *tom* 4. *disp* 7 *q* 14. *punct* 3 *&* Laymann *de Sacram. Pœnitent lib* 5. *tract.* 6 *cap* 15 *num.* 9. Sed in præparatione necessaria

8 ad devotè manducandum cœlestem panem plures tolerandæ sunt pœnalitates, & potissimùm in Religiosis Communitatibus, in quibus, ut mihi aliquando testabatur pia, ac prudens Monialis, opus est multa patientia in die Communionis, nam sæpe sæpiùs dato signo ad communicandum, accedentibus Monialibus ad locum Communionis, una earum ingreditur locum Confessionis, & ibi detinet Confessarium per medium horæ, ac etiam per horam integram, ipsô timente ex animi pusillanimitate, vel nolente eam licentiare ob humanos respectus, & interim cœtus omnis patitur, tædio afficitur, tum ob spiritum indiscretum illius Monialis, tum ob imprudentiam Confessarii, nescientis eamdem debitis objurgationibus mortificare. Idcircò Communionem piè susceptam proficere ad satisfactionem pœnarum est communis consensus Doctorum, qui ulteriùs adver-

9 tunt, eamdem Communionem posse imponi per pœnitentiam, & tamen pœnitentia Sacramentalis injungitur in satisfactionem pœnarum Gobat *in Theolog. Experim. tract.* 4 *num.* 54 Emin. Card de Lugo *de Sacram. Pœnit disp* 25 *num* 66 *&* *Collegium Salmanticen tom* 10 *De Sacramentis in genere tract.* 6 *cap* 10. *num.* 41 hæc verba scribens *Potest etiam in pœnitentiam injungi susceptio Eucharistiæ, si à Confessario judicatum fuerit expedire, ut rectè docent* Lugus *disp* 25 *num* 66 N Anton *num.* 1611 Paulus N Gabriel, & Aversa locis citatis *frequens enim, & consuetum est, ut Confessarii hoc genus satisfactionis injungant, quod & in Dei honorem cedit, & solet pœnitenti esse valdè utile, & opportunum.*

DE-

## DECISIONIS LVIII.

Ad Decembris Quæsitum Tertium.

### ARGUMENTUM.

Deciditur Quæstio, An Communio facta pro Animabus Purgatorii, iisdem prosit ad satisfactionem pœnarum? Exponuntur tria notanda. Unum, quod Animæ torquentur in Purgatorio pro satisfactione suorum peccatorum. Alterum, quod juvantur à Viatoribus per Sacrificium Missæ, per Indulgentias, & per opera satisfactoria iisdem applicata. Tertium: non solùm si ipsa opera fiant ab existentibus in gratia secundùm Thomistas: sed etiam secundùm Scotistas à non existentibus in gratia. Concluditur, Communionem Eucharisticam esse satisfactoriam pro Animabus Purgatorii ex decem rationibus hic consideratis; nec non auctoritatibus, & exemplis.

### SUMMARIUM.

1 *Strena dicitur quasi sine threna, idest, liberaliter, & sine murmuratione.*
2 *Pœna damni, & pœna sensus torquentur animæ in Purgatorio.*
3 *Igne materiali torqueri animas Purgatorii est de fide.*
4 *Animæ Purgatorii liberantur vel per propriam satispassionem, vel per aliorum suffragia.*
5 *Pœna suffertur voluntariè simpliciter secundum S. Bonavent.*
6 *Suffragium plures habet significationes.*
7 *Suffragia pro animabus Purgatorii sunt Missa, Indulgentiæ, & Opera satisfactoria, quæ reducuntur ad jejunia, orationes, & eleemosynas.*
8 *Satisfacere potest unus fidelis pro alio fidele etiam in hac vita.*
9 *Suffragia vivorum prodesse defunctis est de fide.*
10 *Animæ Purgatorii juvantur à viatoribus per satisfactionem, & à Beatis in Cælo per impetrationem.*
11 *Animæ Purgatorii an juvantur per suffragia facta ab illis, qui sunt in peccato mortali? Quod non secundùm Thomistas num. 12. Quod sic secundùm Scotistas ibid.*
13 *Suffragia facta à peccatore, ut juvent animas Purgatorii, sex Casus distinguendi secundum Eminen. Card. de Lauræa.*
14 *Animæ Purgatorii juvantur Communione à Viatore devotè pro eis facta ob decem rationes.*
15 *Eleemosyna est magis satisfactoria, quàm jejunium.*
16 *S. Thomas circa Communionem pro animabus Purgatorii declaratur.*
17 *Exempla de Communione suffragante animabus Purgatorii.*
18 *S. Monica Communionem offerebat pro animabus Purgatorii.*

### QUÆSITUM TERTIUM.

*An Communio facta pro Animabus Purgatorii, iisdem prosit ad satisfactionem pœnarum.*

STrenæ loco, instantibus Natalitiis festivitatibus, in quibus boni ominis ergò ab antiquo solvi consuevit. *can. Legant. dist. 37.* additum fuit hoc tertium quæsitum, cujus resolutionem, non ex obligatione, sed ex liberalitate, & absque murmure à studiosis exhibitam recepi, equidem 1 pro *strena*, quæ sic dicitur, quasi *sine threna*, idest sine lamentatione, juxta Glossam *in cit. can. legant.* Pro cujus pu quæsiti intelligentia fuerunt eidem proposita tria notanda, quorum.

Primum est. Animae fidelium, quæ ab omni mortalis culpæ reatu ex hac vita decesserunt, antequam integrè satisfacerent pœnis debitis pro peccatis actualibus, quo ad culpam remissis, vel pro peccatis venialibus, cum quibus nondum quo ad culpam remissis, è corporibus exierunt, detine-

detineri in Purgatorio, ubi duplici genere gravissimarum pœnarum torquentur, donec peccatis satisfaciant, scilicet pœna damni, quæ est carentia divinæ Visionis; & pœna sensus, quæ est cruciatus per ignem, cujus applicatio an fiat à dæmonibus, vel immediatè à Divina Justitia disputant Theologi, quos citat Mastrius in *Theol. Moral. disp.* 24. *num.* 24. advertens animas illas materiali igne puniri, quod quidem infallibile est, & de fide, etsi modus, quo ille ignis torqueat animas spirituales, non est curiosè ab intellectu nostro investigandus, cum sic occultè ordinet Divina Justitia, ut ait D. Bonavent. *in 4. dist.* 21. *part.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. subdens, pœnam Purgatorii esse acerbiorem qualibet pœna hujus vitæ, quod testantur etiam S. Thom. Scotus, & SS. Patres relati à Mastrio *d. disp.* 24. *num.* 26. & ab Eminentiss. Cardin. de Laurea *in 4. sent. tom.* 4. *disput.* 26. *num.* 4. à quibus pœnis certum quoque est, animas non evadere, donec sint plenè purgatæ, vel per propriam satispassionem, vel per aliorum preces, & suffragia, juxtà illud, quod scriptum est *Matth.* 5. 26. *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Porrò pœnæ Purgatorii animabus illis voluntariæ sunt, non absolutè, sed conditionatè, quatenùs scilicet sunt illatæ à Deo ad earum purificationem, ut valeant in æternam beatitudinem intrare; quod sic declarat S. Bonavent. 4. *dist.* 20. *cit. part.* 1. *art.* 1. *qu.* 3. Tripliciter aliqua pœna dicitur voluntaria. Uno modo, quia assumitur à voluntate imperante, sicut est pœna pœnitentialis. Alio modo, quia sustinetur à voluntate acceptante, sicut est pœna Martyrum, quæ adeò eis placet, quod ab ea liberari non vellent. Tertiò modo est quædam pœna, quæ sustinetur à voluntate tolerante, ut pœna, quæ est in patientia; ita quod ejus oppositum est in desiderio, sicut facit infirmus desiderans sanitatem, sed patienter sustinens infirmitatem tamquam pœnam divinitùs inflictam, & hoc modo animæ Purgatorii sustinent eas pœnas, volitas quidem, quia à Deo inflictas, sed cum vehementi desiderio egrediendi ex illis, & ascendendi ad gloriam, ad quem effectum exoptant suffragia nostra, ut pro eis satisfaciamus, & illas ab illo carcere liberemus.

Secundum Notandum. Suffragii nomen plura significat. *Primò* votum, quod in electionibus fertur ad favorem alicujus, ut possit adipisci officium, vel dignitatem; *cap. Perpetuo. De elect. in 6.* *Secundò* Patrocinium advocati. *l. Unica C. de Suffrag.* *Tertiò* Salarium, quod advocatis solvitur. Rubr. *in Auth. Ut hiq. jurent.* *Quartò* auxilium, quod alteri ab altero præbetur, ut eum subleveт ab aliqua miseria, & talia sunt suffragia pro animabus Purgatorii; quæ tria sunt, *Sacrosanctum Missæ Sacrificium*, *Indulgentiæ*, *&* *Opera satisfactoria*, quæ reducuntur pariter ad tria capita, *ad jejunia*, & hoc nomine comprehenduntur omnes pœnalitates, *ad orationes* complectentes omnes actus religionis, & virtutis, & ad *eleemosynas*, se extendentes ad quæcumque opera pietatis, & charitatis, de quibus latè Eminen. Cardin. de Laurea *d. tom.* 4. *disput.* 26. *art.* 11. *&* *art.* 13. Sicut autem est de fide, quod hæc suffragia communicantur inter fideles viventes, tamquam membra unius corporis, quod est Ecclesia, cujus caput est Christus, unde dicimus in Symbolo Apostolico *Sanctorum Communionem*; adeòut unus possit satisfacere pro pœnis temporalibus ab alio debitis pro peccatis, ut docet utraque Schola Theologorum, & demonstrat Mastrius *in Theol. moral. disput.* 23. *num.* 73. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnit. disput.* 25. *sect.* 1. non solùm de congruo; sed etiam de condigno, & de justitia, ita de fide est, quod suffragia viventium prosunt defunctis existentibus in Purgatorio ad remissionem pœnarum, juxtà illud 2. *Machab.* 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; quod in plurimis Conciliis definitum est contra hæreticos, ea ratione, quia charitas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ, non solùm se extendit ad vivos, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt, charitas enim cum vita corporis non finitur, ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 24. *Charitas nunquam excidit*, quod eruditè, ac piè probat Eminen. Cardin. de

Lauræa *d. tom 4 disput 26 art. 50. & art. 53* ubi advertit, quod suffragia pro animabus Purgatorii prosunt iisdem vel *per modum satisfactionis, & justitiæ*, & sunt illa, quæ fiunt à viatoribus, vel *per modum impetrationis*, & hæc non solùm proveniunt à viatoribus viventibus in hac vita; sed etiam à Beatis, qui sunt in coelo, juxta illam Orationem in Missa Quotidiana pro defunctis *Deus veniæ largitor* ibi *Beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, &c.* & aliam Orationem, quæ dicitur in Quadragesima tertio loco *Omnipotens sempiterne Deus*, ibi *Quas jam exutas corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas*, quam doctrinam prosequitur etiam Mastrius *in Tom moral disp 24. num. 70.*

10

Tertium notandum. Magna est controversia inter Scholasticos, *An fideles, ut prosint animabus Purgatorii per suffragia, debeant esse in statu gratiæ; an sufficiat etiamsi sint in mortali, dummodò opera, quæ pro illis exercent, sint virtutis, & pœnalia?* Et quod debeant esse in statu gratiæ, ad hoc ut prosint vel ipsi operanti, vel aliis, quibus applicantur, sive vivis, sive defunctis tenent Thomistæ, sequuti opinionem Divi Thomæ *in 4. sent. dist 15. quæst 1. art 3 qu 2. & dist 45 qu 2. art 1. quæstiunc 3* Gonet *tom 5 tract 5 de Pœnitent disp 13 art 2 § 5* & Emin. Card de Lugo *de Pœnitent disp 26. num 27* Contrarium autem, scilicet quod pro se, pro aliis, & pro defunctis suffragia fieri possint ab existente in mortale, & prosint iisdem, docent Scotistæ cum Scoto, & Fabro *in 4 dist 19 disp 35 cap 6 num 12.* Major Gabriel, Medina, & Navarr *in cap 1 de Pœniten dist 6 num 45 & 46 & in Manuali de satisfactione cap 3 num 6. & de Oratione cap 19 conclus 4 & cap 20 num 39* (ubi tamen loquitur de Missa, vel de ministris Ecclesiæ) Et ad favorem defunctorum inclinat etiam S Bonavent *in 4 dist 45 part 2. qu. 2. in resol quæst* ut refert Emin Card de Lauræa *d tom. 4 disp 26 art 14* ubi juxta mentem ejusdem Seraphici Doctoris distinguit sequentes casus I Si suffragium oblatum pro defunctis consistat in sacrificio Missæ? in hoc casu sive fiat per ministrum in gratia existentem, sive in peccato, valet per modum satisfactionis pro existente in Purgatorio, quod concorditer docent tàm Thomistæ, quam Scotistæ, ac Neoterici, quia sacrificium Missæ prodest ex opere operato, & ejus efficacia non pendet à bonitate ministri. II Si pro defunctis offerantur Orationes, aliaque divina officia à ministris Ecclesiasticis nomine Ecclesiæ? & quamvis isti sint in peccato mortali, prosunt defunctis per modum impetrationis, secundum aliquos, at secundum alios etiam per modum satisfactionis, quia attenditur dignitas, & sanctitas Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur, exemplo pissimi Principis, cujus instantia exauditur ab alio Principe, etsi ejus Orator sit invisus III Si suffragia quæcunque pro defunctis fiant à personis privatis, nomine proprio, & ipsæ sint in gratia? prosunt absque dubio per modum satisfactionis IV Si suffragia pro defunctis relicta sint à testatoribus, qui decesserunt in gratia, & fiant ab Heredibus, vel Commissariis, qui non sunt in gratia? prosunt ipsis defunctis pro pœnarum satisfactione, quia illi operantur non virtute propria, sed virtute, & voluntate testatorum. V. Si suffragia ordinentur à persona privata existente in gratia, sed ea exequatur aliquis non existens in gratia? ad huc prosunt ad satisfaciendum pro defunctis, ut si dominus bonus committat servo malo, quod det eleemosynam pauperibus, vel faciat jejunium, aliudvè simile opus pœnale. VI. Si suffragia offerantur pro defunctis à personis privatis existentibus in peccato mortali, ut orationes, jejunia, eleemosynæ, peregrinationes, indulgentiæ, & similia? & in hoc casu, ut supra dictum est, duæ sunt opiniones, una negans ea prodesse defunctis pro satisfactione pœnarum, alia affirmans, & tenens ea prodesse ob plures rationes, sed præcipuè, quia iste suffragans est unitus in charitate saltem habituali cum animabus Purgatorii, & movetur ex auxilio supernaturali ad illa suffraganda. Item quia in nullo loco sacræ Scripturæ, ubi commendantur suffragia pro mortuis, fit mentio de necessi-

51

52

53

necessitate gratiæ respectu suffragantis. Item quia omnia Concilia, quæ loquuntur de suffragiis defunctorum, dicunt, ea valere, præscindendo à statu gratiæ, vel peccati illorum, qui præstant suffragia. Item quia talis est quotidiana praxis Ecclesiæ, in qua tot bona in cibos, & vestitus pauperum dispensantur pro animabus Purgatorii, & tot alia pietatis officia exercentur pro eisdem, & tamen nulla fit mentio de statu gratiæ. Quapropter hanc opinionem tamquam magis piam defendit Faber *in 4. dist. 19 disp. 37 num. 61.* cui adhærent omnes Scotistæ innixi principiis Scoti de satisfactione propria: nec non Gandavensis *tom. 2 quodlib. 9 quæst. 20* & ibi Zuccolius Patavinus: & concordant ex moralistis Naldus *V. Indulgentia num. 7.* Pellizzar. *tom. 2. Man. Reg. tract. 8 cap. 5 num. 196 & 252.* Byssus *in Hierurgia tom. 1. Verb. Indulgentia num. 105 § 14.* Coconius *lib. 2. controvers. 11 num. 13 & 46.* & novissimè Emin. Card. de Laurea *d. tom. 4. in 4. sent. disp. 26 art. 14.* quem legere non pigebit animarum Purgatorii devotos.

His prænotatis; *valere Communionem devotè factam pro animabus Purgatorii pro satisfactione pœnarum ab illis debitarum,* 14 juxta hoc tertium propositum quæsitum, respondet Eminen. Cardinalis Capisucchius *in suis Controversiis Theologicis, controvers. 4 quæst. Unica* ex sequentibus rationibus. *Primò*. Certum est, atque de fide, quod fideles in hac vita degentes possunt satisfacere pro defunctis per bona opera eis applicata. Sed sacra Communio devotè facta, est opus bonum, immò omnium operum bonorum præstantissimum. Ergo valet pro satisfactione pœnarum, quas defuncti luere debent in Purgatorio. *Secundò*. Illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragari, quæ maximè pertinent ad communicationem charitatis. S. Thom. *in 4. sent. dist. 45 art. 3 quæstiunc. 1 in corp.* Sed Sacramentum Eucharistiæ maximè ad charitatem pertinet, quia est Sacramentum Ecclesiasticæ unionis, continens Christum, in quo tota Ecclesia unitur, & consolidatur. Ergo Communio Eucharistica maximè prodest defunctis. *Tertiò*. actus Religionis ex opere operantis est satisfactorius coram Deo, & potest offerri pro alio in satisfactionem. Suarez *in 3 part. D. Thom. quæst. 79 art. 8. disput. 63 sect. 10. in fine*. Sed Communio Eucharistica est actus eximius Religionis. Ergo cedere potest in suffragium animabus Purgatorii. *Quartò*. Actus meritorii, si offerantur pro defunctis, prosunt iisdem vel per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis. Suarez *d. sect. 10.* Sed sacri Panis devota manducatio est actus meritorius, habens maximam congruitatem ad meritum, & impetrationem, ob realem Christi præsentiam, cui ferventius Communicans orationes fundit. S. Thom. *in 4. dist. 41 qu. 1. art. 3 quæstiunc. 1.* Ergo Communio maximè juvat animas Purgatorii, si in earum suffragium sit facta. *Quintò*. piæ consuetudines sunt servandæ. *cap. Novit. dist. 32.* maximè quæ sunt conformes rationi; *cap. Frustra dist. 8.* & ubi lex Divina non loquitur; consuetudines, & instituta majorum sunt sequenda. *cap. In his dist. 11.* Sed universalis est consuetudo omnium Ecclesiarum, ut fideles non solùm pii, sed etiam docti communicent pro animabus Purgatorii. Suarez *de Euchar. d. disp. 63 sect. 10. Vers. dices*, & hæc consuetudo fovet pietatem, & innititur rationi. Ergo tamquam proficua, & satisfaciens pro pœnis earum, est tenenda. *Sextò*. Si Communio non satisfaceret pro pœnis animarum Purgatorii, illa esset ratio, quia non videtur esse opus pœnale. Sed jam in resolutione secundi quæsiti probatum est, omnem actum bonum causare aliquam afflictionem vel in animo, vel in corpore, quod demonstrat S. Thom. *in 4. dist. 21 q. 1 art. 4 quæstiunc. 3 ad 1.* Et sacra Communio, ut devotè fiat, est difficillima, cum debeat homo se probare per conscientiæ discussionem, preparare per plures orationes, & animam ornare per pias meditationes; ex quibus omnibus resultat labor, pœna, & incommodum. Ergo censenda est meritoria, & satisfactoria pro animabus Purgatorii, quibus applicatur. *Septimò*, ut opus sit satisfactorium, magis attenditur ad ejus bonitatem, quàm ad ejus pœnalitatem: hinc eleemosyna est plus satisfactoria, quàm jejunium, licèt istud sit 15

magis pœnale, quia illa plus habet de ratione boni. S. Thom. in 4. dist. 15. art. 4. qu. 2. & art. 2. quæst. 12. ad 2. Sed sumptio devota sacræ Eucharistiæ est actus summæ bonitatis, & præstantiæ. Ergo, etiamsi non haberet multum pœnalitatis, esse debet valde satisfactoria pro animabus Purgatorii. Octavò ubi quis exercet opus charitatis pro satisfactione pœnarum proximi sui, minor pœna sufficit, quàm si satisfaceret pro se ipso, & hoc intuitu suæ charitatis S. Thom. in 4. dist. 45. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1. Sed applicare Communionem pro animabus Purgatorii est opus eximiæ charitatis. Ergo, quamvis in eo parva sit pœna, valde juvat ad satisfactionem. Nonò, quò ferventiores sunt orationes pro animabus purgantibus, eo uberius est earum levamen saltem per modum impetrationis. Sed qui devotè recipit sacram Eucharistiam, solet, ob præsentiam realem Christi Domini, ferventiùs orare. Ergo magis impetrat levamen, pro quibus orat. Decimò quantò charior quis est Deo, tantò est habilior ad impetrandam ejus misericordiam. Sed per Communionem sacram fideles sunt Deo charissimi, supposita interiori puritate, reverentia, & devotione. Ergo majorem Misericordiæ Divinæ effectum, ad suffragium animarum Purgatorii impetrant in eadem Communione. Idcircò prodesse ad satisfactionem pro Purgatorii animabus sumptionem devotam Eucharistiæ, præter Emin. Card. Capisucchium supracit. & Suarez d. disp. 63. sect. 10. tenent Sylvius in 3. part. qu. 79. art. 7. Pasqualigus in Sacra moral. Doctrina disput. 177. sect. 10. num. 52. & Joann. Sancius in select. disp. 25. num. 14. Quibus adstipulantur Doctores sustinentes, posse Confessarium, imponere pro pœnitentia pœnitenti orationes recitandas pro defunctis, inter quos Collegium Salmanticen. de Sacrament. tract. 6. cap. 10. num. 37. Eminent. Card. de Lugo de Pœnitent. disp. 24. num. 20. & 21. & pluribus citatis Diana part. 3. tract. 4. resol. 54. & part. 9. tract. 7. resol. 57. ac etiam part. 12. tract. 8. resol. 26. Quæ leguntur in Operis Coordinati tomo primo tract. 6. resol. 15. resol. 17. & resol. 18.

His addere licet, quæ scribit in Vita B. Joannæ à Cruce Antonius Dazza cap. 7. videlicet: Quidam infelix post sumptum indignè Sacrum Viaticum, antequam in stomachum descenderet, in infernum est præcipitatus. At Angeli ex illius ore Sacram Eucharistiam finuentes, B. Joannæ à Cruce ex Seraphico Ordine detulerunt, præcipientes, ut illam dignè pro animabus Purgatorii sumeret, quod factum fuit à purissima Virgine. Ergo Sacra Communio levat à pœnis Animas Purgatorii.

Cæterùm dictis hucusque obstare videntur duo textus S. Thomæ: unus videlicet in 3. part. qu. 79. art. 7. ad tertium ibi: Et ideò ex hoc, quod aliquis sumit Corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamentum. Alter verò in cap. 6. Joann. lect. 6. ubi, cum Angelicus Doctor egisset de effectibus hujus Sacramenti, concludit his verbis: ex quo patet, quod isti sumentes Eucharistiam pro his, qui sunt in Purgatorio, errant. Sed facilis est responsio, & resolutio horum objectorum, dicendo, quod verba supradicta S. Thomæ sunt intelligenda de effectu Sacramenti Eucharistiæ ex opere operato, non se extendente ultra suscipientem, quia hæc extensio in alios pertinet ad Eucharistiam, non in quantùm Sacramentum, sed in quantùm est Sacrificium. At ex opere operantis concedit expressè Angelicus Doctor, effectum, & juvamentum extendi etiam ad alios, ad quos percipiens, idest Communicans, dirigit suam intentionem, ut legentibus dictos textus apparet, & advertunt Gabriel de Henao in tract. de Sacrament. Eucharistiæ, disp. 13. num. 53. & Eminent. Card. Capisucchius d. controvers. 4. §. 4. concludens ex sententia S. Thomæ, Sacram Communionem devotè sumptam ex opere operantis valere ad satisfactionem pœnarum pro Animabus Purgatorii, quibus à suscipiente applicatur, quod etiam, & ex abundanti confirmant exempla sequentia vulgari idiomate, sed non vulgari eruditione exarata.

16

Primò. P. Martinus de Roa Societatis Jesu, in libro Status animarum Purgatorii, typis excusso Venetiis anno 1672. cap. XL. ita scribit: Per consolatione delle persone, le

quali

*quali nè sono Sacerdoti, nè possono far dire* 17 *Messe per li Defonti, sò sapere, che Communicandosi, possono offerire per essi quell'opera, la quale sarà loro di tanto maggiore sodisfazione, quanto dal canto nostro haveremo posto più affetto, e travaglio in farla, non solo in purgare la conscienza per mezzo del Sacramento della Penitenza, mà anco nell' andare alla Chiesa, e nel fare Oratione, nell' aspettare il Sacerdote, & il tempo per ricevere la Sacra Eucharistia, e nel dare gratie con eguale quiete, e devotione perche tutte queste opere sono di merito, e di sodisfazione, e si può questa offerire per li Defonti.*

*Blosio nel cap. 6 Monil. Spirit riferisce d'un Defonta, che apparve circondato di fuoco ad un'amico suo, e gli disse, che ardeva in quelle fiamme, perche vivendo era stato trascurato nel ricevere la Sacra Communione, che la ricevesse per lui con la maggiore devotione, che potesse, perche con questo sarebbe uscito da quelle fiamme. L'amico la fece, preparandosi con la dispositione, che gli era stata detta, & il Defonto ritornò à lui il dì seguente, e gradì all'amico suo la liberatione, che godeva per quella buona opera.*

Secundò Illustrissimus, ac Reverendissimus Alexander Sperellus Episcopus Eugubien. *in sua Paranesi Teleturgica cap. 66* propè finem ita scribit. *Ma che farà, chi non è Sacerdote, nè hà commodità di dare lo stipendio ad altri per suffragare quelle Anime tormentate? Oltre al potere con digiuni, & altre opere penali, e con le Indulgenze, per modo di suffragio, ajutarle, efficacissimo mezzo è anche il Communicarsi per quelle. L'Hostia Sacratissima è sì ubertosa di gratie, che anche in questa guisa le dispensa à fedeli Defonti.*

Tertiò P. Carolus Gregorius Rosignolus Societatis Jesu, in Opusculo *la Pietà ossequiosa*. In dissertatione de commemoratione Defunctorum, ait: *Il Beato Henrico Susone offeriva per li medesimi Defonti orationi, digiuni, e etiem. Ma un'Anima messaggiera del Purgatorio, comparsagli con dolci querele disse, che più tosto richiedeva il Sangue del Redentore, per mitigare meglio le sue fiamme, cioè Sacrificii, e Communioni.*

Et de suffragio excellenti, quod reportant Animæ Purgatorii in satisfactionem pœnarum ex Eucharistica Communione, videtur loquutus S. Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 12. & 13.* ubi Sanctæ Monicæ Matris suæ defunctæ memoriam agens, subdit: *Offertur Sacrificium pretii nostri pro Monica matre, quæ desideraverat sui memoriam post mortem ad Altare (cui nullius diei prætermissione servierat) fieri, undè sciebat dispen-* 18 *sari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Per illa verba *Unde sciebat dispensari Victimam Sanctam*, utique significatur Communio Eucharistica, quæ ex Altari dispensabatur fidelibus, à quibus manducabatur, & offerebatur in satisfactionem pro Defunctis; quod vetusto illo tempore notum erat Sanctæ Monicæ, & apud ipsam, & alios pie communicantes erat in usu quotidiè.

## DECISIONIS LIX

### Ad Decembris Primum Casum.

### ARGUMENTUM

Proponitur decidendum, quot peccata committat quidam ebrietatis vitio deditus, qui die Paschatis post Sacram Communionem susceptam, vadit ad Tabernam, in qua inebriatus, desertur domum a bajulis, ubi Uxor, & filii pauperes prandium præstolantur. Explicatur, quid sit Ebrietas? Quale peccatum? Quæ pœnæ à Jure statutæ contra Ebriosos? Et resolvitur, ab Ebrio prædicto sex mortalia peccata commissa fuisse.

### SUMMARIUM

1 *Sobrius unde dictus? & unde Ebrius?*
2 *Crapula quasi cruda epula.*
3 *Ebrius, & Ebriosus in quo differant?*
4 *Temulentia unde dicta?*
5 *Ebrietas quid sit?*

6 *Ebrie-*

6 *Ebrietas an sit peccatum mortale?*
7 *Melior, idem, quod Melior.*
8 *Ebrietas ex inadvertentia non est mortale.*
9 *Medici non possunt suadere alicui ebrietatem.*
10 *Patriarchae antiqui quomodo excusentur ab ebrietate?*
11 *Ebrietas quibus cautionibus à bibente evitetur?*
12 *Aqua mixta vino tria bona facit.*
13 *Poenae contra ebriosos.*
14 *Divortium mulier facere potest, si vir sit ebrius.*
15 *Ebriosus Sacerdos potest suspendi à divinis.*
16 *Ebrius factus die Paschatis, post receptam Sacram Communionem, sex peccata mortalia committit.*
17 *Peccans in die festo, an duo peccata committat?*
18 *Maritus tenetur alere Uxorem, ac filios sub poena peccati mortalis.*

## PRIMUS CASUS.

*Sulpitius, ebrietatis vitio deditus, sua peccata confessus, & pro adimplenda Ecclesiae praecepto ipsa die Paschalis solemnitatis Sacra Eucharistia refectus, ab amico ebrioso ad tabernam vinariam invitatus, ibi ab haustu vini non cessavit, donec ebrius factus à duobus bajulis sustentatus sub brachiis, ad propriam domum, ubi uxor famelica, una cum filiis, cum aliquid pro prandio ferentem expectabat, ductus est. Quaeritur, quot peccata commiserit?*

PRo casus resolutione tria fuerunt praemissa.

Primum. Quod sicut sobrius dicitur, quasi *briam*, idest mensuram servans. 1 S. Thom. 2. 2. *quaest.* 149. *art.* 1. ita ebrius denominatur quasi extra *briam*, idest excedens mensuram. Lessius *lib.* 4. *de Justit. & Jure cap.* 3. *num.* 13. Quandoquidem, quemadmodum crapula appellatur quasi cruda epula, sic ebrietas deducitur ab E, 2 quod est sine, & à Brin, quod est mensura. Glossa *in cap. A Crapula* 14. *De Vita, & honest. Cleric.* quia tunc homines ebrii 1 sunt, cum sine mensura bibunt. Haec est autem differentia inter ebrium, & ebriosum; quod iste ex consuetudine foecundis exhauriendis calicibus vacet, ille autem qua- 3 si inopinatò bibens amittat usum rationis. Zacchias *in Quaest. Medicoleg. consil.* 25. *numer.* 9. adeòut ebrius actum, ebriosus habitum judicet, juxta dictum S. Ambrosii *lib. de Poeniten.* apud Fornerum *lib.* 1. *cap.* 2. *Ebriosus est, qui dum absorbet vinum, mala ebrietatis consuetudine absorbetur à vino.* Nec differt ebrietas à temulentia, haec enim pariter usu rationis privat, & dicitur à temeto, idest vitio mentem tentante, seu labefactante, de quo alii Plinius *lib.* 14. *cap.* 4 13. *Cato propinquos ideò feminis osculum dare jussit, ut scirent, an temetum olerent: hoc tunc vino nomen erat, unde temulentia appellata.* Potrò *Ebrietas est excessus in potu inebriante, voluptatis causa, donec ratio- 5 nis usus adimatur.* Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 4. ex qua sequitur, Theologicè loquendo non esse ebrium, qui per potum se ratione privavit ob aliam causam, quàm ob voluptatem, nisi materialiter tantùm, non autem formaliter. Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. *quaest.* 6. & cum gula sit inordinatio in esu, & potu, sequitur ebrietatem esse speciem gulae. S. Thom. 2. 2. *quaest.* 150. *art.* 1. & S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 3. Baldell. *in Theol. Moral. lib.* 5. *disp.* 30.

Secundum Praemissum. Non est autem extra controversiam inter Philosophos, Canonistas, ac Theologos, an ebrietas sit pec- 6 catum mortale? Nam plures Philosophiae professores negarunt, asserentes nil ei foeditatis inesse, ut videre est apud Plinium *lib.* 14. *cap.* 22. & apud Theophilum Raynaudum *De Virtutib. lib.* 6. *num.* 102. Et ex canonistis Abbas *in cit. cap. A crapula. De Vit. & honest. Cleric.* nec non Glossa *in cap. Inebriaverunt* 15. *quaest.* 1. ac Tholosan. *Syntagm. Juris part.* 3. *lib.* 39. *cap.* 8. opinantur, ebrietatem assuefactam esse crimen grave, at si assidua non sit, esse veniale; & moventur auctoritate S. Augustini relati *in cap. Unum dist.* 25. quem textum dicunt, esse menti tenendum. Et ex Theologis videtur excusare ebrietatem à culpa mortali Cajetan. *in cit. quaest.* 150. *art.* 2. ubi exci-

excipit plures casus, inter quos ad provocandum vomitum Lessius d. lib 4 cap 3 dub 3 & Layman. lib 3 sect 4 num 4. Cæterùm omnem ebrietatem, qua homo privatur usu rationis, esse lethale crimen, est omninò tenendum, dicente Apostolo 1. Cor 6 *Neque avari, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.* Neque ex ly *ebriosi* est intelligenda ebrietas habitualis, & consuetudinaria tantùm, nam etiam unica ebrietas, si sit voluntaria, est mortalis; Apostolus enim Paulus scripsit Græcè ad
7 Corinthios, & vox græca Μέθυσοι, qua ipse fuit usus, idem significat, quod Μέθυον, idest *ebrium*, ut benè observat Cornelius à Lapide in *Comment ejusd loci*. Rationes sunt plurimæ, ob quas etiam qui semel se formaliter inebriat, fit reus gehennæ. Videlicet, quia ebrietas privat hominem non solùm usu, sed etiam potentia usus rationis, reddit eum inhabilem ad exequenda divina præcepta affirmativa, & exponit periculo peccandi, saltem materialiter contra negativa. Facit hominem similem bestiis, & iisdem deteriorem. Causat multos morbos in corpore, videlicèt febrem, vertiginem, tremorem, apoplexiam, arthritidem, & mille alios effectus, ut ait Zacchias *in Quæst Medicolegal lib 2 tit 3 quæst 3 num.* 21 inter quos ignem luxuriæ, jurgia, lites, vulnera, aliaque gravissima mala parit, quæ enumerantur à Fornero *lib 1 de Temulentiæ malo*, à Lessio *lib 4. de Just & Jur cap. 3 num 9.* & à Baldello *lib 3 disp* 30. Neque obstat textus in *cap. Unum dist* 15 quia esto, quod sit ex operibus S. Augustini, (de quo tamen multi dubitant) respondetur, per ebrietatem ibi assiduam, vel assuefactam, intelligi plenè voluntariam, & cum animadversione, quæ talis semper est, si quis pluries se inebriaverit, & illam tantùm escusabilem, seu venialem dici, quæ contingit ex inadvertentia, vel nescientia suæ debilitatis,
8 aut vini generositatis. Ita S. Thom 2.2. *quæst 150. art 2. ad primum.* Lessius *d. lib 4. de Just & Jure cap 3 num* 16. Hinc est, quod neque Medici licitè possunt hortari aliquem ad ebrietatem pro remedio alicujus morbi, quia Medicus non potest
9 quicquam suadere quod sit contra animæ salutem; ut optimis rationibus, & pluribus Medicinæ, auctoribus citatis probat Zacchias *in d lib Quæst Medicoleg lib. 6 tit 1 quæst 5 numer.* 61 nec ad vomitum provocandum, quia alia plura sunt remedia, quæ possunt ad hunc effectum adhiberi, absque læsione usus rationis. Neque in contrarium movere potest exemplum Patriarcharum, quos Scriptura Sacra notat, aliquando fuisse inebriatos, ut de Noë, atque Loth Genes *cap 6. & cap* 19. & de fratribus Joseph Genes *cap* 43. Nam in
10 primis respondetur, verbum *inebriare* in divinis voluminibus sæpè sumi pro sola satietate, ut tradit expressè S Joann Chrysostom *Homil 28 in Gen* hinc illæ locutiones *Calix meus inebrians quàm præclarus est? Psal* 12. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Psal* 35 *Visitasti terram, & inebriasti eam. Psal* 64. *& Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Cant* 5 *idest bibite ad satietatem.* Noë fuit inculpabiliter inebriatus, nam vini vim ignorabat, ut tenent Perer. Cornelius à Lapide, Salian Torniell & apud eos SS Patres *in Genes. cap* 6. Loth quoque excusatur, quia bibisset ad leniendum dolorem, & inadvertenter factus esset ebrius. Sed esto peccaverint, non ideò imitandi sunt; siquidem ait S. Ambros *lib 1. de Abraham Non ubique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos vitios vino legimus, ut imitareris, sed ut tu disceres, quid caveres. Ille nudus jacuit, iste filiarum errori patuit, & Noë justus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur, sed in illo nostri Bases, ne tu ignorares.* Et paulò post *Instruunt nos Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmaretur Magisterium cautionis.* Cautio autem hæc astruitur tum à Medicis, tum à Philosophis per multa reme-
11 dia, & antidota, quorum præcipuum est, parcè bibere, & vinum dilutum bibere; aqua enim debilitat vires meri, & facit, ne pars vinosorum spirituum, caput petat, imò cum ipsa habeat vim diæteticam, citiùs transmittit illos ad vesicam; & præservat mentem a perturbatione, unde Tibull. *lib 2. Eleg* 1.

*Temperat annosum Martia Nympha merum.*

Præter-

Præterquam quòd si aqua ultra medietatem vinum superet, tollit eidem asperitatem, multiplicat ad commodum familiæ, & impedit morbos mentis, & corporis, juxta 12 illud Matthiæ Fabri *Concione V in Dom 16. post Pentecost* in fine.

*Vinum lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.*

Tertium præmissum. Multæ verò sunt pœnæ de jure inflictæ contra ebrietatem, tum perfectam, tum imperfectam, cujus utriusque signa narrat Bubos. *de Offic & 13 Pot Episc tit 2 Gloss 11 num 6 & in* Zacchias *in Quæst Medicoleg lib 2 tit 1 num 24 & seqq* Qui enim ebrius est, contrahere non potest. Ripa *in l Is cui bonis num 21 ff de Verb oblig at* Neque validè sponsalia, nec Matrimonium inire. Sanchez *de Matrimon lib 1 disp 8 num* 20. Neque testamentum facere. Bald *in cap A crapula De Vit & honest Clericor.* Neque esse testis, quamvis non formaliter ebrius, sed ebriosus quis esset, quia vinum perdere memoriam facit. Zacchias *d quæst 11 num* 42. Ebrioso curator dari potest; & uxor 14 ejus divortium faciendi justam causam habet. Genuensis *in Praxi cap 21 num 12.* Zacchias *d quæst 11 num 43 & 44* Riccius *decis 165 part 2.* (quod tamen in Germanis non admittit Gobat *in Theol Experim tract 10 num 731* quia, ait, alioqui non esset finis divortiorum) prout maritus, si mulier sit ebriosa. Sanchez *de Matrimon lib 10. disp 18. num 18* A publicis officiis ebrii, & ebriosi sunt removendi. Ripa *in l Generaliter num 73 C. de revocand donat* Et Clerici si sint ebriosi, possunt declarari irregulares. Nic Plovius *de Irregul num 2* Et delicta si committant, non sunt immunes à punitione, immò severiùs plectuntur. Cabail *Resolut Criminal Cent 3 casu 297 num 8. & 9* Sacerdos verò ebriosus potest suspendi ab officio, & beneficio. Diaz *in Praxi cap 80* Meno-15 chius *de Arbitr cas 404.* Bellettus *de Pœnis Clericor § 15 num 2* Immò si ebrius non præmissa directione celebraverit, est beneficio privandus. *cap Si confitetur ubi* Abb. *num 1. De Accusation.* Quod si ebrii animam suam exhalaturi, & exhalent, privari debent tum Sacro Viatico, tum Ecclesiastica sepultura, nisi ebrietas fuisset involuntaria. Gobat *Ind Experim Theol tract 4 à num 195. usque 199*

His prænotatis pro resolutione casus, ad ejus responsionem dictum fuit, Sulpitium, ut supra, ebrium effectum dicto die sacro Paschatis Resurrectionis, statim post Sacram Communionem, commisisse sex mortalia peccata. *Primum* quidem ebrietatis, 16 quæ cum non posset excusari ab inadvertentia, quia erat deditus huic vitio, & ab amico ebrioso invitatus poterat, immo debebat prævidere periculum, fuit culpa mortalis ex doctrina S Thomæ 2. 2. *quæst* 150. *art.* 2. & aliis deductis in primo præmisso. *Secundum peccatum* fuit Sacrilegii, siquidem sacrilegium est rei sacræ violatio, & irreverens tractatio. Idem Angel. Doctor 2. 2. *quæst 99 art 1.* & cum irreverentia maximè pendeat ab æstimatione hominum. S. Thom 2. 2. *quæst 130. art 1 & 2.* & omnes homines, etsi bibaces æstiment magnam irreverentiam committi in Sacramentum, si nimiis potationibus vacent, quo die illud sumpserint. Gobat *in Quinario tract 5 cap 47 num 1.* prout verè eam committunt etiam ob periculum vomitus, sequitur, Sulpitium factum esse reum sacrilegii. *Tertium* fuit violatio præcepti tertii Decalogi de sanctificando festo, licèt enim communior sit opinio, quòd qui peccat in die festo, non committat duo peccata. Bonacina *de Tertio Præcept. Decal. disput 6 punct 2. num 3* nihilominùs cum sit dies non solùm festus, sed summæ festivitatis 17 Resurrectionis Dominicæ, in quo omnes fideles majori pietate eum colunt, Ecclesias frequentant, & verbum Dei audiunt, excusari non potest Sulpitius à profanatione per enormem ebrietatem, tanquam actionem læsivam virtutis Religionis, juxta doctrinam S. Thom 2. 2. *quæst 122. art 4.* Eminentiss. Card. de Lugo *tract de Pœnitent disp 16 num 515* ubi plurimos Theologos cumulat, & *num. 517* ubi dat exemplum diei Veneris Sancti, si in eo committatur grave peccatum. Novissimè Eminentiss. Card de Lauræa *in 4. sent tom 2 disp 21 eod tract de Pœniten num 261 & 262.* ubi SS. Patrum auctoritates allegat. *Quartum peccatum* fuit subtractio prandii

facta

facta uxori, & filiis, contra quartum Decalogi præceptum, cujus vigore maritus 13 tenetur alere uxorem, & filios sub obligatione peccati mortalis. Bonacina *in Quart. Decal. præcept. disp. 6. punct. 7. num. 3.* latè Surdus *de alimentis tit. 1. quæst. 32.* quod enim consumpsit potando in taberna, suisset satis ad prandendum domi cum conjuge, & filiis, à quibus famelicis expectabatur. *Quintum fuit peccatum* scandali generalis, quo ex suo pessimo exemplo potuit alios movere ad frequentandam tabernam, etiam die sacro Paschatis, post susceptam Sacram Communionem, quod quidem est peccatum mortale, etsi ipse Sulpitius non intenderit præbere aliis occasionem spiritualis ruinæ. Bonacin. *de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. Unic. num. 6.* Volpi *Moral. resolut. 174. num. 7.* præterquàmquod movet conjugem ipsam ad impatientiam, & provocat ad convitia, maledictiones, & imprecationes. *Sextum* tandem peccatum est ob conscientiam erroneam, practicè enim loquendo bibones, & sacris Bacchi addicti apprehendunt esse peccatum mortale immorari in taberna, quo die cœlestem panem sumpserunt, & excedere in bibendo usque ad privationem rationis, ut testatur Gobat *in Quinar. tract. 5. cap. 46. num. 2. & cap. 47. num. 1.* Idcircò cum Sulpitius se inebriaverit, reclamante conscientia, ex hoc etiam motivo fit reus culpæ mortalis ex doctrina Sanchezii *in Decalog. lib. 1. cap. 11.* & Tamburin. *in Opusculo de Exped. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 15.* Et ex ejusdem Gobati *d. tract. 5. cap. 46. & cap. 47.*

Gratiosum exemplum narrat P. Casalicchius *in suis Argutiis Moralib. Cent. 1. Decad. 3. Arg. 8.* de quodam ebrio, quem vino, somnoque sepultum, ejus Uxor alligavit in Syndone tamquam mortuum, & digesto vino, ab ea sibi dictum fuit, vovisse si resurgeret, quod à vino penitùs abstineret: usque ille credens, votum ratificavit, & sic se emendavit.

## DECISIONIS LX.

### Ad Decembris Casum Secundum

### ARGUMENTUM

Examinatur, quæ licentia sit necessaria, pro exponenda Sacra EUCHARISTIA, causa publicæ Orationis 40. horarum? Item pro eadem extra Ecclesiam processionaliter deferenda? Ulterius in quibus Ecclesiis, & qua veneratione sit asservanda? Agitur de Solemnitate festivitatis Corporis Christi, & de Processionibus in ejus Octava concessis. Referuntur Indulgentiæ à Summis Pontificibus concessæ pro eadem Solemnitate; nec non Confratribus SS. Sacramenti. Tandem discutitur grave dubium, an Confratres, qui non sunt in gratia, sed præstant obsequia præscripta in honorem Venerabilis Sacramenti, lucrentur aliquas ex prædictis Indulgentiis?

### SUMMARIUM.

1. *Eucharistia asservata in templis etiam in primitiva Ecclesia.*
2. *Eucharistia servatur in Ecclesiis Parochialibus tum ad adorationem, tum ad proximam delationem ad infirmos.*
3. *Regulares quo jure servent Eucharistiam in eorum Ecclesiis?*
4. *Eucharistia asservari non potest in Ecclesiis non Parochialibus, & non Regularibus.*
5. *Eucharistia servari potest in Ecclesiis non Parochiali de licentia Ordinarii ex justa causa.*
6. *Tabernaculum pro Eucharistia olim cujus materiæ, ac formæ esset?*
7. *Tabernaculum quomodo ornandum pro Sacra Eucharistia?*
8. *Ciboria apud antiquos quid essent?*

9 *Eucharistiæ expositio absque Episcopi licentia à nemine fieri potest*

10 *Canonici Veronenses exempti ab illo Episcopo non possunt exponere Sacram Eucharistiam absque ejus licentia*

11 *Causæ publicæ, quæ sint, pro exponenda Sacra Eucharistia?*

12 *Regulares non possunt facere expositionem Eucharistiæ pro oratione quadraginta horarum absque Episcopi licentia*

13 *Regulares non possunt permittere, ut Sacerdotes exteri celebrent in eorum Ecclesiis absque licentia Episcopi*

14 *Regulares sunt ministri Episcopi in vinea Domini, & pendent ab eo in cultura animarum*

15 *Synodales Constitutiones solent prohibere expositionem Eucharistiæ absque licentia Episcopi*

16 *Regularibus cur olim prohibitum Missas solemnes cantare?*

17 *Decretorum S. Cong. Card. vis*

18 *Licentia tacita Episcopi præservat ejus Jura Episcopalia*

19 *Eucharistiæ expositio concessa Regularibus, dum visitantur ab eorum Superioribus*

20 *Eucharistia exponi potest in omnibus Ecclesiis Collegiatis per octavam festivitatis Corporis Christi, dum divina officia peraguntur.*

21 *Processio in die Solemnitatis Corporis Christi facienda est ab Episcopo, & eo impedito à prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis extra civitatem verò à Sacerdote digniori loci*

22 *Regulares omnes accedere debent ad Processionem in die solemnitatis Corporis Christi.*

23 *Processio cum Eucharistia fieri potest infra octavam festivitatis Corporis Christi ab omnibus Ecclesiis, sed juxta consuetudinem*

24 *Manutenio datur circa dies, & vias faciendi Processiones*

25 *Patavii ab anno 1666. citra sublatus abusus deferendi Sacram Eucharistiam in Processione fer. 5. & fer. 6. majoris Hebdomadæ*

26 *Processio cum Eucharistia in Missa fer. 5. & fer. 6. majoris Hebdomadæ non vadit extra Ecclesiam*

27 *Processio cum Eucharistia fit semel in mense, ubi sunt ejusdem Confraternitates institutæ*

28 *Indulgentiæ concessæ Archiconfraternitati SS. Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de Urbe, sunt communes omnibus consimilibus Confraternitatibus ubique erectis de licentia Ordinarii*

29 *Indulgentiæ concessæ per Paulum Papam V. Confraternitatibus SS. Sacramenti.*

30 *Indulgentiæ ab aliis Summis Pontificibus concessæ iisdem Confratribus SS. Sacramenti.*

31 *Indulgentiæ concessæ Confratribus SS. Sacramenti, illud associantibus in Processione, vel dum defertur ad infirmos, an lucrentur ab existentibus in peccato mortali? Quando? & Quomodo? num. 33*

32 *Remissio pœnæ est incompatibilis cum culpa mortali*

34 *Angelicam Salutationem recitantes in mane, meridie, & vespere consequuntur Indulgentiam*

35 *Indulgentia reviviscit ablato obice peccati*

36 *Parochi debent docere plebem, ut sciat elicere actus contritionis*

37 *Parochi debent enunciare Indulgentias populo, dum deferunt SS. Eucharistiam infirmis.*

## CASUS SECUNDUS

*Quia sæpè videmus, non solùm in Ecclesiis Parochialibus, sed etiam in illis Regularium, nec non Confraternitatum, in quibus asservatur Sanctissima Eucharistia; expositionem solemnem ejusdem fieri, multis cum luminibus, pompa, & apparatu, pro Oratione quadraginta horarum, nec non extra Ecclesias processionaliter deferri. Quæritur, ad hæc peragenda, à quo sit requirenda licentia, & obtinenda facultas?*

PRo responsione, tria sunt distinguenda circa Sanctissimam Eucharistiam. Ejus

*Ejus Asservatio. Ejus Expositio. Et ejus in Processione Delatio.*

1 Circa *Asservationem Sanctissimæ Eucharistiæ in Ecclesiis*, sciendum est, eam fuisse in usu etiam in primitiva Ecclesia, in qua asservabatur, ut promptè haberi posset ad communicandos infirmos, & ad præbendum iisdem Sacrum Viaticum in articulo mortis, ut pluribus Sanctorum Patrum, & Conciliorum testimoniis probant Casalius *de Veterib. Sacris Christian. Ritib. cap. 13.* Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 17. num. 6.* & novissimè Jo. Mabillon. *De Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 9. à num. 9. & seqq.* & habemus textum *in cap. Presbyt. 93. De Consecrat. dist. 3.* ubi dicitur: *Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Et *in cap. 3. De Offic. Archipresb.* ubi præcipitur Archipresbytero, curare: *Ut in Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit.* Ex quibus apparet, Sanctissimam Eucharistiam asservari in Ecclesiis Parochialibus, tum ad adorationem, contra Lutheranorum errorem, asserentium non

2 esse realiter Christi Corpus in Sacra Eucharistia, nisi cum à Christianis sumitur, ut observat Casalius *in cit. cap. 13. in princ.* tum ad providam delationem ad infirmos, ne sine Sacro Viatico ex hac vita decederent, ut sæpè contingeret, nisi communicari possent, prævia celebratione Missæ: qua de causa etiam Regulares utriusque sexus asservant in suis templis hoc Venerabile Sacramentum, ut scilicet præstò illud habere possint ad communicandos suos Religiosos infirmos, degentes in Monasteriis, ut autumat Bordonus *Var. resol. part. 1. resol. 20. num. 29.* cui favet doctrina Nicolii *in Lucubrationib. Canon. lib. 3. tit. 41. num. 25.* advertentis, non posse asservari Sacram Eucharistiam à Regularibus in Ecclesiis suorum Conventuum, in quibus moratur unus tantùm eorum: quamvis alia etiam videa-

3 tur ratio, propter quam Regulares asservant sacrum Christi Corpus, scilicet ex Privilegio Apostolico. Cum enim Summi Pontifices concesserint iisdem Regularibus, ut possint administrare fidelibus Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in eorum Ecclesiis, ut dictum est supra *in secundo casu Mensis Maii usque num. Decis. 24.* per consequens impertiti sunt ipsis facultatem habendi continuò Venerabile hoc Sacramentum. Nalius *in Verb. Eucharistia num. 19.* Igitur exceptis Parochialibus, & Regularium Ecclesiis, non licet aliis as-

4 servare Sacram Eucharistiam, sivè sint Ecclesiæ Confraternitatum. Genuens. *in prax. Cur. Archiep. Neapol. cap. 110.* sivè sint Tertiariatum, quæ non habent Clausuram, neque faciunt tria vota solemnia Religionis. Gavant. *in Man. Episc. Verb. Eucharistia num. 3.* & Barbosa *in Decis. Apost. eod. Verb. num. 14.* nisi ad hoc obtineant legitimam licentiam, quam à sola Sede Apostolica esse concedendam vult Genuens. *d. cap. 100.* etsi etiam ab Ordina-

5 rio, justa subsistente causa, posse elargiri, scribat Pax Jordan. *tom. 2. lib. 7. tit. 21. n. 17.*

Porrò in supradictis Ecclesiis, in quibus licitè asservatur Sacra Eucharistia; construi debet nobile Tabernaculum, super Altare majori, in quo ipsum Venerabile Sacramentum, semota quacunque alia reliquia, recondatur, quod quidem Tabernaculum antiquitùs conficiebatur ex argento, vel auro in forma Columbæ, ut pluribus testimoniis probat Mabillon. *d. lib. 1.*

6 *cap. 9. num. 14. & seqq.* Deindè fieri cœpit ex lignis inauratis, ac deinceps ex lapidibus pretiosis, ut pluribus ab hinc annis apud nos mos est, quod quidem Conopæo albo foris est cooperiendum, intus verò semper panno serico debet esse vestitum, cum Corporali mundo, super quo stent Pixides argenteæ inauratæ, non autem ex ebore; & tantæ amplitudinis debet esse Tabernaculum prædictum, ut saltem duæ

7 Pixides, nec non cum opus fuerit Ostensorium sphericum intus continere valeat. Ostiolum erit ita patens, ut Pyxides facilè efferri, & inferri possint, & clavi, eaque aurata, ab extra obserabitur, atque in ipso Sacra Christi Domini, vulneratum pectus exhibentis, vel alia pia Imago depicta erit. Velo coloris albi semper Pyxides vestientur, & clavis prædicta apud Rectorem Ecclesiæ semper stabit, ut docent Gavant. *d. Verb. Eucharistia à num. 4. usque ad num. 13.* ubi quod semper ante Eu-

charistia lampas ardebit Nicol *eod. Verb num.* 20 & Castald *in Praxi Ceremon. lib. 2. sect. 1 cap. 1 à num. 6 & seqq.* ubi *num* 10 subdit, quod supra ipsum Altare appendatur umbraculum, quod Baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipsius Altaris Scabellum, seu supremum gradum, coloris tempori convenientis, quo non erit opus ubi adest Ciborium ex lapide, vel marmore confectum. Apud antiquos Ciboria erant turritæ ædiculæ, quatuor minimùm columnis innixæ, quæ ædiculæ Altare tegebant Mabillon *d. lib. 1 cap. 8 num* 8. & Hierolexic Macri *in Verb. Ciborium*

8

Circa *Expositionem* Sanctissimæ Eucharistiæ sciendum est, ita pendere ab auctoritate, & officio Episcopi, cujus est Sacrorum omnium, & præcipuè Venerabilis hujus Sacramenti curam agere, ut absque ejus licentia nemini liceat, sivè Sæculari, sivè Regulari illam publicè adorandam exponere, ea ratione quia talis expositio cum fiat ad convocandum populum, ut oret, spectat ad Episcopum publicas orationes indicere, & populum ad orandum convocare, ut docent Canonistæ, inter quos *Abbas, in cap. Dilectus num. 4. Vers. Undecimo De Offic. Ordinar.* Emin Card. de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Episcopi Jurisdictio, & jura in sua Diœcesi col. 2, Vers. Episcopus in Diœcesi.* & Bauldry *in Manuali Sacrar. Ceremon. part. 4. cap. 16 art. 11 in princ.* Hinc pluries decrevit Sacra Congregatio tum Episcoporum, & Regularium tum S. Rituum, quod *Non liceat Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario, à quo licentia concedatur,* ut passim testantur Doctores, ac Summistæ tàm Sæculares, quàm Regulares Lezana *in Summa tom. 2. cap. 1 num. 26 & tom. 3. Verb. Eucharistia quo ad Regulares num.* 24. Lantusca *in Theatro Regular. eod. Verb. num.* 1 Barbosa *in Apostol. Decis. Verb. Eucharistia num. 6 & in Verb. Regulares quo ad Sacramenta collect. 636. num.* 3 Gavantus *in Manuali Episc. eod. Verb. Eucharistia num.* 53 *In Verb. Oratio publica num. 1 & num. 19 & in Verb. Regularium jura sub Episcopis num.* 19. Nicolius in Flosculis *d. Verb. num. 23. & 24.* ubi idem ait esse prohibitum in Ecclesiis Confraternitatum, quod etiam notat Pax Jordanus *tom. 1 lib. 3 tit. 3 num. 15 & d. tom. 2. lib. 7. tit. 11. num. 18.* Pignatellus *tom. 4 Consult.* 84. Et Synodus Barberina *De Sanctiss. Euchar. Sacram. cap. 9 num.* 15 & ibi Decretum Sacræ Congregationis Episc. & Regular. *in Una Dertonen. 13 Martii* 1647 Quod adeò verum est, ut Anno 1673 prætendentibus DD. Canonicis Veronensibus, tamquam exemptis ab illo Episcopo, posse absque ejus licentia, pro Oratione quadraginta horarum exponere in eorum Ecclesia Cathedrali Sanctissimam Eucharistiam, Eminentissimus, & Reverendiss. DD. Cardinalis Delphinus Patriarcha Aquilejen. ita sententiavit *Vigesimo. Quod Expositio Quadraginta horarum in Cathedrali sit in dispositione solius Episcopi* quæ Sententia fuit à Summo Pontifice Clemente Decimo confirmata, & typis impressa. Inter causas autem publicas recensentur bellum, pestis, fames, ac omne aliud flagellum Divinæ Justitiæ Barbosa *in Collect. DD. ad cap. Certum est De Consecrat. dist.* 1 nec non gravis infirmitas ipsius Episcopi Diœcesani, quo ægrotante, mandat *Cæremoniale Episcoporum pag.* 302. *Vers. Et quia solitum est.* &c. quod Canonici exponant Sanctissimum Sacramentum, ut populus oret pro sui Pastoris spirituali, & corporali salute Castald *in Praxi Cæremon. lib. 1 sect. 8 cap. 12. num.* 1 Quod si quæ alia persona nobilis infirmetur, & petat hoc orationis auxilium, exponitur Eucharistia in ostiolo Tabernaculi, in Pyxide velata cum luminibus convenientibus, & assistentia unius, aut plurium Sacerdotum. Gavant. *d. Verb. Eucharistia num.* 54 Lantusca *eod. Verbo num.* 2. At ad benedicendum aerem contra grandinem prohibitum est, Sacram Eucharistiam exponere in valvis Ecclesiæ Gavant. *ibid. num.* 14

9

10

11

Igitur de Jure constat, neque Regulares, neque Confratres posse in eorum Ecclesiis exponere Sanctissimam Eucharistiam pro oratione quadraginta horarum, in quavis publica necessitate, famis, pestis, belli, aut similium flagellorum, absque licentia Episco-

Episcopi Diœcesani, ad quem tantùmmodò tamquam Pastorem spectat excitare, vocare, & inducere populum sibi subjectum ad suscipiendos actus Pœnitentiæ, inter quos numeratur Oratio. Belletus, (& ibi Suarez) *Disquisit. Cleric. part. 1. De favor. Cler. Regal. §. 2. num. 20.*

Neque subsistunt rationes congestæ à quodam *Patre Brunone* pro contraria opinione relatæ à Diana Coordinato *tom. 7. tract. 1. resol. 31.* desumpta *ex eodem inordinato part. 11. tract. 2. resol. 5.* Videlicèt 12 *Primo, quod Ecclesiæ Regularium exemptæ sunt à Jurisdictione Episcopi, qui in eis nullam potest functionem absque eorum assensu exercere, cap. Luminoso 18. q. 2.* Nam, hæc exemptio multas patitur exceptiones, de quibus Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. qu. 2.* & Barbosa *de Off. & Pot. Episc. alleg. 105.* procedit enim quoad eorum personas circa statum, & vitam Regularem, sed non comprehendit ea, quæ concernunt regimen spirituale populi, nec concedit Regularibus id, quod ex officio spectat ad Episcopum, quale est publicas Orationes, & supplicationes indicere. *Secundò, quod Prelatus Regularis pollet in sua Ecclesia ordinis, ac Jurisdictionis, & superioritatis præstare. Et sicut potest conficere Eucharistiam, & concedere aliis licentiam eam ibi conficiendi, ita potest eam pro publicis Orationibus exponere.* Quia respondetur, falsam esse consequentiam, & illationem, nam conficere est ordinis Sacerdotalis, dare aliis licentiam ibi conficiendi, est Jurisdictionis localis pro illa Ecclesia: sed exponere Eucharistiam pro publicis supplicationibus est Jurisdictionis Episcopalis, & superioritatis in populum, cujus expertes sunt Regulares. Præter- 13 quàmquod non est verum, quod ipsi in suis Ecclesiis possint licentiam concedere cuicumque Sacerdoti conficiendi Eucharistiam, quia id spectat ad Episcopum. Pax Jordan. *tom. 2. lib. 7. tit. 14. num. 188.* vigore *Concilii Trid. sess. 22. in Decreto De servan. & vitan. in Celebr. Missar.* in quo datur facultas Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis quidquid sibi benè visum fuerit ordinandi, ac prohibendi circa Sacrificium, & Sacramentum Altaris, *& quæcunque alia, quæ huc pertinère visa fuerint* (qualis certè est expositio Eucharistiæ pro publica Oratione) quod quidem Decretum Concilii Tridentini afficit Superiores Regulares, & eorum Ecclesias. Fagnan. *in cap. Grave num. 46. De Offic. Ordin.* Et Pignatell. qui DD. cumulat. *tom. 8. consult. 42. num. 4. 5. & 6.* Non obstat *Tertia, quod expositio Eucharistiæ,* (ut prosequitur idem P. Bruno apud Dianam) *non videtur pendere ab Episcopo, non ratione sui, quia non est ordinis Episcopalis, non ratione loci, seu Ecclesiarum, nam sunt exemptæ, non ratione populi, qui libere confluit ad eas pro divinis officiis, ad audiendas prædicationes, recipienda Sacramenta, prosequendas Processiones, Confraternitates, Funeralia, ac etiam emittendi vota in manibus Prælati Regularis, si sit populus ex tertio ordine.* Respondetur enim hæc omnia licere Regularibus, tamquam sibi à Sede Apostolica specialiter concessa, sed dependenter ab Episcopo, à quo & benedictio- 14 nem pro prædicando Verbo Dei, & approbationem pro Sacramento Pœnitentiæ ministrando recipere debent, ea ratione quia sunt ministri ejusdem Episcopi, & operarii in vinea Domini, subordinati eidem Episcopo, qui est Præfectus, & Custos maior vineæ; & ideò in his tamquam subditi, & inferiores debent habere dependentiam ab Episcopo, ut doctè advertit Emin. Cardinalis de Luca *in Theatro veritatis lib. III. de Præemin. disc. 10. num. 5.* Idcircò non valet illatio ex functionibus per P. Brunonem enarratis ad publicam Orationem 40. horarum, quia illæ sunt specialiter concessæ; hæc non est concessa, immò est specialiter prohibita, tamquam functio gravis, innixa publicæ causæ, cujus cognitio, & determinatio reservata est Pastori totius populi scilicèt Episcopo, cui cura populi est demandata, non autem Regularibus. *Quarta non obstat* (quod idem P. Bruno sumit in argumentum) *exemplum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis exemptæ; qui* (ut asserit) *adhibitum exponunt Sanctissimam Eucharistiam pro publica Oratione sine licentia Episcopi:* inde deducens, *quod Ecclesiæ Regularium non minùs sunt exemptæ à Jurisdictione Episcopi, quàm Ecclesiæ Ca-*

*nonico-*

*nenientum.* Nam, & ad hoc respondetur, suppositum exemplum esse falsum, ut constat tum ex sententia prudentissimi, ac sapientissimi D. Cardinalis Delphini contra DD. Canonicos Veronenses exemptos supra relata, tum ex pluribus prohibitionibus Synodalibus Diœcesanis, ac Provin-15 cialibus S. Caroli, de quibus Gavantus *d. verb. Oratio publica num. 1. & num. 19.* Item alterius Prælati *de Lacabra*, cujus Diœcesim tacet Diana Coord. *d. resol.* 31. qui ponit Decretum Synodale prohibens cuicunque dictam expositionem *anno* 1651. Ac etiam Decretum Eminentissimi Cardinalis Barberini, illam fieri à quocunque, vetantis tamquam Ordinarii Farfen. in illa Diœcesi anno 1685 *in supracit. tit. De Sanctissimo Euchar. Sacram. num. 15. cap. 9.* & ratio est aperta, ac manifesta contra quoscunque exemptos, siquidem locus quidem est exemptus, sed non est exemptus populus, neque est permissa hæc functio publicæ Orationis, concernenis immediatè gubernium, & curam spiritualem totius populi. Quapropter exempti sive Canonici, sive Regulares possunt facere in suis Ecclesiis functiones illas sacras, quæ sint eis permissæ, sed non sunt eis permissæ publicæ orationes cum populi convocatione, quia ut dictum est, spectant ad Officium Pastoris ejusdem populi, immò fuerunt prohibitæ non ratione loci, sed ratione rei, & personarum spectantium ad Episcopum. Idem Emin. Card. de Luca *De Jurisdictione disc. 6. num. 8. & disc. 31. num. 7.* ubi pluribus insistit, demonstrando in his Privilegia Regularium nullius esse operationis. Hinc est, quod *in cap. Interdicimus 16. q. 1.* cum olim inter cætera prohibitum esset Abbatibus, & Monachis

26 Missas publicas cantare; per publicas Missas esse intelligendas publicas supplicationes, & orationes ad Deum cum populi concursu, tamquam ad solum Episcopum spectantes docet Calderin. *cons. 6. num. 2. De Religiosis domib.* Quinta ratio, quam subjungit P. Bruno *Decreta Synodalia Episcoporum, prohibentium expositionem SS. Eucharistiæ absque eorum licentia, non obligare Regulares, neque Decreta SS. Congregationum Eminentiss. Cardinalium super S. Ritibus, vel super Episcop. & Regularibus eosdem non afficere*, portat in fronte nimiam erubescentiam; nam nimis distat ab obedientiæ virtute, quam omnes Religiosi ordines profitentur Apostolicæ Sedi, & Sacræ Congreg. Eminentiss. Cardina-17 lium Decretis, de quorum vi, & auctoritate testantur *Rodericus qq. Regular. tract. 1. qu. 11. art. 2.* Coron. *lib. 3. Controv. 8. num. 50.* Adden. ad Barrattum *decis. 469. num. 21.* & Lezana *in summ. tom. 3. Verb. Sacra Congregatio.* Tandem *Ultima, quod Decreta S. Congregationis de hac Expositionis prohibitione, non sint in usu, & quod Regulares illam faciant sine licentia Episcoporum, iisdem scientibus, & tacentibus*, ut ait etiam Bordon. *d. p. 1. Resol. 20. num. 29.* & Diana Coordin. *d. Resol. 31. in fine*, nihil derogat auctoritati Episcopali, tum quia eidem derogare non potest per Regulares in his, quæ sunt propria Pastoralis Officii, tum etiam quia Episcopi, qui vi-18 dent, & tacent, censentur eisdem Regularibus dare tacitam licentiam, quæ sufficit pro tuendis juribus Episcopalibus, cum eadem sit virtus taciti cum expresso. Eminen. Card. Tuscus *litt. T. concl. 7. num. 13.* Barbosa *Axiom. 218. num. 6.*

Inficiandum tamen non est in uno casu esse licitum Regularibus exponere Sacram Eucharistiam pro oratione 40. horarum ex speciali concessione iisdem facta per Summum Pontificem Paulum V. in Bulla inci-19 plen. *Romanus Pont. sex. die 23. Maii 1606. in Bullario to. XXI.* videlicet, cum ipsorum Regularium Superior in Visitationibus generalibus eam exponi decreverit, coram qua Religiosi duarum saltem horarum spatio, in diverso tempore, orantes juxta mentem ejusdem Pontificis, acquirunt Indulgentiam plenariam. Sed hæc dicenda est expositio potius privata, quàm publica, cum ad illam non vocetur populus, neque ad illum extendatur Indulgentia; sed solummodo ad ipsos Religiosos.

Alter demum est casus permissæ expositionis Venerabilis Sacramenti singulis Ecclesiis Collegiatis, nempè per totam Octa-20 vam Solemnitatis ejusdem ex præscripto *Cæremonialis Episcop. cap. 33.* in quo ordinatur, Sacram Eucharistiam in Altari exponi,

poni, dum officia Divina peraguntur, ad honorem tanti Mysterii, ad excitandam devotionem populorum, & ad lucrandas Indulgentias intervenientibus per Summos Pontifices concessas, singulis diebus prædictæ Octavæ, de quibus infra. Et hæc de Expositione.

Circa verò *Delationem Sanctissimæ Eucharistiæ in Processione* tria tempora sunt distinguenda, quæ sunt Prima festiva dies Solemnitatis Corporis Christi, dies infra Octavam ejusdem Solemnitatis, & alii dies infra annum. *In prima die* festivitatis Corporis Christi solemnis Processio in quacunque Ecclesia Cathedrali est facienda ab
21 ipso Episcopo, si non sit impeditus, sin minùs à prima Dignitate Sanctissima Eucharistia est deferenda juxta *Cæremoniale Episcop. d. p. 2. cap.* 33. In Oppidis verò, & aliis Terris à Sacerdote sæculari digniori ejusdem loci Barbos. *Decis. Apostol. collect.* 335 *num.* 9. *& n.* 10. Nicolius *in Flosculis Verb. Eucharistia, num.* 25 *& n.* 26 Pax Jord. *d. lib.* 3 *tit.* 3 *num.* 9. Bauldry *de Sacris Cærem. part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3 *& art.* 4. & Castaldus *in Praxi Cærem. lib.* 2 *sect.* 10. *cap.* 2. & 3. Et quemadmodum omnes Regulares, etiam Monachi ad publicas Processiones per Episcopum vocati accedere tenentur *ex Concil. Trid. sess.* 25 *de Regular.*
22 *cap.* 13 Gavant. *in Manuali Episcopor. Verb. Processio num.* 7 Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1 *disp.* 24 *quæst.* 8 ita multò magis convenire debent ad Processionem prædictam Sanctissimi Sacramenti, ut circa Monachos Cassinenses decrevisse Sacram Congregationem Sacrorum rituum *die* 10. *Junii* 1602. *& die* 30. *Julii* 1616. testatur idem Tamburin. *d. quæst.* 8 *num.* 6. Lauretus de Franchis *part.* 1. *num.* 24. *& ibi adden.* Lantusca *in Verb. Processio.* Lezana *in Summa tom.* 1 *cap.* 9. *num.* 47 Barbosa *decis. Apost. Collectan.* 299 *Collectan.* 609 *& Collect.* 644 & novissimè Quartus *in tractatu de Processionib. sect.* 3 *Puncl.* 1 *Quæst.* 2 & de hoc non est controversia juxta observantiam, & inveteratam consuetudinem, qua omnes Regulares Canonici, Monachi, & Mendicantes in Civitatibus degentes (exceptis Theatinis, Barnabitis, & Jesuitis speciali indulto Pontificio exemptis) Gavanti *Verb. Processio in addit. num.* 9 & Adden. ad Lauretum de Franchis *part.* 1 *num.* 61 accedunt in festiva prima die Solemnitatis Corporis Christi ad ejus Processionem, quam sola Ecclesia Cathedralis, vel Ecclesia Matrix ea die facere debet privativè ad quoscunque alios, ut notat Pax Jordan *tom.* 2. *lib.* 11 *tit.* 2 *num.* 51. & *n.* 60

In diebus verò *infra Octavam* ejusdem Solemnitatis Corporis Christi, licitum est omnibus Ecclesiis, in quibus jugiter servatur Sanctissima Eucharistia, eam extra de-
23 ferre in Processione cum solemni apparatu, juxta concessionem factam à Papa Gregorio XIII per Bullam incipien. *Cum interdum. dici* 11 *Martii* 1573 *in ordine le X.* Quod tamen est intelligendum, servata consuetudine loci, ne causentur scandala, vel confusiones in ducendis iisdem Processionibus, adeò ut quilibet debeat manuteneri in sua possessione, vel quasi
24 circa diem, & vias faciendi Processionem prædictam, in qua reperitur, privativè quo ad quoscunque alios, ut ex pluribus Decretis Sacræ Congregationis advertit Pax Jordanus *d. tom.* 2. *lib.* 11 *tit.* 2 *num.* 50 *& num.* 62. & 63 Barbosa *in Decis. Apostol. Verb. Processio Collect.* 607 *num.* 20 & 21 Et novissimè Pignatellus *tom.* 4. *Consult.* 99 *num.* 3 & 4. Hic Patavii usque ad annum 1666 invaluit abusus faciendi Processiones solemnes cum Sacratissimo Christi Corpore ab Ecclesia Cathedrali feria sexta majoris Hebdomadæ, & ab aliis Ecclesiis Parochialibus, tum eadem feria sexta, tum feria quarta præcedenti, quem abusum nominavit præd. Pax Jordan *d. lib.* 11 *tit.* 2 *num.* 81. sed ab eo anno citra, communi consensu, cessatum est à dictis Processionibus, & statutum, eas celebrari infra Octavam Corporis Christi, ita ut ipsa festiva prima dies solemnitatis habeatur solemnis Processio juxta solitum in Ecclesia Cathedrali, reliquis verò sex diebus illius Octavæ celebretur in una ex Ecclesiis Parochialibus per turnum durantem per quadriennium, & sic practicatur ad majorem Dei gloriam, cum minori gravamine Ecclesiarum, quæ impensas non faciunt nisi omni quarto anno, cum ampliori pompa, & apparatu ob excitatam devotionem Parochianorum

norum in suo Quadriennio, & ob numerositatem populi concurrentis ad unicam ipsam Processionem, quæ fit post Vesperas decantatas, & ante noctem ad præscriptum Decretorum Sacræ Congregationis, de quibus Barbos. *d. Collect. 607 num.* 12. & Pax Jordanus *d. lib. 11. tit. 2. num.* 80.

In aliis verò diebus infra annum duo dantur casus concessæ delationis Sanctissimæ Eucharistiæ in Processione. Unus est, 26 feria quinta majoris hebdomadæ, dum finita Missa solemni, Sacrum Christi Corpus defertur à celebrante in sepulchrum; & feria sexta sequenti, dum è sepulchro sumitur Hostia consecrata cum Calice, & processionaliter defertur ad Altare pro sacrificio illius diei: at in his Processionibus non est exeundum ex Ecclesia, Gavant. *in Man. verb. Eucharistia num.* 19. neque Christi Corpus deferendum est Sacerdotum humeris, sed manibus celebrantis, non obstante quavis contraria consuetudine, juxta Decreta ejusdem S. Rituum Congregationis, de quibus Gavant. *in Rubric. Missal. part. 4. tit. 12. num.* 4. & Barbosa *de Paroch. cap. 20. num.* 30. Alter casus est de Ecclesiis, in quibus sunt institutæ Confraternitates Sanctissimi Sacramenti; his enim est Jus faciendi semel in mense Pro-27 cessionem cum Sanctissima Eucharistia, eam deferendo extra Ecclesiam, prout concessum est Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam in Alma Urbe à Papa Paulo Tertio per suam Bullam incipien. *Dominus noster Jesus Christus die 30. Novemb.* 1539. cujus privilegiis, & Indulgentiis fruuntur omnes Confraternitates ubique ad honorem Sanctissimi Sacramenti canonicè erectæ, videlicet auctoritate Ordinaria Episcopi, servata forma alterius Bullæ Clementis Papæ Octavi incipien. *Quæcumque die 7. Decembris* 1604. de quâ quidem fruitione, & participatione testantur Barbos. *Decis. Apost. collect. 207. n.* 3. Lauret. de Franchis *part. 1. num.* 232. & 234. ubi ponit Decretum speciale de hac re *Sacræ Congregationis Indulgentiarum die 15. Februarii* 1608. Et Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 3. num.* 17. ubi de supradicta Processione menstrua.

Et quoniam prætiosæ sunt Indulgentiæ, quas concessit Paulus Papa Quintus eidem Archiconfraternitati Sanctissimi Corporis 28 Christi in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam de Urbe, in suo Brevi incipien. *Cum certas die 13. Novembris* 1606. quod legitur apud Lavorium *de Indulgentiis part. 2. cap. 14. num.* 98. quæ quidem Indulgentiæ, ut dictum est, extenduntur ad omnes consimiles Confraternitates Sanctissimi Sacramenti, ubique auctoritate Ordinaria Episcopi erectæ, per antedictum Decretum *Sacræ Congreg. Indulgent. die 15. Februarii* 1608. extensum apud eumdem Lavorium *d. cap. 14. num.* 97. & Lauretum de Franchis *de Controv. inter Episc. & Regul. part. 1. num.* 234. Sed quia non est ita facile RR. Parochis earumdem Indulgentiarum tenorem apud Moralistas reperire, non me piget compendiosè, ac vulgari sermone illas hic inserere, ad majorem certitudinem DD. Parochorum, & ut commodiùs eas possint explicare suis plebibus pro ferventiori affectu excitando erga Venerabile Sacramentum; hoc autem compendium insitum reperi *in Synodo Diœcesana Abbatiæ Farfen.* habita anno 1685. per Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalem Carolum Barberinum Abbatem, & Ordinarium indefessum in sollicitudine Pastorali *ad pag.* 554. his Verbis

*SOMMARIO.*

Delle Indulgenze concesse da Papa Paolo 29 Quinto all' Archiconfraternità del Santissimo Sacramento, eretta nella Chiesa di Santa Maria sopra Minerva di Roma, delle quali per Decreto della Sacra Congregatione dell' Indulgenze, approvato dal medesimo Pontefice, godono ancora tutti li Fratelli, e Sorelle della Compagnia del Santissimo Sacramento, in qual si voglia luogo eretta con la sola auttorità dell' Ordinario, anco senza speciale aggregatione alla medesima Archiconfraternità.

*La felice memoria di Papa Paolo Quinto, revocando, & annullando tutte le Indulgenze concedute da Pontefici Predecessori alli* Fratel-

*Fratelli, e Sorelle della Compagnia del Santissimo Sacramento, conceda loro di nuovo.*

1 *Primieramente Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti i peccati nel giorno, che ciascuno entrerà in detta Compagnia, e si confessarà, e communicarà.*

2 *In oltre Indulgenza Plenaria à tutti li Fratelli, e Sorelle, che confessati, e communicati devotamente interveranno alla Processione solita à farsi ogni anno dalla medesima Compagnia nell'Ottava del Corpus Domini, & accompagnando il Santissimo pregheranno Sua Divina Maestà per l'unione de Prencipi Christiani, per l'estirpatione dell'Eresie, e per l'Essaltatione della Santa Madre Chiesa.*

3 *L'istessa Indulgenza conseguiranno anco quelli, che legitimamente impediti non interveranno alla detta Processione, mà in quel giorno si confesseranno, e communicheranno, e pregheranno DIO come sopra.*

4 *Concede parimente Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti li peccati alli medesimi Confrati, che confessati, e communicati nel punto della morte invocheranno almeno col cuore il nome Santissimo di GIESU'.*

5 *A quelli, che nel giorno della Festa del Santissimo Corpo di CHRISTO si confesseranno, e communicheranno, e pregheranno DIO come sopra, sette anni d'Indulgenza, & altretante Quarantene, e l'istessa parimente à quelli, che confessati, e communicati interveranno alla Processione solita à farsi da detta Compagnia ogni terza Domenica del mese, e nel Giovedì Santo. Quelli però, che non saranno ascritti alla Compagnia, con assistere alle sodette Processioni, acquisteranno solo ducenta giorni d'Indulgenza.*

6 *Li medesimi Confrati, che solamente confessati accompagneranno processionalmente il Santissimo Sacramento nel Giovedì Santo, conseguiranno cento giorni d'Indulgenza, & altretanti ne acquisteranno con visitarlo devotamente nel luogo, dove suole tenersi esposto in quel giorno.*

7 *Quelli, che con lume, ò senza divotamente l'accompagneranno, quando suole portarsi à gl'infermi, ò in qualsivogli altra occasione, acquisteranno cinque anni d'Indulgenza, & altretante Quarantene, per ciascheduna volta. E se saranno impediti col recitare una volta un Pater noster, & un'Ave Maria guadagneranno cento giorni d'Indulgenza per ciascheduna volta.*

8 *Finalmente le Donne, alle quali non è lecito d'andare girando per le strade, col recitare una volta il Pater noster, & l'Ave Maria, e pregare Dio per l'infermo, al quale si porta il Santissimo Sacramento, conseguiranno l'istessa Indulgenza di cento giorni per ciascheduna volta.*

Hæ sunt Indulgentiæ certæ, & non incertæ, veræ, & non apocryphæ, quæ sunt concessæ quibuscunque Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Sanctissimi Corporis Christi.

Et quoniam ad augendam devotionem erga Venerabile Sacramentum plures aliæ Indulgentiæ elargitæ fuerunt à Summis Pontificibus Urbano IV. Martino V. & Eugenio IV. omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui intervenerint Divinis officiis in die festo Sanctissimi Corporis Christi, & in diebus totius octavæ; ideò & ipsæ hic compendiosè sunt annectendæ, desumptæ ex summario impresso *in eodem Synodo Farfen. anno 1685. ad pag. 552.* 30

*Primieramente, chiunque il giorno della Festa del Santissimo Corpo di Christo sarà presente in qualsivoglia Chiesa, mentre si recita, ò canta il Matutino di quel giorno, guadagna quattrocento giorni d'Indulgenza.*

*Alla Messa, che lo stesso giorno si dice, ò si canta, altri quattrocento d'Indulgenza.*

*Alli Vesperi della medesima Festa quattrocento giorni per il primo, e quattrocento altri per il secondo.*

*Alle altre hore Canoniche nell'istesso giorno, cioè Prima, Terza, Sesta, Nona, e Compieta, cento sessanta giorni d'Indulgenza per ciascheduno.*

*Item Chiunque sarà presente come di sopra alli Matutini per li giorni frà l'Ottava di detta Festa, guadagna ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.*

*Alli Vesperi frà la medesima Ottava ogni volta ducenta giorni d'Indulgenza.*

*Alle Messe frà la medesima Ottava ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.*

*Alle altre Hore Canoniche in detta Ottava*

*ottanta giorni d'Indulgenza per ciascheduna.*

*Item ogn uno, che il giorno di detta festa sarà presente, & accompagnerà la Processione solita col Santissimo Sacramento, guadagna ducento giorni d'Indulgenza.*

*Item ogni uno, che digiunerà il giorno precedente alla detta Festa del Santissimo Corpo di Christo, overo si esercitarà in altra opera pia, secondo il Consiglio del Confessore, guadagna ducento giorni d'Indulgenza.*

*Item ognuno, che il giorno di detta Festa, à per sua Ottava si communicarà, ò essendo Sacerdote dirà Messa, guadagna per ogni volta ducento giorni d'Indulgenza.*

*Finalmente chiunque con lume acceso accompagnerà il Santissimo Sacramento, mentre si porta à gl'infermi, acquista ducento giorni d'Indulgenza per ciascheduna volta; e chi in quel tempo l'andarà devotamente seguitando, ne acquista cento giorni per ciascheduna volta.*

31 Corollarii loco, pro conclusione hujus Casus, moveo dubium circa consequutionem supradictarum Indulgentiarum, ab omnibus Parochis pro instructione plebium non ignorandum. Dubium est, *An requiratur status gratiæ in illo, qui est lucraturus suprascriptas Indulgentias; itaut ejus conscientia debeat esse immunis, pura, & libera à peccato mortali? vel etiam exequens prædicta bona opera, præcipuè sociantes Sanctissimam Eucharistiam cum lumine, vel sine lumine, dum ipsa defertur ad Infirmos, sed existens in peccato mortali, reservatur, & sit salva Indulgentia pro eo saltem tempore, quo per confessionem, vel veram contritionem recuperabit statum gratiæ? tolletque obicem peccati mortalis.* Dixi, *pro eo saltem tempore, quo per confessionem, vel veram contritionem recuperabit statum gratiæ*; quia donec christianus reperitur in peccato mortali nullam potest obtinere remissionem pœnarum, siquidem remissio pœnæ est incompatibilis cum culpa mortali ex communi consensu Theologorum, & Canonistarum. Felin. *in tract. de Indulgentiis col. 8.* & Brunorus *à Sole in addit. Verb. Non prodesset* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 4. sent. tom. 4. disp. 26. art. 17. num. 780.* & ibi S. Bonav. & S. Thomas, ac rationes pro hoc dicto.

32 Igitur dubium prædictum considerari potest in tribus casibus. *Primus est*, quando in concessione Indulgentiæ Papa, vel Prælatus expressè requirit confessionem, & Communionem, & in hoc casu non est disputandum, cum confessio, & communio sint conditiones requisitæ pro lucranda Indulgentia; undè qui actualiter non confitetur, & communicat, non consequitur Indulgentiam; quæ tantùm valet, quantum sonat. Joann. Andr. *in cap. Quod autem num. 8. de Pœnitent. & Remiss.* Emmentiss. Cardin. de Lugo *de Pœnitentia disp. 27. num. 83.* Emmentiss. Cardin. de Lauræa *d. num. 780.* Casus *Secundus est*, quando Papa, vel Prælatus concedit 33 Indulgentias *verè pœnitentibus, & confessis, qui pia opera requisita exercent.* Et in hoc casu duæ sunt opiniones. Una dicit, sufficere confessionem factam in Paschate de peccatis præteritis, quod si nova sint commissa peccata mortalia, sufficere actum contritionis cum proposito confitendi in Paschate venturo, ea ratione quia Papa non exigit confessionem actualem pro conditione, sed alia pia opera ordinata, qualia sunt interesse Divinis officiis, vel Processioni in Octava solemnitatis Corporis Christi; unde qui facit dicta bona opera corde contrito, est verè pœnitens, & confessus. Ita Felin. *in d. tract. de Indulgentiis col. 7.* Cardinal. *in Clem. 1. De Reliq. & Ven. Sanct. in 4. notab.* Abbas *in cap. Omnis. Vers. ex his inferri potest. De Pœnitent. & Remiss.* & Sylvester *in summa Verb. Indulgentia num. 20.* Alia opinio dicit, quod si post ultimam confessionem quis lapsus sit in mortale, tenetur actualiter confiteri, aliàs non lucratur Indulgentiam. Bonacina *tom. 1. disput. 6. qu. 1. punct. 5. sub num. 5.* ubi alios DD. cumulat. Pax Jordan. *tom. 1. lib. 5. tit. 16. num. 33.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 26. num. 780. Vers. & quinimmo.* Ubi quod hæc secunda opinio est securior, ut volunt etiam Canonistæ, & Felin. *ubi supra col. 7.*

*Tertius casus est*, quando reperitur concessa Indulgentia facienti aliquod bonum opus,

opus, absque mentione confessionis, vel contritionis, ut est in associatione Eucharistiæ, dum defertur ad infirmos *ex Bulla Pauli V. num 7. & 8. ibi Quelli, che con lume &c.* (Nam in reliquis capitibus requiritur expresse confessio, & Communio, & in Indulgentiis pro interessentia Divinis officiis tota Octava Corporis Christi, ab Urbano IV. & aliis Pontificibus, dicitur, *quod sint verè pœnitentes, & confessi.*) Similiter dicitur concessa Indulgentia recitantibus ter salutationem Angelicam cum Vers. *Angelus Domini &c.* in mane, in meridie, & in occasu solis, & in ea nulla habetur mentio contritionis, vel

34 confessionis. Fagnan. *in cap. Custos Ecclesiæ num. 4. De Officio Custodis.* Quid igitur? Habet, vel non habet Indulgentiam, qui plures associavit Sanctissimam Eucharistiam, sed in statu culpæ mortalis, vel centies recitavit Salutationem Angelicam horis præmissis, sed in peccato, tunc quando auferet obicem peccati, per confessionem, & recuperabit gratiam? Non habere; nec recuperare ablato obice peccati, tenent Suarez, Trullench, Faber, Sotus, Lavorius, Pollachus, Sanctarellus, & alii citati à Diana Coordinato *tom. 4. tract. 5. resolution. 12.* desumpta ex antiquo *parte 5. tract. 12. resolut. 4.* E con-

35 tra, Indulgentiam esse salvam, & reviviscere, postquam fuerit confessus peccata sua ille, qui dicta bona opera exercuit, docent Paludan. *in 4. dist. 4. qu. 4. art. 3.* Sylvester *Verb. Indulgentia num. 32.* Henriquez *libr. 7. de Indulgent. cap. 9. num. 3.* & Jacobus Granadus *in 3. part. de Sacrament. Controvers.* 12. *tract. 5. disp. 2. num.* 5. ubi plures rationes reddit, & advertit, duos esse terminos hujus Indulgentiæ. *Unum promissionis*, qui stat in faciendo illo bono opere requisito. *Alium solutionis*, qui respicit tempus gratiæ recuperatæ vel per veram contritionem, vel per Sacramentalem confessionem. Licet igitur solutio fieri non possit non existenti in gratia Dei, attamen promissio fieri potest; & illam convenit servare, ne fideles retrahantur à bonis operibus. Hanc quoque opinionem tenent inter antiquos Theologos Mayson, & Rubio, quos citat Mastrius *in Theol. Moral. disput. 23. num. 60.* sic ratiocinantes: *Pœnitentia Sacramentalis à Confessario injuncta, etiam in peccato adimpleta, confert suum effectum quo ad remissionem pœnæ temporalis, ex peccatis ritè confessis relictæ, ex opere operato. Ergo à fortiori etiam Indulgentia, quia ipsa quoque hunc effectum confert ex opere operato satisfactionis Christi, per ipsius Vicarium legitimè applicatæ.* Idcircò Diana Coordin. *d. tom. 4. tract. 5. resolut. 12. num. 2.* vocat hanc opinionem satis probabilem, & magis piam, prout etiam Filliucius, & Eminentiss. Cardin. de Lugo apud Pelizzar. *in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 254. & 255.* Ex quibus velim, ut DD.

36 Parochi diligentes essent in edocendis populis actus contritionis, & in eis exhortandis, ut illos quotidiè elicerent, & præcipuè dum conveniunt ad associandam sacram Eucharistiam in delatione ad infirmos, ad effectum consequendi Indulgentias, quas ipsi DD. Parochi completa communione infirmorum tenentur annunciare juxta præscriptum Ritualis Romani. *De Sacrament. Euchar. in fine*, &

37 ne frustrentur Indulgentiis concessis in recitatione Angelicæ Salutationis, de qua supra, ac in pluribus aliis piis exercitiis quotidianis; licet enim pium sit credere, quod peccatores exercentes opera bona, pro quibus elargitæ sunt Indulgentiæ, non perdant ipsas Indulgentias, & quod earum fructus reservetur pro eo tempore, quo tollent obicem peccati per confessionem, tutius tamen est, ut satagant recuperare statum gratiæ, si fortè eum amiserint per lapsum in culpam mortalem; vel per frequentes confessiones, vel saltem per actus veræ contritionis, ut securiores hoc modo reddant ad propriam utilitatem sacras Indulgentias.

## DECISIONIS LXI

Ad Decembris Casum Prudentialem.

### ARGUMENTUM.

Requirit industrias, & cautelas servandas à Parochis, tempore Pestis, in administrandis Sacramentis, præsertim Sacra EUCHARISTIA? Ad ornatum hujus Casus declaratur, quid sit Pestis? Quid Epidemia? Qui morbi contagiosi? Quæ horum causæ, & remedia? Et circa Pestem, ac Contagium referuntur doctrinæ selectiores Medicorum, Canonistarum, atque Theologorum: & exponuntur obligationes Episcoporum, Prælatorum, Canonicorum, Parochorum, Sacerdotum Secularium, & Regularium, nec non Laicorum tempore Pestis. Tandem deciditur, an eo tempore licitæ sint Processiones?

### SUMMARIUM.

1 *Pestis quid sit & quot morbos comprehendat?*
2 *Pestis deffinitio. Et Quotuplex sit? numer. 3.*
4 *Epidemia non est morbus malignus, nec pestilentialis; licèt in Jure pro peste sumatur.*
5 *Endemii, & Epidemii morbi quinam sint,*
6 *Contagium quid sit? Et quot modis contrahatur?*
7 *Pisces non sentiunt pestem. Et cur?*
8 *Morborum contagiosorum species undecim.*
9 *Scrophulæ sanantur per contactum Regis Franciæ.*
10 *Gallicus morbus contractus ab innocente Religioso.*
11 *Pestis dari potest sine contagio.*
12 *Pestis provenit præcipuè ex aeris corruptione.*
13 *Pestis est flagellum Divinæ Justitiæ.*
14 *Remedia plurima contra pestem spectantia ad Magistratus.*
15 *Remedia contra pestem pertinentia ad personas privatas.*
16 *Venam secare peste laborantibus? Quæstio anceps.*
17 *Privilegia decem in jure concessa omnibus tempore pestis.*
18 *Parochi aut Confessarii nunquam scribant testamenta infirmorum absque testibus, neque translationes pensionum, ubi sunt usu receptæ?*
19 *Conductor, an deserens domum, ob pestem, debeat solvere pensionem?*
20 *Divortium an Uxor possit petere ob morbum gallicum mariti?*
21 *Episcopi tempore pestis tenentur residere & saluti suarum ovium consulere.*
22 *Episcopi pestis tempore tenentur administrare Sacramenta, si alii Sacerdotes desint.*
23 *S. Caroli exemplaris sollicitudo tempore pestis.*
24 *Regularis Prælati obligatio tempore pestis.*
25 *Canonici tempore pestis an possint deserere residentiam?*
26 *Parochi tenentur residere in sua Parochia pestis tempore, aliàs privari possunt beneficio.*
27 *Parochi quæ Sacramenta teneantur ministrare tempore pestis?*
28 *Eucharistia, & Extrema Unctio minimus est danda tempore pestis.*
29 *Sacerdotes simplices an compelli possint tempore pestis, ut Sacramenta ministrent?*
30 *Regulares Sacerdotes tempore pestis obligati sint ministrare Sacramenta.*
31 *Laici peste infectis si conversentur cum sanis insciis, peccant mortaliter.*
32 *Martyres an sint morientes in servitio peste infectorum?*
33 *Velut, idest Quasi? est dictio indicans similitudinem.*
34 *Industriæ decem exercendæ per Parochos tempore pestis.*

35 Extre-

35 *Extrema Unctio quando sit necessariò danda pestiferatis?*

36 *Abstinere à lucro cujusvis rei temporalis tempore pestis est præcipuum remedium ad servandam sanitatem*

37 *P. Joannes Maria Menstrubeus Cong. Oratorii Paduæ laudatus*

38 *Pestis tempore an Processiones generales sint licitæ? Quod non num. 39 Contrarium num.* 40.

41 *Processiones tempore pestis à quibus Sanctis Episcopis sint prædicatæ?*

42 *Processiones tempore pestis sunt licitæ, sed cum cautelis hic notatis*

43 *S. Caroli Borromæi pietas tempore pestis.*

## CASUS PRUDENTIALIS.

*A prudentia DD Parochorum, & Confessariorum, pro hujus tractatus complemento, requiritur, Quæ, & Quot industriæ sint per eosdem Parochos, tempore pestis, Epidemiæ, morborumvè contagiosorum adhibendæ; ut suo muneri satisfaciant in administrandis Ecclesiæ Sacramentis, & præcipuè Sacra Eucharistia, pro æterna salute sua, ac suorum Parochianorum consequenda?*

AD ornatum hujus casus, & pro non inelegante ejus resolutione, nonnulla sunt desumenda à Medicis, alia à Juristis, & demùm alia à Canonistis, & Theologis.

A Medicis discere oportet, quid sit *pestis*? quid *Epidemia*? Qui *morbi Contagiosi*? & horum omnium *causæ*, ac *remedia*?

Quo ad primum. *Pestis* est nomen generale, indicans mala gravia non tàm corporum, quàm animorum. Galen. *in prim.* 1 *& in tertium Epidem comm.* 3 *&* 7 Andr. Gall *de peste fasc.* 4. Zacchias *in Quæst. Medicoleg. lib.* 3. *tit.* 3 *quæst.* 1. *num.* 20 undè non solùm morbos Epidemicos Pestem appellamus, sed homines etiam malos, & impios, ut Plautus *in Pseud. Act.* 1. *Scen.* 2 loquens de Lenone Ballione,

*Quin omnes uno peste hac populum hunc liberant?*

Et de Polyphemo *Virg. lib.* 3 *Æneid.*

*Dii talem avertite pestem*

Nec non Armida volens se occidere, apud Tassum *in sua Hierusal cant ultim stanz.* 126

*Felice me, se nel morir non reco*
*Questa mia peste ad infettar l'inferno.*

Siquidem inordinatos animi affectus, ipsumque amorem Pestem antiqui appellarunt, ut de Didone idem *Virgil. Æneid.* 4.

*Quam simul, ac tali persensit peste teneri*
*Cara Jovis conjux*

Et provenit hoc nomen Pestis à depascendo, quia Pestis ceu fera quædam venenosa non solùm paucos aliquot miserè perdat, verùm totas civitates depascatur. Guainer *de peste diff.* 1 *cap* 1 & Tholosan. Sintagm. Jur *lib.* 31 *cap.* 21. *num.* 1.

Verè autem, & propriè *pestis est morbus Epidemicus, sivè popularis, pluribus* 2 *secundùm plurimùm perniciosus, ex communi causa originem ducens.* Ita Zacchias *d. tit.* 3 *num.* 31. Dicitur autem *morbus Epidemicus, aut popularis* quia Epidemia est quoddam genus morbi, quod irrepit in populum, at de per se non habet malignitatem illam, quæ reperitur in Peste. Idem Zacchias *in d. qq. Medicoleg. lib.* 8. *tit.* 3 *q.* 1. *num.* 9. E contra verò Pestis non solùm irrumpit in omnes, sed habet qualitatem pravam, deleteriam, & perniciosam, deducens brevi homines ad orcum, ideoque omnis Pestis est Epidemia, idest irruens in populum, sed non omnis Epidemia, morbusvè Epidemicus est pestilentialis; siquidem, ut dictum est, morbi Epidemici non sunt maligni, quales sunt Raucedines, Gravedines, Diarrheæ, aliævè infirmitates, quæ solent dilatari in populo, sed non causant mortem, & hinc videntur non propriè locuti, appellando Epidemiam pestilentialem. Tiraquell *de Leg. Connub lib.* 1 *part.* 15 *num* 47 & Savonarola *de Febrib cap.* 9 *rubr.* 1

Dividitur Pestis, ut alia dicatur gravissima, alia minùs gravis. Illa dicitur 3 gravissima, quæ vel diffunditur in multas civitates, vel durat pluribus annis vel nulli speciei hominum, animaliumquè parcit, Et tàm nobiles, quàm plebejos prosternit, vel si nullo anni tempore

mere-

intermittat; si celeris sit, in occisione, itaut non solùm intra trium, vel quatuor dierum, minusvè spatium infectos pernecet, sed quatuor, vel tribus, duabus, aut hora una, ut doctè differit Zacchias *d. lib. 3 tit 3 quæst 2.* ubi è contra auctoritate Medicorum, & exemplis demonstrat, minùs gravem dici pestem illam, quæ aliquam tantùm Urbem, quasi ex familiaritate tangit, ut in Constantinopoli, & in Cairo; vel quæ alicujus ætatis, aut conditionis tantùm homines, seu certam solummodo bestiarum speciem necat, vel non sentitur in Hyeme, & Vere, aut tempus infectis relinquit, ut medicamenta opportuna valeant adhibere.

Epidemia igitur juxta prædicta, ex Medicorum principiis, non est morbus malignus, seu pestilentialis, etsi vagetur in pluribus, aut etiam in omnibus unius civitatis, quales sunt faucium inflammationes, dolor capitis, (qui vocatur etiam *Male del Castrone*, & olim Neapolitanos afflixisse ait Zacchias *d. lib 3 tit 3 q 1 num 36*) Lienteriæ, Diarrheæ, & Disenteriæ, quales agitabant strenuos defensores Austriæ, à Turcis obsessæ anno 1683 iisdem enim affligebantur, sed non moriebantur. Porrò Epidemia aliquando in jure, & juxta Pontificias Constitutiones accipitur pro ipsa Peste, ut in Bulla B. Pii V. incipien. *Decori, & Honestati anno* 1570. quæ concedit Monialibus exire de Clausura in casu magni Incendii, Lepræ, & Epidemiæ, (quod fuit consideratum supra in primo casu Mensis Aprilis hujus anni Decis. 18.) & ideirco in dicta Bulla nomen Epidemiæ non denotat morbum popularem de facili sanabilem, sed infectionem pestilentialem, malignam qualitatem præseferentem, cum manifesto mortis periculo, ut pluribus prosequitur idem Zacchias *lib 8 tit 3 qu 1 à num 7 & seqq.* & DD. apud Novarium *in Summ. Bull. part 2. Com 37.*

Ad Morbos Contagiosos quod attinet, hi vel sunt *Endemii*, vel sunt *Epidemii*. Illi sunt morbi *Endemii*, qui quasi vernaculi, & Patrii habentur in usu apud aliquam gentem, vel ex locorum, aut civitatum naturali intemperie, & situ; aut alia quadam ex causa omnibus habitantibus communi, ut ex aquarum insalubritate, seu ratione situs, & hujusmodi, quemadmodum gallicus morbus dicitur familiaris Indiarum acolis, ophthalmiæ, sivè oculorum inflammationes Ægyptiis, stultitia, & fatuitas populis Vallis Tellinæ, Hemitriteus, atque Melancholia Hypocondriaca Romanis, ut tradita per eumdem Zacchiam *d. lib 3 tit 3 quæst 2. num. 27 & seqq.* ubi subdit *Epidemios* esse morbos, qui trahentes originem à causa universaliori, & præcipuè ab aere obsident, & infestant non solùm unam, sed plures civitates, vocanturque *populares*, & *Epidemii*, si carent venenosa, & deleteria qualitate, quam postea si secum afferant, dicuntur, & sunt pestilentiales, quod etiam explicant Ripa *in tract. de Peste* & Rodenc. *q q Regul tom 2. quæst. 49 art 4.*

Sed antequàm ponamus morbos contagiosos, scire oportet, quid sit *Contagium*, & quot modis contrahatur. Est autem *Contagium infectio ab uno in aliud transiens*. Ita Fracastor. *lib 1 de Contag cap 1* Contrahitur autem tripliciter. *Primò* per immediatum contactum duorum corporum, quorum unum si infectum sit morbo contagioso, eumdem transfundit in alterum corpus sanum. *Secundò* per contactum rerum porosarum, seu vestium, & indumentorum, quæ permanentes incorruptæ, aptæ sunt conservare morbi contagiosi seminaria, & ideò sæpè evenit, ut tempore pestis homines avidiare ducti, colligentes suppellectilia, & tegumenta, quibus infecti utebantur, contrahunt pestem, & mortem appetunt. *Tertiò* per aerem inspiratum, quando scilicèt aer corruptus est, & tanquàm venenum ab hominibus per respirationem attrahitur, vel quando assistentes laborantibus morbo contagioso, eorum expirationem excipiunt, per quam inficiantur. Mercat. *de Febr. lib 7. cap 2.* Septal. *libr. 2. de Peste cap. 10* Zacchias *d. libr 3 tit 3 quæst 2. numer. 12 & quæst 5 numer 2. & 3* Hinc omnium animalium Pisces minimè pestem sentire, Auctor est Aristotel. *8 de Hist. Animal cap 19. &* Plinius *libr. 8. cap. 49.* undè emanavit Proverbium illud:

lud *Pisce nil sanius*; vel quia Pisces nullum aerem inspirent, vel si & ipsi respirent, (ut ex Hippocrate ostendit Rondelet *de Piscib. lib. 3. cap 11*) aer, quem respiratione attrahunt, corrigitur ab aqua, per cujus medium transit, & cum aeris pestilentialis qualitas sit calida, ab aquæ frigiditate emendatur, ut philosophatur idem Zacchias *d. quæst. 2. num 49* ubi examinat, an vera sit sententia Plinii, & Aristotelis, quam defendit Cardan. *lib 6 de variet cap. 37* sed impugnat Weinrich *de Ort. Monstr cap 16* & contra Aristotelem sentisse videtur Virgilius *3 Georg* ubi pestem quandam describens, cum cuncta animantia ea infecta fuisse enarrasset, subdidit hæc carmina

*Jam maris immensi prolem, & genus omne natantum.*
*Littore in extremo ceu naufraga corpora fluctus*
*Proluit; insolitæ fugiunt in flumina Phocæ.*

Morbi verò contagiosi, qui per contactum, vel ex respiratione contrahuntur (etsi omnes non sint malignæ naturæ: & mortales) sunt sequentes 1. *Alopæcia*, idest capillorum casus 2. *Achores*, seu *favi*, nempè ulcera fœtida, manantia è cutis capitis tenuissimis foraminibus 3 *Ophthalmia*, seu *Lippitudo*, & 8 infirmitas oculorum. 4 *Tinea puerorum*, nempe vermium generatio. 5 *Scabies*, quæ est pruritus in universo corpore, vel in pluribus ejus partibus, proveniens ex asperitate, vel pustulis, vel ulcusculis, quæ aliquando est humida, aliquando est sicca 6 *Strumæ*, sivè *Scrophæ*, vel *Scrophulæ*, & sunt tumores evenientes in collo, & in axillis, ac se propagantes, ideòque sic dictæ, quia plures gignunt conceptus, nempe minores tumores, quorum sunt fœcundissimé veluti Scrophæ Zacchias *d. libr. 3 tit 3 quæst 5 numero 6 & 7* Hæ sanantur contactu Regis Franciæ ex privilegio cœlesti, ut te-9 statur quotidiana, certaque experientia, & scribunt Guido *in Chirurg. magna tractat 2. d. 2. & 5* Joann Tagut *libr 1 Instit. Chirurgic.* & Martinus Delrius *disquisit. Magic. libr. 1. quæst 4. col. 13 pag. 22.* ubi dignum scutica ait, Cardanum *libr. contradict. Medic* scribentem, Christianissimas illas Majestates ex longo esu aromatum hanc virtutem habere 7. *Lepra*, quæ est cutis asperitas cum pruritu, & corporis colliquatione, depascens profundas corporis partes orbiculatim, atque piscium instar squammulas ex sese emittens 8. *Elephantiasis*, quæ est alia species lepræ, faciens pellem similem elephantorum cuti, de qua Mercurial *libr. 2. de morbis curan. cap 5* qui de omnibus lepræ speciebus agit 9. *Tabes*, seu *Phthisis*, quæ est ulcus pulmonis, ex quo consumptiva febris, hectica dicta generatur, & est valde contagiosa 10. *Lues Venerea*, Gallicus morbus dictus, & est Infectio, seu contaminatio massæ sanguineæ, & coitus præcipuè inquinamentis, vel alio modo per contagium communicata Quo loco memini, pium, ac Re-10 ligiosum virum luem hanc contraxisse, ex eo quod, dum ipse iter ageret, in latrina ad exonerandum ventrem sederit, in qua tali morbo correptus steterat 11 *Pestis* tandem est omnium contagiosorum morborum regina, ex communi hominum opinione, qui salubrius remedium putant esse fugam à locis, & personis infectis, ex animadversione, Arist. 1 *Probl 7* & Galeni *de diff. febr. cap. 2. numero primo* adeòut praxis doceat, peste infectos ex civitatibus expellendos Alex *in l. Casus numer 3 de Testamen.* Bertachin *de Gabell. & Vectig part. 2. numer 49* & Medici omnes scribant, præcipuum Pestis signum esse, contagium. Heurn *de Peste cap 5* Septalius *eodem tract. libro primo capit 28. & libr 2. cap 8* & Forestus *libr. 6 observat 24.* qui narrat, quemdam peste, infectum retinuisse in manu ovum recens natum, illudque per breve spatium lividum, ac putridum evasisse, eodemque ovo in mensa posito, aliud propè appositum similiter infectionem contraxisse. Non desunt tamen Medici opi-11 nantes dari posse Pestem sine contagio, quos allegat Zacchias *d. lib 3. tit. 3. quæst 2. num. 21* ubi rationes eorum expendit, & illam præcipuè, quod plurimi præ-

prehenduntur Peste ex abrupto, absque eo quod tetigerint quidquam contaminatum, & quamvis omni cautela se custodiverint, signum quod Pestis non ex contagio semper, sed aliquando ex sola attractione aeris corrupti, vel habitus infecti, aut corporum infectorum sola inspectione contrahatur, juxta fixum Medicorum principium, Pestem habere originem ex aere intemperato, & corrupto, quem in nos ipsos tamquam præsentaneum aliquod venenum respirantes attrahimus, & ingerimus Galenus *in libr. de Theriaca ad Pison. capit 16 class 5.* Hercul *de Febrib. tract 4. capit 1 & capit 3* Rudius *libr 3 Art Med cap* 30 & Zacchias *d. lib 3 tit 3 quæst 2 numer* 22 *& seqq & numer* 29 ubi aliam quæstionem discutit, an vera Pestis de necessitate febrem adjunctam habere debeat, & pro utraque opinione argumenta adducit, à curioso lectore ibi videnda

12 Tandem quod ad causas, & ad remedia attinet morborum contagiosorum; si de peste loquimur, constat ex jam dictis, eam esse aeris corruptionem, vel ex aliqua causa universali, vel particulari, ut ex cloacarum immunditie, exhalationibus specuum, vel cadaverum patiofactorum, sive ex pravitate cibi, & potus, ex qua resultant humores mali, quibus putrefactis generantur in corporibus exanthemata, peticulæ, & morbi pestilentiales, qui de sua natura sunt incurabiles, ut pluribus prosequitur Zacchias *consil 71 numer 13 & in quæst. Medicoleg. d. libr 3 tit 3 quæst 3 numer* 9 & 10. ubi præter causas naturales, illam notat supernaturalem, videlicet ipsum Deum, qui mortalium facinora vindici dextera, hac ratione, in hac vita

13 ulciscitur, quod etiam advertit inter Jureconsultos Ripa *in tract. de peste part 1 numer 8* Previdell. *part 7 numer 7* & Tholosan Syntag Jur *d. libr. 31 capit 21 numer* 3 ad pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis comprobans, advertens aliquando ab ipso Deo mortales moneri, ut fugiant flagellum per emendationem vitæ, dando signa in cœlis sursum, defectus quosdam Solis, aut Lunæ, vel Stellarum, Cometas, Lampades, aliasvè in aere igneas impressiones, vel in terris terremotus, ipsiusque telluris halitus, vaporesvè crassos, & graviter olentes, nec non Insectorum multitudinem, morbillos, variolasvè in pueris, quæ omnia sunt indicia futuræ Pestis, & contagii Zacchias *d. tit 3 quæst 3 à numer 1 & seqq*

14 Remedia verò adversus Pestem alia sunt spectantia ad Publicos Magistratus, alia sunt propria cujusque hominis, uno excepto, quod spectat ad utrumque, & est, placare Deum Supplicationibus, Sacrificiis, & Pœnitentiis, hæc enim agentes *Quis scit*, ut habetur *Jonæ 3 9. si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?*

Igitur Magistratus Publici, & Rectores Civitatum tempore Pestis debent 1 Curare, ne immunditiæ sint per vias 2 Ignes fieri in locis frequentibus, ex bonis lignis, ad aeris purgationem 3 Machinas tormentarias, pulvere bombardico repletas, absque globis, explodi mandare sub diei, noctisque crepusculis, quarum ictus aerem agitando immutant, & purgant. 4. Custodes in portis Civitatis diligentes ponere, qui neminem absque certa fide sanitatis ingredi permittant 5 Expellere advenas, si qui ex locis suspectis advenissent 6 Peste infectos quantum fieri potest à sanis segregare, illos vel ad Lazaretos mittendo, vel in propriis domibus sequestrando 7 Cadavera mortuorum altè, & citò defodi curare 8 Canes, & feles occidi mandare, & præcipuè porcos, quorum excrementa aerem venenosum faciunt 9. Doctos Medicos, & Chirurgos deputare, qui infectis medeantur 10. Vestes, & indumenta infectorum omni diligentia igni esse tradenda, præcipere 11 Invigilare, ne carnes putridæ, piscesvè corrupti veneant, & ne pravi homines linimenta venenata, vel pestilentialia domorum januis, pessulisvè inungant 12. Eos, qui infirmis deserviunt, Medicos, Chirurgos, Pharmacopolas, & consimiles, signo evidenti vestiri, ut sani longè ab illis valeant consistere, in præcepto dare.

Homi-

Homines verò privati hæc sibi procurare studeant pro salute tuenda. 1. Abstineant à 15 contactu rerum, quæ contagium suscipere possunt, & sunt omnia ex lino, canape, serico, cotone, lana, bombace, pilis, atque chartæ, & litteræ, nisi igne quàm benè exustæ. At non contrahere contagium dicuntur panis, vinum, oleum, acetum, aromata, fructus, carnes sanæ, frumentum, farina, ac omnia metalla. 2. Fugiant aerem corruptum. Habitatio alta eligatur, in qua venti spirent vel ab Oriente, vel à Septentrione; secùs autem ab austro, vel à locis suspectis, qualia sunt cæmeteria, sterquilinia, cloacæ, aquæ stagnantes, vel horti, in quibus ficus sint, & nuces. 3. Ardeat continuus ignis in focularis domus, & in eo odoramenta projiciantur, flores, aquæ odorosæ adhibeantur. 4. Canes, & feles in alienas domos transire non permittantur, facillimè namque contrahitur pestis à canibus, ovibus, & mulis, ut demonstrat Cæl. Rhodigin. *lect. antiquar. lib. 17. cap. 28.* & Zacchias *d. lib. 3. tit. 3. quæst. 2. num. 51.* ubi dat exempla. 5. Non exeundum domo ante solis ortum. Calor nimius, vel frigus evitandum, à conventu hominum, & colloquio abstinendum. 6. Utendum cibis solidis, edendum potius abundanter, sed non ut cruditates generentur. Vinum non potens sit, & ejus usus moderatus. Aqua cruda, si bibatur, sit levis, & sana. Pessima est Aquavita, ideòque odio habenda. 7. Somnus moderatus. Vigiliæ superfluæ nocent, ac somnus diurnus. 8. Excrementis corpus exoneretur quotidie, & qui eget, utatur emollientibus. 9. Ab omnibus Medicis coitus hoc tempore damnatur, & meretrices expellendas è Civitate advertunt. 10. Corporis exercitia mediocria sint. 11. Passiones animi moderandæ. A tristitia fugiendum. Hilaritas virtuosa sectanda. 12. Mundities in corpore custodienda. Vestes sæpè lavandæ, ac mutandæ. A Balneis publicis fugiendum, & contactus rerum suspectarum evitandus; aceto manus frequenter lavandæ, ac pecuniæ, si quæ exigentur, eluendæ. Quæ omnia latiùs proponit Zacchias, ex aliis Medicis collecta *d. lib. 3. tit. 3. quæst. 4. De cura præservativa à peste.*

Sed utrùm expediat, tempore Pestis, secare venam, & iis, qui pestilentiali contagio laborant, sanguinem extrahere? est 16 quæstio anceps, habens hinc inde rationes, quas curiosus Lector legere poterit apud Aresium Episcopum Tortonen. *libr. 6. Impress. 190. capit. 5.* ubi concludit pro negativa, quem amplectitur etiam Marchin. *de peste Problem. 34. remed. 11.* ita scribens. *Hoc unum silendum mihi non est, à fide dignis acceptum, quod posteris haud poterit esse fortè inutile. In hac peste Florentina de Anno 1631. 1632. quibus vena secabatur, periere ferè omnes. Idem testatur de peste Lugdunensi Anni 1628. & 1629. Joann. Grisloticus capit. 1. ubi sic ait. Nec silendum gravissimè ab iis in peste sananda peccari, qui à potionibus purgantibus, & missione Sanguinis curationem auspicantur, cum potius elaborandum sit, & impensè entendum, ut sudor copiosus exprimatur, & antidotis viscera, & intestina roborentur, recreenturque.* Et Philippus Ingrass. *de peste Panormitana scribens part. 1. cap. 9. inquit, idem esse, pestis tempore sanguinem mittere, ac velle quamprimùm sepulturæ mandare, cum experimentum comprobaverit, toto eo tempore, quo pestis grassata est in illa urbe, omnes, quibus vena secabatur, post paucos dies interiisse. Idipsum planiùs testatur Fracastorus lib. 6. cap. 5. accidisse in peste, quæ Anno 1505. & 1528. per totam Italiam deservit.* Hucusque Marchinus. Et hæc satis ex Medicorum fontibus.

A Juristis autem plura traduntur concessa tempore Pestis tamquam ex privilegio, præcipua autem sunt sequentia. 17 I. Quod valeat testamentum factum coram duobus testibus tantùm. Alex. *in l. Scriniarios col. ultim. Cod. de Testament. mihi* Portius *in Instit. tit. de Testament. mihi num. 11.* Marc. Mantua Patavinus *tom. 1. consil. 25. &* Eques M. Ant. Peregrinus *in Decis. Patavinis decis. 80. numer. 1.* II. Et multò magis si apud duos testes intervenerit etiam proprius Parochus, vel Confessarius testatoris. Guido Pap. *quæst. 543. in fine.* Boer. *decis. 228. sub numer. 11.* Imnò etiamsi scriptum fuisset testamentum à Parocho cum præ-

Mm sentia

sentia unius testis tantùm Marchin. *de peste parte 3 cap 3. num* 3 cui adhæret Diana Coordinatus *tom 6 tract 8 resolution* 67 Quæ jacet in antiquo *parte 7 tract 6 resolut* 42. *aliàs* 41 III Ulteriùs valet testamentum factum coram duabus fœminis testibus, si viri haberi non potuerint. Portio *d num* 11 & Peregrinus Patavin *d decis* 80. *num* 3 quem approbat Molan. *de Pris testament cap* 83 *& alii DD* citati per Dianam Coord. *d tom 6 tract 8 resolution.* 61 desumpta *ex eadem parte 7 tract. 6 resolution* 36 *aliàs* 35 Volpi *Resolution* 204 *num* 20 IV Porrò si solus Parochus, vel Confessarius fit testis testamenti facti à Peste infecto, & defuncto, testamentum non valet, ea irrefragabili ratione, quod dictum unius est dictum nulliùs Peregrinus Patavin *d decis* 80 *sub num* 3 *Vers. Illud autem*, & ibi Card. Zabarella *cons.* 83 ideò Parochi sint cauti, & adhibeant in hac materia semper aliquos testes, ne se exponant confusioni, aut suspicioni falsitatis V Item tempore Pestis valet testamentum conditum à pestiferato existente in Casono, quamvis testes illum non viderint, dummodo illius vocem notam habuerint Ita Parisius *consil* 33 *vol.* 2. Roland à Valle *consil.* 81 *numero* 24. & Peregrin *est decis Patavin* 80. *numero* 4. Quamvis plurimi Jurislæ contrarium doceant, inter quos Ciaslin *cap.* 109. *numero* 36 Alciat *libr* 9 *cons* 94. Farinac *de Testib qu* 69 *numero* 188. & Menoch *de Arbitr Jud casu* 475 *numero* 23 cum quibus sentit Diana Coordin. *d tom.* 6 *tract* 8. *resolution* 64 quæ stat in Veteri *d part* 7 *tract* 6 *resolution* 39 *aliàs* 38 ob evidens periculum fraudis, quo cessante contrariam sententiam in praxi esse tenendam dixit Marchin. *de peste parte* 8 *cap* 2. *numero* 18. VI Quod si pestiferatus testando balbutiat, & linguam sic ingrossatam habeat, ut à testibus sufficienter intelligi non possit, testamentum ejus non valet, ut pluribus rationibus, & auctoritatibus DD. probat idem Peregrin *cit decis* 80. *numero* 5. & 6 VII Quæ dicta sunt de testamentis tempore Pestis, multò magis procedunt in codicillis, & in donationibus causa mortis Peregrin *ibid numero* 2. & Marchin *de peste d parte* 8. *cap* 1. *numero* 15 *&* 25 ubi advertit prædicta omnia privilegia habere locum non solùm in pestiferatis, sed etiam in illis, qui deserviunt Peste infectis. Ulteriùs tempore Pestis, quæ fuit Romæ anno 1656 concessum fuit à Summo Pontifice Alexandro VII ut non solùm testamenta, sed etiam translationes Pensionum possent fieri coram Confessario, & duobus testibus juxta ejus Constitutionem Incipien. *In supremo Dat.* 18. *Septembris* 1656. Agit de iisdem Translationibus Lotter *de Re benefic libr* 1 *qu* 40 sed apud nos non sunt usu receptæ VII. At numquid propter Pestem supervenientem si Inquilinus dimittat domum conductam, teneatur ad solutionem Pensionis domus? Abb. *in cap Propter num* 7 *de locato, & conduct* dicit, in puncto juris non teneri, nam timor mortis est justa causa deferendi domum, *arg tex in l Habitatores § Iterum ff eod* Quamvis in praxi, subdit Abbas, hoc vix possit obtineri, quod mihi videtur verius, nam timor mortis non provenit ab ipsa domo, prout evenitet, si minaretur ruinam, vel larvæ eam infestarent, sed procedit à causa universali tangente omnes cives, ideòque locator non debet perdere pensionem domus IX Timor Pestis excusat ab obligatione comparendi in judicio Bart in *l De ætate ff ad Trebell* Gloss. *in cap Communis causa Verb morari* 23 *d ff* & Gloss *in cap Si verò De Jurejuran* Tondut *de Præventione part* 1 *cap* 9 *num* 50 Immò tempus Pestis interrupit præscriptionem. Bart in *l Naturaliter ff de Usucap* ratio est, quia tunc Jus non redditur, & nulli agere licet, & ideò quilibet excusatur eo tempore à mora, à contumacia, à perjurio, & ab aliis multis, de quibus Ripa *de peste part* 1 *num* 8 & Mascard *de Probat concl.* 20 *per totum* X. Tandem quando non solùm ob Pestem, sed etiam ob alios morbos contagiosos supra relatos conjux non teneatur reddere debitum matrimoniale, immò possit petere divortium, præcipuè ob scabiem, lepram, vel morbum gallicum tractant Bissus *in Hierarc Verb Lepra*

18

19

20

*Lepra tom* 1 & Zacchias *in eis QQ. Medicoleg. lib 3 tit 3 quæst 6* quos in casibus occurrentibus adire juvabit, prout etiam, Riccium *in Collect. decis* 530. ubi disputat, an sit nulla professio facta à Religioso habente luem Veneream, quam priùs Superioribus Religionis non manifestaverat.

Tandem quæ à Canonistis, ac à Theologis traduntur occasione Pestis concernunt personas *vel Prælatorum, vel Canonicorum, vel Parochorum, Simplicium vel Sacerdotum sæcularium, vel Regularium, aut Laicorum.* De quibus omnibus breviter magis essentialia referam.

21 Circa *Prælatos*, Episcopi tempore Pestis non possunt deserere suam Diœcesim, sed tenentur in ea residere, & saluti suarum ovium tàm in spirituali, quàm in temporali consulere, ut respondit Papa Gregorius XIII die 18 Decembris 1576 teste Fagnano *in cap. Clericos num. 47 de Cleric. non residen.* Et qui aliter facerent, non solùm peccarent contra charitatem, præponendo propriam vitam corporalem animarum sibi commissarum saluti, sed etiam contra justitiam, cum pro residentia, & ovium cura recipiant proventus Episcopatus. Rutil. Benzon *in Speculo Episc. in tract. de fuga temp. pestis lib. 1. disp. 1 concl. 4* & Matthæi. *de Bello Divino, seu de peste part 1 cap. 2.* Hinc Episcopos, si desint alii, teneri excipere confessiones Peste infectorum, & eis Sacramenta administrare advertunt Chapeaville *de peste cap. 5 qu. 7.* & Gobat *in Theolog. experim. tract 1. nu. 143* non obstante periculo vitæ, & deficientibus Parochis, aliisve Sacerdotibus,

22 qui ex mera charitate, hæc munia agant, debent Episcopi propria pecunia conducere Sacerdotes exteros pro hujusmodi functionibus Gobat *d. tract. 1 num 131 & seqq.* & invigilare, ne desint Sacramenta, neque Sacrificia opportunis in locis habenda; ad quem effectum impetrare eos oportet ab Apostolica Sede facultatem tum absolvendi à quibuscunque casibus reservatis pro omni Confessario Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 5 resol. 12.* Quæ est in veteri *part. 9 tract. 7 resol. 12.* tum celebrare faciendi vel in viis publicis, vel in Oratoriis privatis, prout meliùs cognoverint expedire Nicol. *Canon. lucubr. lib 5 tit 33 num 7 limit 6* Diana Coord *tom 4. tract. 2. resol. 22. Ex part. 9. tract. 1. resol. 45.* Unum est, de quo disputant Canonistæ, ac Theologi, an Peste imminente liceat Episcopo deserere suam Civitatem, & se recipere in aliquo loco tuto in Diœcesi, vel propè Diœcesim, ut saluti suæ consulat, & ovium suarum necessitatibus provideat, relicto in Civitate Vicario, qui sua monita exequatur? Sunt hinc inde opiniones, quas referunt Gobat *d. tract. 1. à num 144 & seqq.* Fagnan. *in cap. Ad supplicationem num 22. de Renunciat.* & Pignatell. *tom. 4 consult. 17. à num 35 & seqq.* quos Episcopi poterunt legere, sed fructuosiùs quid egerit S. Carolus Borromeus apud Jus-

23 san. in ejus vita *lib. 4. à cap. 1 & seqq. usque ad cap. 10.* Quod autem dictum est de obligatione Episcopi tempore Pestis, asserunt etiam Theologi de Prælato Regulari

24 circa suum Cœnobium, quod non debet deserere, sed indigentiis spiritualibus, & temporalibus suorum Religiosorum tenetur providere, iisdem tamquam Pastor, & Pater, si alii deficiant, Sacramenta administrando Baldell *in Theolog. Morali tom 2. lib 2. disp 19 num 19* Sanchez *in Decalog. lib 6 cap 2. num 55* Diana Coord. *tom 7 tract. 1 resol 17* sumpta *ex part. 9 tract. 7. resol 54 aliàs 53* & Peyrin. *tom 1 quæst 1 cap 11 vers. dico secundo.* Et hæc de Prælatis.

Circa Canonicos; opinantur Hurtadus, quem refert Diana Coordin. *tom 8 tract. 10. resol. 2.* (ex Veteri *part 5 tract. 13 re-*

25 *sol. 24.*) & ex utroque Gobat *d. tract. 1 nu 162 & 163* eos tempore Pestis non posse deserere residentiam, quia cum Pestis sit bellum Dei Bart. & DD *in l. Naturaliter ff. De Usucap.* Ripa *de peste in Prælud. num 8.* Canonici debent pugnare, & Civitatem defendere Orationibus, Divinis officiis, ac Sacrificiis. Fagnan. *in cap. Non minus num. 61 De Immunit. Eccles.* Immò in defectum Parochorum administrare Sacramenta. Caramuel *in Theol. Prætermiss. num 2506* Porrò communis est sententia Canonistarum, posse Canonicos, Peste grassante, deserere residentiam, etsi dubium sit, an absentibus debeantur distributiones

quotidianæ? quod affirmativè fuisse resolutum à *Sacra Congreg. Conc. in una Patavina* notat Moneta *de Distribut. Quotid. part. 2 quæst. 5 num. 76.* Et idem confirmat iteratò decisum *ab ead. Sac. Cong. die 9 Nov. 1630. Et 26 Martii 1654. & 28. Julii 1657.* Nicollus *d. lib. 3 tit. 4 num. 46* tribus tamen conditionibus concurrentibus, quod Canonici sint soliti residere, quod consuetudo sit dandi distributiones absentibus ex justa causa, & quod verè Pestis grassetur.

At circa Parochos, eos omninò debere residere in sua Parochia tempore Pestis ex 26 sententia S. Thom. 2. 2. q. 26 *art. 5 in fine*, & Navarri *in Man. cap. 24. num. 10 & cap. 25 num. 20.* fuit, post longas disputationes, requirente S. Carolo, decisum *à Sac. Congr. Concil. die 11 Octobris 1576.* cum hoc tamen, ut possit Parochus ministrare per alium Sacramenta peste infectis, ut valeat ipse juvare sanos. Fagnan. *in cit. cap. Clericos à num. 37 & seqq. De Cleric. non residen.* ubi motiva ab Emin. Cardinalibus considerata refert, ac sensum Summi Pontificis Gregorii XIII. Quæ omnia repetunt Gobat *d. tract. 1. num. 116.* Baldellus *d. tom. 2 libr. 2. disp. 19 num. 17. & 18.* Peyrin *d. tom. 1. quæst. 2 cap. 21. vers. Probatur.* Et Barbos. *Apostolic. Decis. verb. Pestis Collect. n. 574.* ubi observat, quod contra Parochos, qui tempore Pestis residentiam deseruerint, procedendum est ad privationem beneficii, servata tamen forma præscripta *à Concil. Trid. sess. 23 cap. 1.* quod ex mente Sacræ Congregationis latiùs prosequitur Fagnan. *in cit. cap. Clericos num. 41 De Clericis non residen.* Sed utrum Parochi præter Sacramenta necessitatis, scilicet Baptismum, & Pœnitentiam, teneantur etiam alia Sacramenta laborantibus peste ministrare? De Sacro Viatico affirmant Castropal. *par. 4. tract. 21. punct. 20. num. 2.* Pax Jordan. *lib. 3 tit. 3 num. 23.* Bissus *in Hierurg. tom. 1. verb. Eucharistia num. 180.* Barbosa *de Parocho cap. 20. num. 46.* & Gobat *tract. 4. num. 414.* servatis tamen cautelis, de quibus infra, ac etiam de Extrema Unctione Gobat *tract. 8 num. 902.* Bissus *tom. 2. verb. Minister Sacramentorum num. 271 § 34.* Barbosa *de Parocho cap. 22. n. 14.* Silvius, & Nugnus apud Dianam Coordinatum *tom. 2. tract. 4. resol. 26.* (Quæ in antiquo est *part. 3 tract. 4. resol. 173. alias 174.*) Quamvis non desint auctores opinantes, Parochum cum periculo vitæ non teneri ad danda Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, si illud Pœnitentiæ administraverit, ut referunt Gobat, & Bissus ibid. & magis apertè Fagnan. *in cit. cap. Clericos num. 40 De Clericis non resid.* ubi ait, magnam fuisse disputationem *in S. Congregatione Concilii anno 1576.* circa obligationem Parochorum administrandi Eucharistiam, & Extremam Unctionem peste infectis ob doctrinam S. Antonini *3 p. tit. 22. cap. 12 § 3.* ibi citati, & dicentis, eos teneri administrare Sacramenta (quod dictum ego reperire non potui in meo codice) Nihilominus Summus Pontifex Gregorius XIII. nihil voluit de hoc decernere; & mandavit, rescribi S. Carolo, Parochos teneri omninò administrare Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ vel per se, vel per alium pestiferatis, ad effectum scilicet, ut ipsi Parochi possint consulere indigentiis spiritualibus eorum, qui sani sunt. Ideircò non esse præcisè obligatos Parochos dare Sacrum Viaticum, ac Extremam Unctionem iis peste infectis, qui Pœnitentiæ Sacramentum receperunt; docet Suarez *de Extrem. Unct. disp. 44. sect. 3 num. 20.* Gobat *tract. 1 num. 154.* Molfesius *in summa tom. 1. tract. 4. cap. 3 num. 32.* Majol. *de Irregular. lib. 2 cap. 20. num. 3* Marchin. *de Bello Divino part. 3 cap. 2. num. 4.* & alii quos citat, & sequitur Diana *part. 5 tract. 3 resol. 53* posita in Opere Coordinato *tom. 2. tract. 2. resol. 58.*

Quatenùs verò à Parocho, vel alio Sacerdote daretur Sacrum Viaticum laborantibus peste illud porrigi posse in cochleari 28 argenteo, vel in pagina munda statim comburenda, docent Venerus *in Exam. Episc. lib. 4 cap. 46 num. 47.* & Mancinus *in Pract. visit. infirm. pract. 8 dub. 18.* Sed hos confutat Diana Coordin. *d. tom. 2. tract. 2. resol. 99. & 100.* (*Ex veteri part. 4. tract. 4. resol. 114. & part. 5. tract. 3 resol. 50.*) Prout etiam quod Extrema Unctio dari possit cum virga oblonga. Nald. *verb. Sacramentum num. 7. in fine.* Bissus *d. verb. Minister*

Sacra-

*Sacramentor num* 171 § 34 Quæ omnia tamquam indecentia post maturam Theologorum discussionem fuisse prohibita à S. Carolo in Act. Mediolan. *De Cura pestil cap* 15 *num.* 2 testatur Gavant. *in Manual Episc verb pestis num.*6. Diana *d. resol.* 99. *&* 100 in Coordinato Barbosa *de Parocho cap.* 20. *num.* 46 Et Michael Justinianus *in suis Constitut lib* 3 *tit* 1 *cap* 78

29 Circa autem simplices Sacerdotes sæculares, hos posse obligari ab Episcopo, ut deficientibus Parochis, administrent Sacramenta Peste infectis, volunt Gavant. *d verb pestis nu* 3 Gobat *d tract* 1 *num* 228 ubi quod ita sentiunt Cajetanus, & Sotus, & Eminentiss. Cardin de Lugo *De Sacram. Pœnit disp* 22. *num* 13 tum ratione promissæ obedientiæ Episcopo in ordinatione, tum ex præcepto charitatis, quæ obligat juvare proximum in extrema necessitate spirituali constitutum, etiam cum discrimine propriæ vitæ, ut ex doctrina S Thomæ 2. 2. *qu.* 26 *art* 5 & aliorum docent Reginald *lib* 4. *num.* 358 & Bonacina *tom* 2. *de Primo Decal Præcepto disp* 3 *quæst* 4. *punct* 4. ideòque tempore Pestis omnes Sacerdotes esse obligatos excipere confessiones Peste infectorum, si desint Parochi, aliivé Capellani, ad hunc effectum ex stipendio conducti, eò quia existentes in peccato mortali dicuntur esse in extrema necessitate spiritualis salutis quibus quilibet Sacerdos tenetur succurrere etiam cum temporalis vitæ periculo hoc tamen, ut dixi, intelligendum est, si morte periissent omnes Parochi, vel eorum major pars & Episcopus non posset invenire Capellanos voluntarios, vel Œconomos, qui munia Parochialia supplerent, quod videtur inverisimile, nam, si exponantur edicta pro concursu ad Parochiales vacantes, probabile est, non defuturos Sacerdotes, qui velint ad beneficium ascendere, prout non defecerunt hic Patavii in Peste annorum 1630. & 1631 ut ego observavi in Registro concursuum Curiæ Episcopalis Quod si deficerent Parochi ex fuga, tunc Episcopus ex fructibus suorum beneficiorum, & in supplementum ex propriis redditibus deberet exteros Presbyteros conducere pro Sacramentis administrandis, Squillant *de Obligat Episc part* 1 *cap* 2 *num.* 18 diœcesanos hortando, non autem cogendo ad idem faciendum Fagnan *in d cap Clericos num* 42 *de Cleric non resid* Gobat *d. tract* 1 *num* 131 & Sanchez *d libr* 6 *in Decalog cap* 2. *num.* 62

30 Sacerdotes verò Regulares, deficientibus Parochis, teneri juvare in spiritualibus peste infectos, multò magis docent Theologi, ea ratione quia præcipuè Mendicantes sunt coadjutores Episcoporum, & Parochorum in cura animarum, & aluntur eleemosynis à Communitate, ut sibi deserviatur per eosdem in spiritualibus, ideòque tenentur exponere propriam vitam non solùm in necessitate extrema ipsius Communitatis, sed etiam in necessitate gravi, qualis est Pestilentia Peyrin. *d tom* 1. *quæst* 1 *caput* 11 *col* 2. *Vers Ex quo infertur* Sanchez *d. libr* 2. *cap* 2. *numer* 60. & ibi S Thomas 2. 2. *quæst* 187 *art* 1 *&* *quæst* 188. *art* 4 Eminentiss. Cardin de Lugo *de Sacram. Pœnit. d disp* 22. *num*.13

31 Circa Laicas personas, tempore Pestis, duo sunt digna notatu Unum, quod si quis sit pestiferatus, idque occultum teneat, & accedat ad Parochum, seu Confessarium pro recipiendis Sacramentis, peccat mortaliter, quia exponit eumdem Sacerdotem vitæ periculo, cum præjudicio aliorum proximorum, qui vel sani, vel infirmi privarentur ipso Parocho, vel Confessario Gobat *d tract* 1 *num.* 120. Alterum est, quod Laici, qui se sponté offerunt servire ægrotis, & infectis Peste, exercent opus eximiæ charitatis, & valdè meritorium, *ut pluribus DD. citatis* demonstrat Baldellus *d tom* 2. *disp* 20. *num* 15 *& seqq.* ubi *num.* 18 subdit, tale exercitium posse licité imponi alicui per Confessarium pro Pœnitentia Sacramentali, prout antiquitùs imponebatur Pœnitentia, ut quis militaret in subsidium Terræ Sanctæ cum periculo propriæ vitæ

32 Sed hic oritur curiosa Quæstio, an fideles, qui ex motivo charitatis se offerunt servitio Peste laborantium, & in eorum famulatu vitam perdunt, dicendi sint Martyres? Et videtur affirmandum ex auctoritate *Martyrol Romani die* 28 *Februarii*,

ru, ubi ita legitur. *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit*. De quibus pariter S. Dionysius Alexandrinus, ut refert Emin. Card. Baronius *in notis ad d. locum Martyrol.* ita scripsit. *Istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à Martyrii splendore abesse videtur*. Eorumdem Sanctorum Unam Italico sermone refert Hier. à Basilica Petri *in suis Ephemer. Sacris d. die 28 Febr*. Nihilominùs Emin. Card. de Lauræa, examinans hanc quæstionem *in 3 Sentent. part. 2. tom. 3. De Fide, ac propagatione ejus disp. 20. art. 5.* resolvit, laborantes in juvandis, & gubernandis fidelibus tempore Pestis, morientesque in eo gubernio, lato modo tantùm posse dici Martyres, non tamen expressè ac rigorosè, sicut communiter, ac semper Ecclesia agnovit, atque venerata est Martyres, ea ratione quia de essentia Martyrii est, ut quis pro fide Christi condemnetur à persecutore vel ad mortem, vel ad cruciatus, quod fusè probat auctoritatibus SS. Patrum. Et ideò libellus, quem P. Theophilus Raynaudus *De Martyrio per pestem* publicaverat, fuit à S. Congregatione Indicis prohibitus, ut habetur *in Bibliotheca Scriptorum Societ. Jesu* ad opera dicti Auctoris, à quo postea cùm fuerit emendatus, permissum fuit anno 1659 ab eadem Sacra Congregatione, ut recuderetur, teste Nathanaele Sotuello ejusdem Bibliothecæ compilatore. Neque obstat auctoritas Martyrologii Romani, quia non vocat prædictos pios viros Martyres, sed *velut Martyres*, idest *quasi Martyres*; nam dictio *Velut* significat similitudinem, & ponitur pro *quasi*. Calderin. *de Verb. Signific. cons. 8.* & Menochius *de Præsumpt. lib. 4. Præsumpt. 52. num. 6.* 33

Ex his omnibus, hucusque enarratis, facilè erit colligere industrias adhibendas à Parochis, atque Confessariis tempore Pestis in administratione Sacramentorum, & proprii officii adimplemento, quæ quidem sunt plurimæ, & ex actis Ecclesiæ Mediolanensis compilantur per Haymonem Corium *in Epitome Concil. S. Caroli Verb. pestis*, magis autem necessariæ sunt sequentes, quas hic adnotabo pro resolutione propositi Casus. I. Adveniente Peste Parochus, ac quilibet Confessarius suam conscientiam purificet Sacramento Pœnitentiæ, & se offerat Deo paratum mori, tamquam bonus miles, ut suo muneri satisfaciat. Emin. Card. Federic. Borrom. *in Instruct. ad Parochos occasione pestis*. Et Mich. Justin. *d. lib. 3. tit. 1. cap. 75.* II. Suos Parochianos monitos faciat, ut absque mora sua peccata confiteantur, & Sacram Eucharistiam sumant. Justinian. *d. lib. 3. tit. 1. cap. 189.* III. Eosdem certos reddat, se semper promptè iturum ad excipiendas Sacramentales infirmorum confessiones, ideoque liberè, & quacunque hora illum accersant. Justinian. *ibid. cap. 72.* IV. Quotidie Missam Parochus, ac quilibet Sacerdos, (magno impedimento cessante) celebret, & quasi pro Viatico se devotè communicet. V. Suam Parochiam jugiter perlustret, inquirendo, an sint infirmi, qui egeant Sacramentis, vel pauperes corporalibus alimentis. Justinian. *d. cap. 189.* VI. Sæviente Peste, curet Parochus sibi providere de uno, vel pluribus piis Capellanis, qui ipsum adjuvent in administratione Sacramentorum, & potissimùm in audiendis confessionibus infirmorum, vel ad eorum fenestras, vel in januis domorum, vel etiam quatenus ibi adduci non possint, domos ingrediendo; talis enim est obligatio Parochi, ut disserunt Gobat. *d. tractat. 1. num. 124.* Corius *d. Verbo pestis, num. 146. & 147.* Et Justinian. *d. lib. 3. tit. 1. cap. 78.* qui advertunt, Parochum teneri iisdem pestiferatis sacrum Viaticum præbere, Extremam verò Unctionem pendere à charitate Parochi, nisi moribundus non potuisset confiteri, vel Eucharistiam sumere, tunc enim danda est ei Extrema Unctio. Card. Federic. Borrom. apud Justinian. *d. lib. 3. tit. 1. cap. 113.* VII. Deferat Parochus Sacram Eucharistiam cum luminibus ad domos infirmorum, quas non ingrediuntur deferentes lumina, & Sacerdos habebit secum acetum. 34 35

acetum,

acetum, quo statim, data Communione infirmo, purificabit digitos. Bissus in *Hierurgia Sacra tom 2. Verb. Minister Sacramentorum d. num 171 § 34.* ubi concedit, posse administrari Extremam Unctionem cum longa virgula, habente bombacem junctum, quod supra non licere probavimus num 28. VIII Infantes recenter natos sollicitè baptizet, vel in *Ecclesia*, si ad eam deferri possunt, sin minùs in ostiis domorum, vel in ipsis domibus; & omittat cæremonias, quas opportuno tempore supplebit, si vixerint. Haynon Corius *d. Verb. pestis num.* 109. 110. *&* 111. satis enim est tunc salutari lavacro illos abluere. Justinian *in d. Constitution lib 3 tit 1 cap* 13. IX Omni diligentia custodiat Parochus sub clavi paramenta facta, quibus utetur in Missa, vel in dandis Sacramentis, ac etiam ampullas, & sudariola, ne ab aliis adhibeantur, & ubi opus fuerit ingredi domos infectorum Peste, præter usum aceti, & aliorum odoramentorum, juvabit præmittere suffumigia sulphurea, secundùm opinionem Augustini Bucii *de Modo præservandi à peste cap.* 12. Quod si rurgerit eosdem infectos manu, vel digitis, eosdem super flammam candelæ accensæ expurget, vel super prunis accensis. Justinian ubi supra *lib 3 tit 1 cap 78.* X Tandem cautela, & industria Parochorum, ac Confessariorum erit, constans repudiatio cujuscunque rei temporalis, à cujus contactu, lucri causa, mors inopinatò evenit, juxta exemplum famuli cujusdam, de quo sic legitur in Vita R. P. Joannis Mariæ Montisrubei Congreg. Oratorii Paduæ *cap.* 12. *Nella peste del 1631 il Padre Gio. Maria restò con un solo Laico in S. Tomaso alla cura delle Anime. Fece di se un' offerta à Dio, disposto ad ajutare chiunque lo chiamasse con li Santissimi Sacramenti, e pronto à morire di peste per ajuto delle anime. Prohibì al Laico il prendere donativo alcuno grande ò piccolo, che si fosse. Ma detto Laico non seppe vincere l'interesse, prendendo di nascosto alcune cere d'un funerale di persona ricca, sepolta in S. Tomaso: onde fù preso lui dal Contagio, & in breve vinto dalla morte.*

Corollarii loco in hac materia Pestis in controversiam cadit, an licitæ sint Processiones generales tempore, quo Pestilentia grassatur? Pro negativa facit, quia omnes tenentur cavere à periculo infectionis, quod in concursu populi videtur inevitabile. Item quia velle sanitatem obtinere per miraculum, omissis remediis naturalibus est Deum tentare, quod est peccatum. S. Thom. 2. 2. *q. 97. art. 1. & 2.* Sed inter cætera remedia naturalia contra Pestem est secessus, & fuga ab hominum consortio, ut dictum est supra. Ergo Processiones generales non erunt licitæ. Pro affirmativa facit, quia quod ab Ecclesia ordinatur, est licitum. Sed in Rituali Romano inter alias Processiones habetur *illa tempore mortalitatis, & pestis.* Ergo sunt licitæ. Ulteriùs non potest dici illicitum, quod à Sanctis viris fuit practicatum. Sed S. Gregorius Magnus illas fecit tempore magnæ Pestilentiæ Romæ. Card. Baron. *ann.* 590. *num.* 12. Item Sanctus Herebertus Archiepiscopus Coloniensis. Gretserus *de Processionib. lib.* 1 *cap.* 11. Item S. Gregorius Turonensis, ut narrat *lib.* 10 *Histor. cap.* 29. Item Concilium Constantiense, à quo statutum fuit deferri in Processione Imaginem Sancti Rocchi, & statim Pestis cessavit. Marchantius *in Hortu Pastor. lib. 2. tract. 2. lect. 5. proposit. 2. Vers. Illis verò factis.* Et habetur etiam in *Annotat. ad Martyrol. Rom. 16. Augusti.* Pater Sanctus Carolus Borromeus publicas Processiones instituit ad Deum placandum tempore Pestis. Jo. Petr. Jussan *in ejus Vita lib. 4. cap. 1. & 2.* Et anno 1630. Mutinenses Processionum publicarum auxilio incolumes à Peste remanserunt. Marchin *de Bello divino in princ.* Nec non Bononienses anno 1631 grassante sævissima Peste, indicta publica Supplicatione, & circumlata per Urbem devota Dei Genitricis imagine, à Sancto Luca depicta, morbus evanuit. Sigonius *lib. 1. de Regno Ital.* Ergo Processiones tempore Pestis sunt licitæ. Examinat hanc controversiam P. Paulus Mar. Quartus *in tract. de Processionib. sect. 3 punct. 3 Circumstantia 7. Quæsit. 3 pagin.* 73. Et eam dirimit ope distinctionis hujusmodi, videlicèt, quod passim, & indiscriminatim non liceant; sed

sed à Sanctis Episcopis à Deo, inspiratis possint hodie indici cum debitis cautelis, inter quas, quod pueri, & mulieres non interveniant, has enim, & illos etiam S. Carolus exclusit: quod viri procedant bini, & bini sed cum distantia ab invicem majori solita. Et quod ante Processionem omnes excitentur ad pœnitentiam, & ad fiduciam in Deum, exemplo dicti S. Caroli, de quo ulterius, dum Pestis Mediolani grassaretur, ait *Breviar. Roman. lect. 5. Publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus, etiam offendiculo cruentatis, Crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat.*

42

43

## DECISIONIS LXII

Ad Decembris Casum additionalem

## ARGUMENTUM

Disquiritur, Quomodo Anachoretæ, Eremitæ, aliique homines solitarii, præsertim in vastissimis desertis, reciperent Sacram Communionem, tum in Vita, tum in morte? Declarantur varia genera Anachoretarum, & Inclusorum; nec non publicè Pœnitentium, Lauritarum, & Eremitarum; & eorum omnium plurima exempla dantur ex historiis sacris, non sine magno labore collecta. Tandem resolvitur Quæstio sub triplici distinctione circa Communionem omnium prædictorum. Ponitur Epistola Illustriss. ac Reverendiss. Pompei Sarnelli Episcopi Vigiliarum de eadem Quæstione. Et explicatur, quomodo prædicti Solitarii, & Inclusi adimplebant præceptum de audienda Missa?

*S V M M A R I U M*

1 *Inclusorum antiquitùs tria genera*
2 *Detrusio in Monasteriis fiebat ob gravia delicta ad agendam pœnitentiam*
3 *Detrusio Ecclesiasticorum in Monasteriis præcipuè fiebat ob delicta carnis*
4 *Triremium pœna hodie est loco detrusionis in Monasteriis.*
5 *Pœna pro delictis carnis est arbitraria*
6 *Pœnitentia publica quænam olim esset?*
7 *Pœnitentium publicè quinque erant gradus, & Qui?*
8 *Pœnitentes publici erant etiam excommunicati*
9 *Pœnitentes publici fiebant irregulares, incapaces ordinum, & beneficiorum*
10 *Pœnitentium publicè exempla*
11 *Pœnitentium spontè in Monasteriis duo genera*
12 *Episcopi aliquando eligebant sibi Monasteria amore Pœnitentiæ*
13 *Conversi in Religionibus quare sic vocentur?*
14 *Ritus in dando habitu Pœnitentiæ*
15 *Cadavera defunctorum quare vestiantur sæpè habitu religioso?*
16 *Pueri oblati Religioni per parentes*
17 *Pueri oblati Religioni quando poterant discedere ab illa?*
18 *Professio regularis ex Conc. Trident. non potest fieri ante annum 16. completum*
19 *Conversi non possunt profiteri ante annum decimum sextum, & non completo anno Novitiatus*
20 *Conversi an expediat facere totum annum probationis ante Professionem*
21 *Anachoretæ unde dicti?*
22 *Lauræ Lauritæ qui essent?*
23 *Anachoretarum, seu Inclusorum plura exempla*
24 *Anachoretica Vita an sit perfectior Cœnobitica?*
25 *Inclusorum extra Monasteria ordines duo*
26 *Inclusorum vita asperrima*
27 *Eremitæ quinam propriè dicantur?*
28 *Mulierum inclusarum exempla*
29 *Solitarii quinam essent? Eorumdem exempla num. 30.*
31 *Solitariæ vitæ, & Anachoresis motivo?*
32 *Solitarii quando relinquebant solitudinem?*
33 *Inclusi, Anachoretæ, & Solitarii quomodo recipiebant Sacram Eucharistiam?*

34 *Ana-*

34 *Anachoretæ, qui erant in lauris, singulis Dominicis diebus conveniebant ad Ecclesiam Monasterii, & communicabantur.*
35 *Inclusi non religiosi vivebant sub obedientia alicujus Superioris, à quo excipiebant Sacramenta præcipuè tempore mortis.*
36 *Solitarii, & Eremitæ in vastissimis desertis stantes, quomodo reciperent Eucharistiam? tres opiniones.*
37 *Solitarii, & Anachoretæ in primis seculis Ecclesiæ portabant secum Eucharistiæ Sacramentum.*
38 *Eucharistia antiquitus consecrabatur in panibus integris, & grandibus.*
39 *Solitarii tempore mortis visitati à Sanctis Viris.*
40 *S. Antonius Abbas portavit Sacram Eucharistiam S. Paulo primo Eremitæ.*
41 *S. Maria Ægyptiaca communicata à Zosimo Abbate.*
42 *S. Maria Magdalena à quo Sacrum Viaticum acceperit?*
43 *S. Theotistis solitaria in Insula Paro, quomodo Communione refecta?*
44 *S. Ambrosius in morte visitatus, & communicatus ab Honorato Vercellensi Episcopo.*
45 *Angeli Sancti plures administraverunt Sacram Eucharistiam.*
46 *Exempla plurimorum, quibus SS. Angeli præbuerunt Sacram Communionem.*
47 *Solitarii cujuscunque incogniti vix reperiuntur post quintum sæculum.*
48 *Hieronymus à Basilica Petri Sacerdos Congr. Oratorii Neapolis laudatus.*
49 *Pompejus Sarnelius Episcopus Vigiliarum laudatus.*
50 *Epistola Pompei Sarnellii Episcopi Vigiliarum de Communione Anachoretarum.*
51 *Anachoretæ, & Inclusi quomodo adimplebant Præceptum de audienda Missa?*
52 *Eremicolæ antiqui ob bonam fidem excusabantur ab obligatione audiendi Missam.*

## CASUS ADDITIONALIS.

*Satisfaciant Parochi, doctique Confessarii curiositati exquirentium, quomodo Sacram* EUCHARISTIAM *reciperent antiqui Eremitæ, Anachoretæ, Ascetæ, aliique Inclusi in Cellis, in antris, in speluncis, in desertis, vastisque solitudinibus; in quibus toto vitæ tempore inclusi, & incogniti stabant? Et quomodo iidem adimplerent præceptum de audienda Missa festivis diebus?* Append. ad ornatum. *Decis. de Venerab. Euchar. Sacramento.*

PRo curiosi hujus Quæsiti decisione, & resolutione, materiam Eremitarum, Anachoretarum, & Inclusorum altiùs petendo, scire oportet, antiquitùs in Ecclesia fuisse tria genera Inclusorum, alii enim includebantur in Monasteriis, alii extra, sed propè Monasteria, & alii extra, ac longe, immò longissimè à Monasteriis, aliorumque hominum conversatione, de quibus omnibus, omni possibili brevitate, & claritate hic agendum.

1 Inclusorum primum genus erat eorum, qui in Monasteriis includebantur, horum autem erant tres species. Prima detrusorum ob gravia delicta. Secunda reclusorum ob assumptum statum Pœnitentiæ, & Tertia Inclusorum ob majorem perfectionem, & rerum cœlestium contemplationem. Prima itaque species erat eorum, qui detrudebantur in Monasteriis ob gravia delicta commissa, ut pro eis ibidem agerent pœnitentiam, & jejuniis, orationibus, aliisque pœnalibus operationibus impetrarent veniam à Deo pro criminibus patratis, sivè fuissent Laici, sivè Clerici, Sacerdotes, ac etiam Episcopi. *cap. De lapsis. 16. quæst. 6. cap. Sicut ubi gloss. 20. quæst. 1. cap. Si ille dist. 50.* Delicta autem pro Laicis in Monasterio detrudendis debebant esse gravissima, ut habetur de Uxoricida in *cap. Admonere 33. quæst. 2.* Nec non in Clericis, ut de homicidis *cap. Sicut dignum. § Clericos. De homicid.* & de frangentibus sigillum Confessionis *cap. Omnis utriusque sexus, in fin. De Pœnitent. & remiss.* & de Latronibus, & consimilibus excessibus enormibus *cap. Tuæ 6. ubi Abbas De Pœnis;* Præcipuè tamen hæc detrusio imponebatur Ecclesiasticis ob delicta carnis. *cap. Dilectum cap. Si quis Clericus cap. Romanus & cap. Si quis Episcopus dist. 81.* Hodie tamen hæc pœna detrusionis in Mona-

2

3

 sterio

flectio recessit ab aula, & ejus loco pro gravibus delictis successit pœna triremium, ut notat Jul. Clarus § *fin. q. 70. Vers. sunt etiam* Farinac. *in Praxi quæst. 119. numer. 55.* & Thesaur. *de Pænis part. 2. Verb. Confessio 4. sub numer.* 3. pro anis autem excessibus, ac potissimùm pro delictis carnis pœna est arbitraria, ut testantur Canonistæ, ac Criminalistæ. Loter. *de Re benefic. lib. 3. quæst. 33. num. 37. per text. in cap. At si Clerici e in.* Decius *num.* 223. ac alii scribentes *De Judic.* Trivisan. *in Decis. ermin. libr. 2. decis. 59. numer.* 13. & Chartar. *decis. crimin. 82. num.* 32.

Porrò non omnes delinquentes, sivè Clerici, sivè Laici, etsi enormia commisissent delicta, detrudebantur in Monasteriis ad pœnitentiam agendam, sed ut plurimùm eam exercebant in propriis domibus, ita tamen, ut festivis diebus ad Ecclesiam accedentes cognoscerentur ab omnibus publici pœnitentes, & consisterent in gradu sibi per Episcopum præscripto, donec veniam, & absolutionem mererentur obtinere, ut habetur *in cap. In capite Quadragesimæ, dist. 50. cap. De Viro 22. quæst. 2. cap. Iterum 33. quæst. 2. & cap. ult. & ibi Gloss. 26. quæst. 6.* ubi notatur, quod publica, & solemnis pœnitentia nulli injungebatur, nisi crimen esset enorme, ac manifestum. Quatuor autem erant gradus publicè pœnitentium, ut ex Conciliis Ancyrano, & Nicæno, ac ex SS. Patribus colligit Giballin. *in tractatu de Asceti. Inclusis disquis. 3. capit. 2. § 6. numer.* 32. quinque verò secundùm observationem Macri *in Hierolexic. Verb. Hyemantes.* Videlicèt *Flentium, Audientium, Substratorum, Consistentium, & Participantium*, de quibus etiam vulgari idiomate, sed non vulgari eruditione Menochius *in Stromat. centur. 12. cap. 52.* Primus gradus erat *Flentium, seu Hyemantium*, qui manebant sub dio propè Ecclesiam, cilicio induti, humi prostrati, à fidelibus Ecclesiam ingredientibus veniam poscentes cum lacrymis de commissis scandalis. Secundus gradus erat *Audientium*, qui, cum assignato tempore flevissent lacrymantes in primo gradu, admittebantur intra Ecclesiam propè januam, ad audiendum verbum Dei, sed expellebantur tempore consecrationis. Tertius gradus erat *Substratorum*, qui perseverantes in humili pœnitentia vocabantur coram Episcopo celebrante, vel Sacerdote, coram quo prostrati stabant, donec publicas preces, & orationes recitaret super illos ad implorandam misericordiam Divinam, quibus expletis exibant de Ecclesia. Quartus gradus erat *Consistentium*, qui ob diutinam pœnitentiam recepti in Ecclesiam, ibi consistebant cum cæteris fidelibus ad officia Divina, & Sacrificium Missæ, sed ad Sacram Eucharistiam percipiendam non admittebantur. Quintus demùm gradus erat *Participantium*, eorum scilicet, qui obtenta venia, & absolutione, ac reconciliati cum Ecclesia iterum admittebantur ad Communionem Corporis, & Sanguinis Domini, ut latiùs demonstrat Macer *in Hierolex. d. Verb. Hyemantes*, & Giballin. *d. Disquis. 3. cap. 2. § 6. à numer. 29. & sequenti*, ubi observat, quod prædicti publicam Pœnitentiam agentes, ea durante, censebantur affecti tum majori, tum minori excommunicatione, quia privabantur participatione Sacramentorum, orationibus, & consortio fidelium, ac etiam propriarum Uxorum, quod probat ex Tertullian. *libr. de Pudicitia*, ex S. August. *libr. de Fid. & oper. cap. 6.* nec non *ex Epistola 92.* S. Leonis Papæ *cap.* 12. & habetur in *supracit. cap. Admonere 33. quæst. 2.* in quo Stephanus Papa Quintus cuidam Astulpho uxoricidæ præscribit omnia, quæ facere debebat, & à quibus abstineret pro illius criminis pœnitentia. Insuper prædicti publici Pœnitentes sivè essent in Monasterium detrusi, sivè publicam pœnitentiam domi suæ manentes agerent, non poterant ad ordines Ecclesiasticos promoveri, quia erant irregulares ob infamiam, seu ob defectum bonæ famæ resultantem ex notorietate criminis *cap. Maritum. dist. 33. cap. Præcipimus dist. 34. cap. Ex pœnitentibus cap. Quicunque cap. Si ille cap. Non confidat cap. Canones dist. 50. cap. fin. dist. 51. cap. Infames 6. quæst.* 1. Quod advertit Bellettus *Disquis. Cleric. part. 1. de Discipl. Cleric. § 13.* ac Thesaur. *de Pœnis part. 2. cap. 33. Vers. Tertiò Pœnitentia solemnis.* Et multò minus ad beneficia admittebantur

iidem

iidem publici pœnitentes, quinimmò neque eorum descendentes salientes ex linea masculina *cap. Ubicumque*, *ubi Glossa in Verb. Masculinum De Pœnis in 6.* Quod quomodo procedat, declaratur à Rota *part. 2. recentior. decis. 21.* & plenè traditur à Loterio *de Re benefic. lib. 3. quæst. 28. à num. 29.* usque ad finem.

Ex his omnibus colligere debent Parochi, studiosique Confessarii differentiam nostrorum temporum, atque præteritorum circa horrorem culparum, & amorem Pœnitentiæ, quam etiam publicam, & solemnem 10 sibi à Pastoribus animarum impositam amplectebantur peccantes, antequam absolutionem reciperent Sacramentalem, prout (, cæteris omissis de quibus Odoric. Rinald. *in suorum Annal. Indice Verb. Pœnitentia publica*) fecit Theodosius Imperator tempore S. Ambrosii ob cædem Thessalonicam; de qua Theodoretus *lib. 5. cap. 17.* & Card. Baronius *Ann. 390. num. 10.* Item Imperator Philippus tempore S. Fabiani Papæ, de quo Eusebius Cæsarien. *lib. 6. cap. 27. & 29.* & idem Card. Baronius *Ann. 56. num. 22. & Anno 249. num. 3.* His similis Petrus Comes Altisiodorensis, deinde Imperator Constantinopolitanus, de quo Spondan. *tom. 1. Anno 1204. num. 20.* nec non Godefridus Dux Lotharingiæ, cujus exemplarem compunctionem, & pœnitentiam describit antedictus Cardin. Baronius *Ann. 1047. num. 19.* his verbis: *Contigit hoc eodem anno, Hermanno, in Sigeberto scribis, incendium Virdunense, opera Godefridi Lotharingiæ Ducis, desperatione rebellantis, ob sublatum sibi ab Imperatore Ducatum; Cum autem Dei Genitricis templum ibidem exustum fuisset, spontaneæ Pœnitentiæ ipse posteris dignum reliquit exemplum, dum, quod ait Lambertus, publicè se verberari fecit, in capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redemit, suo prorsus ad reædificandam Ecclesiam dedit, & in opere cementario per se ipsum plerumque, vilis mancipii ministerio functus deserviret; donavitque in perpetuum eidem Ecclesiæ quartam partem Comitatus sui Virdunensis.*

Equidem hisce diebus gravia audiuntur crimina, sed nulla videtur Pœnitentia; adeò ut dicere possimus cum S. Augustino *tom. 10. Homil. 49.* loquente de ejusdem Theodosii pœnitentia, *Erubescit plebejus, quod non erubuit Imperator.* Sed de his obiter.

Secunda species eorum, qui detrudebantur in Monasteriis, comprehendit personas, quæ ultrò assumebant statum Pœnitentiæ, & hæ in duplici erant differen- 11 tia, aliæ enim sui juris, & in ætate adulta, seculo renunciantes, habitum Pœnitentiæ induere, & in Monasteriis vitam pœnitentem facere volebant, aliæ verò in puerili ætate per parentes Deo offerebantur, de quibus fusè ait Giballin. *de disput. 3. de Asceteis inclusis cap. 2. §. 3. numer. 16. & §. 7. per totum*, & nos breviter hic.

Statum itaque Pœnitentiæ eligebant tàm viri, quàm fœminæ, tàm Clerici, quàm Laici, ac etiam aliquando Episcopi, de 12 quibus loquitur Innocentius Tertius *in cap. Post translationem De Renunciat.* ubi casus enumerat, in quibus poterant Episcopi eumdem statum Pœnitentiæ deserere, & pristinam reassumere dignitatem. Cæterùm fæculares erant personæ, & in statu laicali constitutæ, quæ ad effugienda mundi pericula, sive respectu corporis, sivè respectu animæ, ut plurimùm confugiebant ad Monasteria, & in illis habitum Pœnitentiæ assumebant, tanquam ad Deum conversæ, undè factum est, ut Religiosi, qui Claustra ingrediuntur, non ut ascendant ad ordines Sacros, sed ut ibi serviant, vocantur Conversi, quales vocabantur prædicti Pœnitentes, ob eo- 13 rum conversionem morum, de qui etiam *in Regula Sancti Benedicti cap. 58. in cap. 60.* & juxta eamdem Moniales Benedictinæ, dum profitentur, *promittere* ajunt *conversionem morum suorum*. Ideòque in Monasteriis erant antiquitùs duo genera hominum, *Nutriti*, & *Conversi*. Illi erant, qui à puerili ætate, lacte religionis educati, perpetua vitæ innocentia erant spectabiles: isti verò, qui è medio cursu mundanorum honorum, & fæcularium negotiorum, ætate, usu, & prudentia maturi, ad vitam Monasticam transibant, & quia hi ob experientiam rerum temporalium fæpè præficiebantur

rebus œconomicis, & duriùs agebant cum Nutritis, oriebantur jurgia inter utrosque, ex traditis per S. Anselm. *libr. de Similitud. cap. 78.* Petrum Venerabilem *in Statuta Cluniacen. cap. 66. &* Hugonem Victor *lib. 4. de Claustro animæ cap. 43.*

Servabantur autem solemnes ritus in habitu Pœnitentiæ prædictis Conversis tra- 14 dendo; siquidem Episcopus eos induebat cilicio, comam attondebat, humili veste cooperiebat, lustrali aqua aspergebat, statas preces cum manuum impositione recitabat, opera pœnitentiæ, jejunia, humicubationes, & aliàs corporis afflictiones injungebat, de quibus sparsim loquuntur varia Concilia Synodalia, collecta per eumdem Gibalin. *d. Disquis. 3. cap. 2. §. 8.* ubi *numer. 53.* subdit: *Non dubitarim tamen, aliquos in domibus privatis pœnitentiam professos fuisse eadem ratione, qua & Virgines, & Viduæ, atque Sanctimoniales vitam religiosam domi suæ extra Monasteria instituebant:* quod multi faciebant in senectute, & morte adventante, ne absque pœnitentia ex hac vita discederent, juxta illud, quod canit Ecclesia *fer. 4.Ciner. Immutemur habitu in cinere, & cilicio, jejunemus, & ploremus ante Dominum. Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus; ne subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus.* Et quoniam præ- 15 dicti pœnitentes sivè in Monasteriis, sivè in propriis domibus induti habitu pœnitentiæ, & cilicio, cum eodem sepeliebantur, hinc pius mos emanavit cadavera defunctorum vestiendi aspera Capuccinorum, seu Patrum Reformatorum tunica, aut Monialium S. Claræ, qui apud nos non rarò servatur.

Impuberes etiam, ac pueri, qui à parentibus Deo oblati, recepti erant in Monasteriis, ibidem debebant permanere, & vitam pœnitentem, ac religiosam assumere, ut habetur *20. quæst. 1. capit.* 16 *Addidistis, cap. Monachum, & cap. Quicunque*, ubi sic disponitur: *Quicunque à parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, noverit, se ibi perpetuò permansurum: nam Anna Samuelem puerum natum, & ablactatum Deo cum pietate obtulit; qui & in Ministerio templi, quo à Matre fuerat deputatus permansit, & ubi constitutus est, deservivit.* Quod confirmavit Concilium Triburiense, relatum *ead. 20. quæst. 1. cap. Quem progenitores* his verbis: *Quem progenitores ad Monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cæpit cantare, & legere, uxorem ducere, nec Monasterium deserere poterit: sed si discesserit, reducatur; si Tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur.*

Porrò hæ conciliares, ac canonicæ dispositiones intelligendæ sunt de filiis, qui cum ad annos discretionis pervenerint, ratam habuerint oblationem, de se Religioni per parentes factam, cui si noluerint consentire, poterant liberè discedere, ut fuit decisum per Sanctum 17 Marcellum Papam *in cap. Illud autem d. 20. quæst. 2.* sic scribentem: *Illud autem statuendum esse censemus, ut si in minori ætate filii Monasterio oblati fuerint, & sacram Tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, ut decimoquinto anno à Prælatis suis inquirartur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non? Si verò permanere professi fuerint, ulteriùs pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Sin autem ad sæcularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur.* Quod fuit confirmatum à Cœlestino Papa III. *in cap. Cum simus 14. De Regularib.* ubi requisitus, quid agendum de puero Religioni oblato per ejus Patrem? respondit: *Discretioni tuæ taliter respondemus, quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum noluerit retinere Monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tùnc liberum sibi erit, eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.* Hinc jure optimo, ad tollendos abusus, qui ex hac oblatione filiorum resultabant, statutum fuit à Sacro Tridentino Concilio *sess. 25. de Regular. cap. 15.* quod: *In quacunque Religione tàm virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante* 18 *decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum*

*ptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Quæ quidem ætas annorum sexdecim completorum ad profitendum in Religione adeò necessaria est, ut si unus solus dies deficiat, professio sit invalida. Eminentiss. Cardin. de Luca *in Annot. ad S. Concil. Trident. discurs. 39. numer. 3.* Excipiuntur tamen ab hoc de-

19 creto Moniales Convertitæ, quæ profiteri possunt etiam ante expletum annum noviciatus, & nondum completo anno decimosexto ætatis suæ. Barbos. ad Concil. Trident. *d. sess. 25. cap. 15. numer. 35. & in Summa Apostol. Decis. collect. 230. num. 2.* Antonell. *de Regim. mult. Eccl. libr. 7. cap. 9. num. 9.* & Nicol. *in Flosful. Verb. Convertitæ numer. 10.* Quod etsi de Jure procedat, in facto tamen expedit, ut Convertita faciat annum probationis, & experiatur statum illum religiosum, ne contingat post professionem, eam pœnitere, & totam vitam inquietam ducere. An au-

20 tem expediat, offerre filios impuberes Religioni, & eos Monasteriis tradere in pupillari ætate? disputant Canonistæ, ac Theologi, quos cumulat Sanchez *in Decal. libr. 4. cap. 18. à numer. 8. & seqq.* & Giballin. *d. Disquis. 3. de Ascetis Inclusis cap. 2. §. 3. à numer. 16. & seqq.* quem adire non pigeat studiosos, cum hæc satis esse debeant circa secundam speciem inclusorum in Monasteriis pœnitentiæ, ac religionis amore.

Tertia species erat illorum, qui Monasticam vitam amplexi, & in ea diù versati; desiderio contemplationis, & altioris perfectionis à superiore Monasterii licentiam impetrabant, se claudendi in cellulis, ubi omninò separati à conversatione hominum, cœlestia meditantes soli Deo uniti manerent, & hi vocabantur Anachoretæ ab *Ana*, quod signi-

21 ficat *Sursum*, ut notat Felin. *in cap. 2. numer. 7. De except. Et Choreusis* quod interpretatur *Canticum* ut ait Laurent. *in Amalth. Onomast. d. Verb.* quasi cantantes Deo laudem in excelsis, elevati mente, & spiritu supra alios Monacos, & religiosos, unde scribit Isidor. *libr. 2. de Ecclesiast. Offic. cap. 15. Genus est Anachoretarum, qui jam Cœnobiali conversatione perfecti includunt semetipsos in cellis, procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione divina viventes.* Quamvis Justinianus Imperator vocet Anachoretas quasi *discedentes, & quiescentes* dum de Monachis Cœnobiarchis loquutus, verba facit etiam de Anachoretis *in Authent. De Monachis collat. 1. tit. 5. §. Cogitandum*, dicens: *Nisi tamen quidem eorum in contemplatione, & perfectione degentes, vitam remotam habeant in hospitio (quos vocare Anachoretas, idest discedentes, & hesycastas, idest quiescentes, consueverunt tamquam à communione ad melius exceptos)* Ulteriùs prædicti inclusi dicebantur etiam Lauritæ, à *Laura*, quæ licet significet Conventum, ac Monasterium, ut demonstrat Macer *in Hierolex. Verb. Laura*, Giballin. *d. Disquisit. 3. cap. 3. §. 1.* & Menochius *in Storeis part. 4. Centur. 8. cap. 54.* propriè tamen importat

22 cellulas separatas, in eodem Monasterio constructas, in quibus Religiosi eminentioris virtutis se includebant, ut magis orationi, ac pœnitentiæ vacarent; quare de his ita ibidem loquitur Menochius: *Quanto tocca al modo di vivere di questi, che habitavano nelle Laure, l'habbiamo assai chiaramente spiegato nella vita di S. Eutimio Abbate, riferita dal Bollando à 20. di Gennaro, dove nel cap. 15. si dice, che S. Gerasimo fondò la sua Laura vicino al fiume Giordano, nella quale habitavano settanta Monaci, & in mezzo di essa edificò il Monasterio, nel quale dal principio della loro conversione stavano quelli, che si facevano religiosi, facendo vita commune, dal numero poi de quali il Santo Abbate sceglieva alcuni, che nella virtù si erano maggiormente approfittati, e concedeva loro, che lasciato il Monasterio, si riducessero alle celle solitarie della Laura, per far vita più ritirata, & attendere più di proposito à gli spirituali esercizi dell'oratione, lezione, e contemplatione. Il vitto loro nelle celle non era altro, che pane, & acqua, e dattili, & in esse non mangiavano mai cosa cotta.* Horum Anachoretarum, Cel-

lioa-

lotarumvè, & Laurarum nonnulla exempla ex SS Patribus antiquis deprompta recensentur à Giballino *d. Disquisit. 3 cap. 3 § 1.* quibus addi possunt sequentia per me decerpta tum ex Vitis Patrum Occidentis, ac Orientis *per Benedictum Gonomam Monachum Cœlestinum* collectis, tum ex Ephemeridibus Sacris *Hieronymi à Basilica Petri Sacerdotis Congregationis Oratorii Neapoli*, videlicet S. Moncanus

23 Monachus inclusus in Civitate Rhemensi in Gallia, qui prophetizavit nasciturum S. Remigium Episcopum, *ex libr. 2. cap. 10 Histor. Rhem.* S. Desideratus Presbyter inclusus in Monasterio Gondomensi, Diœcesis Cabilonensis, qui relatus fuit inter Sanctos à Joanne Papa VIII. S. Severinus, qui apud Lutetiam Parisiorum Monasticam vitam amplexus, ut multò faciliùs, ac liberiùs Divinis vacaret obsequiis, & rerum cœlestium contemplationi, cella ita se conclusit, ut omnium hominum convictum, & conspectum vitaret, ut habetur *in Breviario Eccles. Parisiens. die 24. Novembr.* S. Maxentius Monachus Pictaviensis inclusus, tempore Regis Clodovei anno 506. S. Barsanuphius Ægyptius inclusus in Monasterio propè Gazam, quem cum Episcopus voluisset videre, & jussisset rumpi murum cellæ, ignis exivit, à quo territi sunt demolitores, ut refert etiam Cardin. Baronius *Ann. 548. numer. 24.* S. Hospitius in Gallia pariter inclusus, vir magnæ pœnitentiæ anno 570. *ex Histor. Franc. libr. 6. cap. 6. D. Gregor. Turonensis.* S. Findanus, genere Scotus, Monachus in Alemania qui inclusus per annos 22. vixit in austera pœnitentia, & obiit anno 800. clarus miraculis. S. Amnichadus Scotus, Monachus Fuldensis, qui Deo servivit inclusus, Anno Domini 1043. post cujus mortem, in eadem cella Anachoresim duxit S. Marianus Scotus Monachus Benedictinus, qui chronicon scripsit à creatione mundi usque ad sua tempora, obiit anno Domini 1086. & refertur inter scriptores Ecclesiasticos à Cardin. Bellarmino *Anno* 1083. S. Juetta Sanctimonialis, quæ fuit magistra S. Hildegardis, & inclusa ob amorem contemplationis migravit ad Dominum anno 1136. B. Michael Monachus Camaldulensis inclusus in Eremo Camaldulen. annis 15. inventor Coronæ Domini, quæ recitatur per 33. Pater, & quinque Ave, & pluribus est decorata Indulgentiis, obiit anno Domini 1522. Hi omnes apud *d. Benedictum Gonomum in Vitis PP. Occiden.* Ac ex *Hieronym. à Basilica Petri die 10. Aprilis* S. Paternus Scotus, de quo S. Petrus Damianus scribit, fuisse Monachum Benedictinum in Civitate Padebuina, aliàs Tendeno, qui inclusus in cella revelationem à Deo habuit, de futuro incendio per totam Civitatem ob criminum immanitatem, fecitque prædicare pœnitentiam, sed absque fructu, ideò anno 1058. die Veneris ante Dominicam Palmarum ignis Divinæ ultrix Justitiæ Urbem exarsit, ac totum Monasterium, ejusque cellam, à qua noluit exire, ut cum aliis, & pro aliis pœnam incendii sufferret. Si quis alia Inclusorum Monachorum exempla desiderat, ea facile inveniet in Vitis Sanctorum, & præcipuè Monachorum Carthusianorum, & Eremitarum Camaldulensium.

Sed hic non inelegans succedit quæstio, an vita Anachoretica sit perfectior Cœnobitica? Pro favore Anachoreticæ vitæ facit ratio; quia diximus, cum Monachi

24 piè conversati essent in Monasterio longo tempore, de superiorum licentia ad Anachoresim, & inclusionem in cellis transibant, desiderio majoris sanctitatis. Ergo vita Anachoretica est sanctior, & perfectior, quàm sit Cœnobitica. E contra hanc non esse inferioris sanctitatis ex eo demonstratur, quod Christus Dominus jussit Divo Petro in signum præcipui amoris, ut oves suas pasceret. Etiam ex eremo Spiritus Sanctus ad turbas edocendas, vocavit, sanctumque Joannem Baptistam ad prædicandam Pœnitentiam, & Jonam, qui hoc officium detrectabat, nonfrustrò punivit. Pro utraque opinione plurium SS. Patrum argumenta, & encomia cumulat Giballin. *d. Disquisit. 3. De Ascens. Inclusis cap. 1. § 6.* & de excellentia utriusque vitæ disserit S. Thom. *2. 2. qu. 188. art. 8.* Cæterùm dirimitur

contro-

controversia ope distinctionis. Vel enim vita Anachoretica consideratur in se, & quia supponit sufficientiam omnium virtutum in Anachoreta, est perfectior altera. Aut consideratur in homine, quatenùs tendit ad perfectionem, & vita Cœnobitica est perfectior, quia est securior, & utilior, tum ad illuminationem intellectus, tum ad exercitium virtutum, quæ per præcepta superiorum, & per exempla æqualium magis, ac magis acquiruntur. Hinc illud: *Melius est duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Eccl. 4. 9. & hæc omnia dicta sint de primo genere Inclusorum in Monasteriis sive ob publicam impositam Pœnitentiam, sive ob statum Pœnitentiæ ultrò assumptum ab adultis abrenunciantibus sæculo, aut ab impuberibus per parentes oblatis, sive per Monachos diù in Cœnobio versatos, & ad Anachoresim strictiorem, per inclusionem in Lauris, cellulisve, ob amorem altioris contemplationis transeuntes.

Secundum genus Inclusorum erat illorum, qui extra Monasteria, sed non longè ab illis, eligebant sibi locum ad habi-25 tandum, in quo clausi per totam vitam permanebant. Horum duo erant ordines. Unus plurium Monachorum ejusdem Cœnobii, qui ad beneplacitum superioris egrediebantur ad Lauras, idest ad Cellas non multùm distantes, ut ibi orationi, & contemplationi impensiùs vacarent. Alter aliquorum piorum hominum, qui post longas peregrinationes, à Deo inspirati secessum propè aliquam Basilicam, vel religiosam domum eligebant, & ibi sub obedientia Episcopi, aut alterius superioris Ecclesiastici vivebant inclusi. De primis fusè loquitur Giballin. *d. Disquisit. 3. cap. 3.* § 2. testimonia plura adducens antiquorum Scriptorum, inter quos Palladius Galata *cap. 69.* ait de illis. *Degunt in mutua quiete unusquisque per se inclusus, itaut non nisi in Ecclesiis, & in Synaxi se videant*, ad eam enim accedebant omnes die Dominico, ut testatur *Ruffinus Presbyter*, (qui vivebat anno Domini 300. teste Cardin. Bellarmin. *de Scriptor. Eccl.*) in sua Historia *cap. 22. Singuli per cellulas commanent, silentium ingens, & quies magna inter eos. Die tantùm Sabbati, & Dominico in unum ad Ecclesiam coeunt, & ibi semetipsos invicem tamquam cælo redditos vident.* Subdit autem Giballin. *d.* § 2. *numer. 11.* de iisdem inclusis: *Nunquam porrò alterius cellam invisunt, nisi duplici ex causa, prima est ægri visitandi, & sublevandi; ubi enim aliquem à conventu, & Synaxi abesse vident, illum inæqualitate aliqua corporis detentum suspicantur, & ipsum omnes visitant, non tamen simul, sed suis singuli temporibus, & quæ levando ægro faciunt, conferunt. Altera causa est, ut illos verbo instruerent, & velut athletas in agone positos sermonis consolatione perurgere possent.* Prosequitur postea numer. 17. narrare vitam asperam, & duram quam prædicti Monachi inclusi degebant in cellis, quibus non erat secundus 26 amictus, sed stratum staurea, ac vestis centaunium, atque embrymnium, idest grossiores papyri in longos, gracilesque fasciculos coaptatas ad sedendum, & dormiendum, quas Monachos decebat habere, ut constat ex *Cassiano collat. 1. cap. 23.* Talis erat primus ordo Inclusorum degentium penès Monasteria.

Alter ordo erat aliorum, qui vel ad servandam vitæ innocentiam, sic à Deo inspirati, non longè ab Ecclesiis, vel Monasteriis se includebant in aliquo Eremitorio, seu parva domuncula sub regimine, & obedientia alicujus Patris spiritualis, vel qui post multas peregrinationes, & discri-27 mina mundi, eamdem inclusionem eligebant, ad pœnitentiam agendam, & hi propriè dicebantur Eremitæ. De primis exemplum habemus in S. Nilammone incluso in parva casa penès Oppidum Geras, qui electus Episcopus, recusans ob humilitatem Pastorale fastigium, mortem à Deo orans petiit, & obiniuit, ut ex Nicephor. *Histor. lib. 13. cap. 17.* Cardin. Baronius *anno 403. numer. 32.* & Gonon *in Vitis PP. Orientis pag. 84.* Item in S. Martiniano Eremita, cujus vitam transcribit *P. Petr. Ribadeneira in Extravag. die 14.*

*die 14. Februar.* Item in B. Raineno tempore Innocentii Papæ III. incluso sub obedientia Episcopi Osnaburgen. in Vestphalia, de quo *Hier. à Basilica Petri in Ephemer. Sacr. die 11. Aprilis.* Item in S. Lupicino, de quo ex S. Gregorio Turonensi Gonon. *in Vitis PP. Occiden. pag.* 62. Item in B. Joanne Presbytero incluso, de quo ex eod. S. Greg. idem Gonon *pag.* 447. Item in S. Eparchio pariter incluso in Aquitania prope Urbem Engolismam per annos quadraginta, qui migravit in Cœlum anno 583. ut scribit idem Gonon *pag.* 428. De Sanctis Fœminis autem plura, & quidem mirabilia inclusionis exempla Lector curiosus poterit haurire ex prædictis *Ephemeridib. sacris Hieron. à Basilica Petri*, &

28 præcipuè in Vitis ibi per eum exaratis B. Ivettæ 12. *Januar.* B. Azeke 26. *Januar.* S. Dominnæ 14. *Februarii.* B. Gemmæ 13. *Maii* & S. Paulinæ inclusæ, de qua antedictus Gononus *in Vitis PP. Occident. pag.* 120. & S. Wiboradæ *pag.* 448. De secundis autem conferunt testimonium Vitæ B. Moysis Anacoretæ viri magnæ pœnitentiæ, de quo Ribadeneir *in Extravag. die 28. August.* & S. Drogonis nati in hoc mundo absque Patre, & absque Matre, quia fuit filius posthumus, ejusque mater obiit in partu, & ipse extratus fuit ex latere ejus, cujus mirabilem vitam narrat idem *Hieron. à Basilica Petri die 16. Aprilis.* Alia exempla inclusorum tàm Virorum, quàm mulierum refert Raderus 3. *part. Viridar. cap.* 5. & Giballin. *de Ascetis Inclusis d. Disquisit.* 3. *cap.* 4. §. 2. ad quos Lector recurrat.

Tertium tandem genus Inclusorum eorum est, qui secedebant extra, ac longè, immò longissimè à Monasteriis, alio-

29 rumque hominum conversatione, idest in desertis, & vastissimis solitudinibus, in quibus repetientes antra, speluncas, aut monumenta, in eis se includebant. Et hi propriè vocabantur Solitarii. Horum primus fuit S. Paulus, ideò nuncupatus primus Eremita, qui anno Domini 253. cum esset viginti trium annorum transivit in Eremum, in quo annis nonaginta solitarius Deo servivit, nutritus medietate panis unius, quem Corvus ei afferebat usque ad annum Domini 343. in quo Dei jussu visitatus à S. Antonio Abbate, (qui pariter anno 268. in sepulchro sibi domicilium elegerat, & anno 285. in desertum, relicta patria, secesserat) migravit ad Dominum, ut ad dd. annos refert Eminen. Cardin. Baronius, quorum sanctorum Eremitarum exempla secuti jugiter fuerunt plurimi servi Dei, de quibus sic testatur S. Hieronymus *in Vita S. Pauli cap.* 5. his verbis *Jesum testor, & Sanctos Angelos ejus, in ea Eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidisse me Monachos, de quibus unus triginta jam per annos clausus, ordeaceo pane, & lutulenta aqua vivit, alter in cisterna veteri, quam Gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis* (idest ficubus aridis) *per singulos dies sustentabatur.* Lustravit autem S. Hieronymus ea deserta Syriæ anno Domini 378. Et de hujusmodi Anachoretis inclusis in desertis, ac montibus inacessis fusè scripsit Theodoretus in suo Philotheo, relatus inter Scriptores Ecclesiasticos ab Eminen. Cardin. Bellarmin. *anno* 430. Et prædictis proximus fuit S. Onuphrius, de quo Martyrol. Roman. 12. Junii sic ait: *In Ægypto S. Onuphrii Anachoretæ, qui in vasta Eremo sexaginta annis vitam religiosè peregit, & magnis virtutibus, ac meritis clarus migravit in cœlum, cujus insigna gesta Paphnutius Abbas conscripsit.* Paphnutii hujus Abbatis iter per desertum, in quo alios Anachoretas à multo tempore inclusos reperit, narrat in ejusdem S. Onuphrii vita P. Alexius Segala in *Catena aurea pag.* 369.

30 Plures pariter Anachoretæ solitarii commendantur in Martyrologio Romano, inter quos SS. Gerasimus *die 5. Martii* Zozymus *die 4. Aprilis.* de quo Justinianus Imper. *in cit. Authent. de Monachis collat.* 1. *tit.* 5. § *Sancimus.* ita loquitur. Zosymos *Deo amabilis, Vir famosissimus in conversatione, & prope vicesimum, & centesimum ætatis agens annum pollens autem & animi virtutibus, & corporis operationibus, tanta quædam in eo gratia Dei floret.* Item Barsanuphius *die 11. Aprilis.* Bessarion *die 17. Junii*, quibus addenda mulier insignis pœnitentiæ S. Maria Ægyptia-

Ægyptiaca, quæ annos quadraginta septem in Eremo consumpsit, neminem videns, ut legitur in ejus vita apud Ribadeneiram *in Extrav. die 21 Aprilis* & apud Vorag. *pag.* 43

Porro non in Oriente tantùm Anachoretæ fuerunt in solitudinibus commorantes, sed etiam in Occidente, ut probat Giballin. *d. Disq* 3 *cap.* 4. § 1 ubi ex Sulpitio Sever. *Dial.* 2. refert S Martinum, qui obiit anno 402., valuisse visitare Virginem quamdam in desertis Galliæ inclusam, à qua fuit omninò repulsus, summa ejus ædificatione, & S Eucherium Senatorio genere nobilem, diù in agro suo super fluvium Durantiam intra septa speluncæ conclusum latuisse, donec divino monitu quæsitus, effracto muro speluncæ vi abductus consecratus fuit Episcopus Lugdunensis anno 435 Et de aliis pluribus inclusis in Anachoresi scripsit S Gregorius Turonensis tum *in Hist. Franc.* tum in *libr. de Vitis Patrum*, & tamen ipse obiit anno 596 Idemque in reliquo Occidente narrat Author Opusculi *de Vita Eremitica ad Sororem* inter opera S Augustini His jungere liceat vitam S Hervæi Eremitæ, cujus Mater, defuncto Rientio marito, se liberam sentiens, relictis omnibus facultatibus, ad desertum evolavit, ubi pluribus annis Deo servivit, Ulphredo viro optimo de ea tantùm notitiam habente, qui tandem ad illam conduxit Hervæum factum adultum; cujus exemplo inflammatus secessit, & ipse in horridum quoddam desertum juxta Laxenam fluvium, ut in Vitis SS Patrum Occidentis narrat cit. Benedict. Gononus Monach Cœlestin. *lib* 2. *pag.* 115 apud quem *in part.* 2. *Insign. Eremit. Orientis pag.* 72 legitur etiam mirabilis Vita Virginis Theoctistes, quæ vitam Anachoreticam triginta quinque annos duxit in Insula Paro, lupinis, & herbis nutrita, quibusvis personis incognita, donec appropinquante morte, Deo ita disponente, fuit à Venatore quodam reperta; ut infra referam circa ejus Communionem

Hujusmodi autem Anachoresis, & totalis solitudinis multa motiva colligit Giballin. *cit. Disquis.* 3 *cap.* 4. §. 3 quorum præcipua erant timor persequutionum, quarum declinandarum causa in primis Ecclesiæ sæculis fideles ad deserta confugiebant, ut legitur in vita Sancti Pauli primi Eremitæ, & S Antonii Abbatis Item amor servandæ castitatis præsertim in Virginibus, quarum plurimas in antris, & specubus inclusas ad evitanda connubia narrat idem Giballin *d. cap.* 4 §. 3 *num* 8 inter quas Agnes Virgo Hispana, quæ Valentiæ concionibus S Vincentii Ferrerii ad amorem castitatis accensa, ne Sponso traderetur virili habitu profugit, atque in specu juxtà Monasterium Carthusiense, quod Portam Cœli appellant, viginti annos sanctissimè vixit, soli Deo, & cœlalibus nota, variis post mortem illustrata prodigiis Item compunctio cordis, & desiderium agendi pœnitentiam pro peccatis commissis, & de hoc motivo innumera sunt Sanctorum exempla, quorum lepidum quidem illud, quod scribit Raderus 3 *part Viridar. cap.* 5 § 9 de duobus histrionibus, quorum unus, ut facinorum suorum pœnitentiam lueret, in cavernam medio in nemore se recepit, à qua post aliquod tempus collusor suus suadebat exire, at ipse salutem animæ dicti sui collusoris satagens, nec valens eum inducere ad pœnitentiam exivit è caverna, fingens ad mundum reverti, sed paulò post simulans reliquisse in caverna crumenam pecuniis plenam socium collusorem in eamdem per funem dimisit, & statim os cavernæ claudens, velis, nolis ait, age & tu pœnitentiam culparum tuarum, quam Deo inspirante, tandem fuit amplexus Amor denique solitudinis, & contemplationis rerum cælestium alios sanctos viros ad Anachoresim adigebat, & ut mundi illecebras fugerent, seque dignos æternæ salvationis redderent, siquidem ut ait S. Ambros. *de Fuga sæculi cap* 5 *Quis inter tot passiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus sæculi, tutum, atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis evertit audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit. os libavit, &*

*crimen reddidit: tactus contigit, & ignem adolevit*

Illud tamen non est omittendum, plurimos Anachoretas reliquisse solitudinem ob majorem Dei gloriam, & proximorum auxilium, vel ad fidem defendendam con-

32 tra hæreticos, vel ut monita salutis peccatoribus darent, vel ut obedientiam erga superiores suos, & præcipuè Ecclesiarum Episcopos probatam facerent, quamvis aliquando ex humilitatis impulsu resistebant, dum ex spelæis, & inclusoriis suis evocabantur, ut promoverentur ad ordines, aut ad Ecclesiasticas dignitates, ut de S Nilamone, & de S Eucherio diximus supra, & observat Giballin *d Disquis 3 cap 4 § 6 num. 28*

His ita constitutis pro Intelligentia quæstionis propositæ, nunc deveniendum est ad ejus decisionem, & decla-

33 randum quomodo prædicti inclusi, & Anachoretæ reciperent Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quod quidem faciliè enucleabunt sequentens conclusiones

Prima conclusio Inclusis in cellis existentibus intra septa Monasteriorum absque dubio porrigebatur Sacra Synaxis à Sacerdotibus ejusdem Monasterii de mandato Superioris, sub cujus obedientia vivebant in omnibus, & præcipuè in Sacramentorum participatione, quamvis essent Sacerdotii ordine insigniti Hinc in Regula Sancti Benedicti *ad cap 60. De Sacerdotibus, qui voluerint in Monasterio habitare* ita declaratum est à Congregatione Casinensi *num 3 Prohibemus etiam præfatis Sacerdotibus celebrationem Missarum per aliquod tempus arbitrio Abbatis, ut ex hoc eorum humilitas comprobetur, & tunc ipsi communicent cum clericis*

Secunda conclusio Anachoretæ, qui solitariam vitam faciebant in Lauris, idest in cellulis non longè à Monasteriis ædifica-

34 tis, conveniebant ad Ecclesiam diebus Dominicis, in qua simul Divinum officium recitabant; deindè spirituales hortationes audiebant, simulque de virtutibus christianis agebant, deindè Missa celebrabatur, in qua omnes Communionem Sacram recipiebant Hoc ex S Cyrillo, Ruffino, & Palladio probat Giballinus *de Asceris d Disquis 3 cap 3 § 2* & de his nulla extat dubitandi ratio, vivebant enim omnes sub obedientia Superioris Monasterii, quamvis extra illud commorarentur in desertis locis, & ab ejus nutu pendebant, præsertim circa sumptionem Corporis, & Sanguinis Domini; & ideò in Vita S. Moysis Anachoretæ refert Ribadeneira *in Extravag 28 August* eidem à S Isidoro Abbate post superatas plures diaboli tentationes fuisse concessum, ut Communionem Sacram frequentaret

Tertia conlusio Inclusi extra, sed propè Monasteria, seu Ecclesias, qui vitam Monasticam non erant professi, neque votis Religioni adscripti, vivebant tamen sub obedientia vel Episcopi, vel alterius 35 Patris spiritualis per Episcopum ei assignati, & ab illo regebantur quo ad animam, & per consequens circa frequentiam Sacramentorum, quæ illis dabantur ad ejus præscriptum per fenestellam Tempore autem mortis non deerat, qui omnia Sacramenta, aperto cellæ ostio, ministraret incluso, ut legitur De S Ivetta die 13 Januarii apud *Heron à Basilica Petri in Ephemer. Sacris, ubi numer* 32. De Abbate Joanne ita scribit. *Questo Venerabile Abbate, intesa la infermità d'Ivetta fece rompere il muro, che impediva l'ingresso nelle celle, entrò dentro, la visitò al suo povero letto, udì la di lei confessione, &c* Idem habetur in vita S Paulinæ Inclusæ, quam ex Trithemio Abbate transcribens Gononus *in Vitis PP. Occiden. pag.* 120. ita ait de illa *Demum prænoscens suum obitum, graviter ægrotare cœpit Aderant autem huic ægrotanti Wernerus filius ejus, Monachus Monasterii Hirsaug Gerungus Abbas primus cellæ hujus Sanctæ Matronæ, etiam Monachus dicti Monasterii, cum cæteris fratribus multis. Qui celebratis Missarum solemniis in loco, ubi ægrotabat, atque Sacrosanctum EUCHARISTIÆ præbentes Sacramentum, ejus transitum Domino commendarunt*

Quarta conclusio Tota difficultas restringitur ad illos Anachoretas, qui vastissimas

simas solitudines meantes, & ignota nemora, ac secretas sylvas adeuntes, ibi toto spatio vitæ suæ herbis, & aqua victitantes incogniti omninò vivebant, de quibus S. Hieronymus, Theodoretus, Palladius, ac alii Scriptores antiqui, quos recenset Giballin. *d. Disquisit. 3. cap. 4. §. 1. & 2.* Circa illos dico tria. Unum, quod eorum plurimi secum sacram Eucharistiam deferebant, & devotè conservabant. Alterum, quod appropinquante eorum obitu, mittebantur à Deo alii Sancti homines, Eucharistiam secum habentes, quam morti proximis ministrabant. Tertium, quod Angeli plerumque hoc Sacrum Ministerium explebant.

Circa primum dictum; credibile est, quod in primitiva Ecclesia illi, qui ad declinandas persecutiones, vel amore solitudinis ad deserta transibant, portarent secum divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut dixi supra *decis. 19. num. 5. & decis. 29. num. 4.* & testatur Cardin. Baron. *in Notis ad Martyrol. Roman. 15. Augusti Verbo Sacramenta portantem* sic scribens: *Non est, quod mireris, cum audis Acolythum Christi Corporis Sacramenta portantem: olim etenim ingruentibus in Christianos persecutionibus, laicis etiam domum ferre Eucharistiam, certis diebus sumendam (quod non esset liberum, cum vellent ad Ecclesiam convenire, ac Synaxim celebrare) permissum erat. Id habes ex Tertullian. lib. 1. ad Uxor. Cypriano libr. de lapsis. Clem. Alex. libr. 1. Stromat. atque aliis. Quod autem magis mireris illud est; quod reddita pace Ecclesiæ, sub Christianis, atque orthodoxis Imperatoribus idem usus diuturnus aliquandiù permansit. Habes de his complura exempla, ut ex Gregor. Nazianz. oratione in Laudem Gorgoniæ. Hieronym. Apolog. pro libris adversus Jovinianum ad Pammachium, cum ait, quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Ambros. in oratione in funere fratris Satyri. & ante hos S. Basilius eadem scribit ad Cæsaream Patriciam de perceptione Sacramentorum his verbis: Tempore persecutionis cogi quempiam, absente Sacerdote, aut ministro communionem sua manu sumere, minimè absurdum esse, super vacuum est ostendere: cum ejus rei etiam longa consuetudo rebus ipsis fidem faciat. Nam omnes, qui per solitudines,* (notentur hæc verba S. Basilii) *Monasticam vitam agunt, ubi non adest Sacerdos, cum domi Communionem habeant, per se ipsos accipiunt.* Et prosequitur Cardin. Baronius ostendere, hunc usum durasse in Ecclesia Occidentali usque ad tempus Sancti Hormisdæ Papæ, qui obiit anno 523. In Orientali autem diutiùs viguisse. Igitur cum per ea sæcula mos esset conservare Eucharistiam non in tenuioribus particulis, ut fit modò, sed in panibus integris, & grandibus, prout probavimus supra *decis. 14. num. 8. & decis. 56. numer. 1.* deducitur ex hoc, Anachoretas ituros ad deserta priùs panem consecratum secum assumere, tenere, & de eo juxta suam devotionem comedere solitos fuisse per longum tempus; quod admittit Macer *in Hierolex. Verb. Viaticum col. 4.*

Circa secundum dictum, quod tempore mortis Sanctorum Eremitarum, & Inclusorum in desertis, pii, religiosique homines, eos Spiritu Sancto movente, ac dirigente, accederent ad eosdem visitandos, & juvandos, illisque sacram Eucharistiam portarent, probari potest exemplo Sancti Pauli Primi Eremitæ, qui cum in Eremi spelunca vixisset *usque ad centesimum, & decimum tertium annum, eo tempore ab Antonio nonagenario Dei admonitu invisitur*, ut habetur in *Breviar. Roman. lect. 4.* Nec non Sancti Felicis Nolani Presbyteri Nolani, qui *è carcere ab Angelo nocte adductus, quærere jussus est Maximinum Nolæ Episcopum, qui cum senio confectus desperaret, se ferre posse supplicia persequentium, se abdiderat in sylvam*; ut legitur *in eod. Brev. Roman. 14. Januar.* Quod autem S. Antonius Abbas portaverit sacram Eucharistiam Divo Eremitæ Paulo, & S. Felix Maximiano Episcopo, persuasum esse debet ex motivo, propter quod cœlitùs movebantur ad eos morituros juvandum, opus enim erat eis Sacro Viatico, quod ipsi secum habere solebant illis temporibus. Ulteriùs frequenter legitur, quod in prædictis visitationibus habebantur Gratiarum actiones, ut in *Vitis SS. & in lect. 5. Brevia-*

*rii de S. Paulo primo Erem.* At appellatione *Gratiarum actionis* venit Eucharistia, ut dictum est supra *decis. 1. num. 5.* & ex Epist. S. Ignatii Martyris ad Ephesios probat Ciampinus *de Azymo cap. 7. numer. 6. Vers. Hic vitat.* Et doctè tangit infra in sua Epistola *Illustrissimus Sarnelius Episcopus Vigiliarum.* His addendum exemplum Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, de qua supra numer. 30. ad quam divino instinctu cum pervenisset S. Zosymus Abbas, sic ab eadem fuit exoratus. *Obsecro te, ut in die Dominicæ Cœnæ ad Jordanem redeas, & Corpus Dominicum secum feras. Ego inidem tibi occuram, & de manu tua Corpus Sacrum suscipiam; nam à die, qua huc veni, Communionem Domini non accepi.* Illam igitur anno sequenti Abbas Zosymus communicavit, ut prosequitur narrando Jacob. Vorag. Archiepisc. Januen. in ejus Vita. Et Jo. Bonifacius Bagatta *de Admirandis orbis Christiani tom. 1. lib. 2. cap. 4. §. 3. numer. 84.* ubi illud portentum subdit de eadem Sancta Maria

41 Ægyptiaca, dum idem Abbas Zosymus pervenisset cum Eucharistia usque ad Jordanem, & quomodo transigeret ad oppositam ripam, ubi à Sancta expectabatur, ignoraret. *Ecce Sancta Pœnitens, inquit, signo Crucis rapidum flumen super aquas transivit, sumptaque Sacra Eucharistia, iterum super aquas ad Eremum est re-*

42 *gressa.* De Sancta Maria Magdalena pariter legitur, quod triginta annis steterit in deserto, sed tempore ejus mortis accessit ad eam Sanctus Episcopus Maximinus, & ab eo Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini recepit. Vorag. Ribadeneira, & Villegas in ejus Vita 22. *Julii.* Conforme est aliud etiam exemplum Sanctæ Theoctistæ, de qua supra *decis. 43. n. 3.* cujus vitam ex Simeone Metaphraste (qui flo-

43 ruit paulò ante annos Domini 859.) transcribit præfatus Gononus *in Vitis Eremitarum Orientis pag. 72.* in qua refertur, post annos triginta septem, in Insula Paro ab eadem Sancta Anachoreta omninò incognita transactos, nobilem quemdam Venatorem Cretensem, Dei impulsu ad eam pervenisse, quæ narravit, quomo-

44 do, & quando dictam Anachoresim susceperit; deinde illum ita rogavit: *Peto autem, ut una in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno sequenti navigaturus es in hanc Insulam venandi causa, ut in Vase mundo mihi accipias unum ex intemeratis donis Corporis Domini Nostri JESU CHRISTI, ex quo enim hanc habitavi solitudinem, tali dono nequaquam sum dignata.* Id quod peregit bonus ille Venator sequenti anno, subdit enim Auctor Vitæ de ipso. *Ego autem eduxi de sinu meo Pyxidem cum Carne Domini. Cum illa autem in terram cecidisset, divinum donum accepit, & lamentationibus, ac lacrymis terram rigans dixit: Nunc dimittis ancillam tuam Domine. Quoniam viderunt oculi mei Salutare tuum. Quoniam rem sanctissimam peccatorum in manibus accepi. Nunc abba, quò tua me vibet potentia.* Et non multos post dies exspiravit. Eamdem vitam Italico Idiomate, & eleganti methodo scribit R. P. *Carolus Gregorius Rosignolus Soc. Jesu in libello la Pietà ossequiosa in festo SS. Sacramenti.* Ineffragabile est etiam exemplum Sancti Ambrosii Archiepiscopi, & Ecclesiæ Doctoris, de quo ægrotante ita testatur *Breviar. Roman. 7. Decembr. lect. 6. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus accurrit, eique Sanctum Domini Corpus præbuit: quo ille sumpto, conformatis in Crucis similitudinem manibus, orans animam Deo reddidit.*

Non absimile est exemplum Sancti Maræ Abbatis, ad quem nonagenarium, & per annos XXXVII inclusum, ut scribitur in *suis Ephemer. Hieron. à Basilica Petri die 25. Januar. numer. 3.* cum pervenisset Theodoretus Episcopus Cyri, litavit super manibus Diaconorum, & Sancto Seni Abbati Sacram Eucharistiam dedit. Alia passim exempla reperiuntur in vitis SS. Eremitarum, de quibus Surius, Lipomanus, & alii.

Circa tertium dictum, quod plerumque Sancti Angeli ministraverint Sacram Eucharistiam Anachoretis, aliisque Viris Eremitis inclusis pro Dei amore, 45 in desertis, ac sylvis, incognitis hominibus, mihi arridet ex sequentibus.

Primò

Primò ex Vita Sancti Onuphrii Confessoris, de quo ita ait *Martyrolog. Roman. die 12. Junii. In Ægypto S. Onuphrii Anachoretæ, qui in vasta Eremo sexaginta annis vitam religiosè peregit, & magnis virtutibus, ac meritis clarus migravit in Cœlum, cujus insignia gesta Paphnutius Abbas conscripsit.* Modò idem Abbas Paphnutius testatur, quod *singulis Dominicis diebus Christi Corpore, & Sanguine Onuphrius cum sociis ab Angelis mirabiliter reficiebatur*, ut referunt concorditer P. *Alexius Segalla*, ac *Ribadeneira* in Vita ejusdem Sancti Onuphrii, nec non Joan. Bonifacius Bagatta *d. tom. 2. libr. 3. cap. 3. § 4. numer. 1.* Secundò, quia Sacram Eucharistiam non semel ministratam per Sanctos Angelos Sancto Marco Monacho in Ægypto scribit Bollandus *tom. 1. Mense Martio*, & ex eo Hieronym. à Basilica Petri *eodem Mense Martio pag. 82.* ac etiam P. Bagatta *d. §. 4. numer. 2.* his verbis: *Tanta erat S. Marco Monacho in Ægypto cordis munditie, ut Presbyter sanctè juraret, se numquam Marco Monacho præbuisse Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; sed cum ad eum accederet, ab Angelo ei fuisse porrectum.* Tertiò, quia scriptum legimus in Chronicis Sancti Francisci *part. 2. libr. 2. cap. 2. numer. 6.* quod Sancto Bonaventuræ ex nimio timore abstinenti à Sacra Communione, eam Angelus præbuerit. Quartò, ob testimonium de consimili administratione Sacræ Eucharistiæ per sanctos Angelos facta Majoro Episcopo Dolensi, de quo Petrus de Natalib. *in Catalogo Sanctor. libr. 9. capit. 103.* & P. Bagatta *d. §. 4. numer. 7.* ita testantur: *Majorus Episcopus Dolensis, dum celsitu Dolensi Ecclesia solitarius degeret, de sui obitus imminente die fuit ab Angelo edoctus: post dies autem paucos ipsemet Angelus tradidit ei (tamquam moribundo) Viaticum Corporis Domini.* Quintò, Quia idem privilegium concessum fuit Sanctus Ludano, siquidem, ut habet Bollandus *in actis Sanctor. Februarii tom. 2.* Cum Sanctus Ludanus Scotorum Ducis Filius, contempto sæculo ad sancta loca peregrinaretur, tandem ad quandam ulmum, seu arborem pervenit in Diœcesi Argentinensium, in banno villæ Northus, secus fluvium, qui de superioribus partibus currens nominatur Ylsa, à quo nuncupatur tota Alsatia. Sub cujus arboris umbra extra villam quiescere desiderabat; ibique quiescens, divinitùs sibi revelatum est, instare ultimum suum diem. Evigilans autem rogavit Dominum, ut priùs non discederet, quàm Corpus Christi sumeret. *Tunc veniens Angelus, ipsum communicavit, quo facto dixit: In manus tuos Domine commendo spiritum meum*, & expiravit. Idem legitur apud Hieronym. à Basilica Petri *d. Mense Februar. tom. 2.* & Bagattam *d. § 4. num. 8.* Sextò, quia Divina clementia voluit Angelorum ministerio dari sacrum Viaticum Sancto Raymundo Nonnato, de quo ita *Breviarium Romanum 31. Augusti lect. 6. Romam verò pergens, statim ac Cardonam pervenit, extremo morbo confectus, Ecclesiasticis Sacramentis muniri summis precibus postulavit. Cumque morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio, sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium, salutari Viatico refectus fuit.* Septimò, item & Ven. Sorori Dominicæ à Paradiso fundatrici Monialium Sanctæ Crucis Florentiæ Sacram Synaxim administrandam Sancti Angeli portaverunt, teste *F. Ignatio à Nente in ejus Vita libr. 2. capit. 48.* Octavò adstipulatur *Bernardus Mariæ* apud Raynaldum de Beata Dorothea, quæ in Prussia Anno 1399. ad Cœlos evolavit, cum enim esset morti proxima, & non esset, qui eam Sacro Viatico reficeret sanctis Angelis inservientibus, *ipsemet Salvator noster JESUS CHRISTUS, cum Sanctissima Matre sua apparuit, & eam ipsemet proprio Corpore sub speciebus panis communicavit.* Nonò. Quia Beatæ Veronicæ datam fuisse Sanctam Communionem à Sanctis Angelis legitur *in Tento Florid. 2. part. libr. 5. capit. 31.* & apud Hieronymum à Basilica Petri *die 13. Januarii.* Decimò. Idem privilegium Beato Stanislao Koskæ eunti Dilingam, fuisse concessum scribit Pater Daniel Bartol. *in ejus Vita libr. 1. capit. 8.* Undecimò. Sacra Communione refectus pa-

tiur

riter à SS. Angelis B. Agnetem de Monte Politiano *die 20. Aprilis*. Ven. Matrem Passiteam Senensem *die 11. Maii*. Ven. Metildem Monialem Benedictinam è Bavaria *die 6. Julii*. Ven. Beatricem Ordinis Minimarum Sancti Francisci de Paula *die 27. Augusti*. Aliam devotam Anonimam *die 26. Septembris*, vulgari sermone, sed non vulgari stylo scribit *P. Franc. Marchesius Congreg. Orat. Romæ in Diario Sanctissimi Sacramenti*. Tandem etiam sorori Pudentianæ Zanoniæ Virgini Bononiensi, ex Tertio Ordine Sancti Francisci hujusmodi gratia fuit cælitùs concessa, ut plurics à Sanctis Angelis Sacra Eucharistia ei præberetur, ut in ejus vita narrat *Joannes Andreas Rota Canonicus Bononien. ac Monialium ibidem Vicarius cap. 11. & cap. 18.* Igitur sicut sæpè Divina clementia voluit famulis, ac famulabus suis dilectis per manus sanctorum Angelorum Venerabile Sacramentum porrigere, cur detrectabimus credere, eadem gratia dignatos fuisse sanctos illos Eremitas, qui in Anachoresi excelsam pœnitentiam, ac cœlestium contemplationem, pura mente, diù erant prosequuti?

Sed non est omittendum, Anachoretas Inclusos omninò incognitos cuicunque alteri homini post quintum sæculum à mundi Redemptione vix reperiri; quandoquidem sequentibus annis ferè omnes in sylvis, cavernisque permanentes aliquem habebant fidelem amicum, à quo necessaria pro sustentatione corporis recipiebant, & per consequens etiam spiritualia sibi dabantur. Testis sit auctor Vitæ Matris S. Hervæi Eremitæ Britanni, de qua supra *num. 30. ex Gonono in Vitis PP. Occiden. pag. 115.* ad quam in abscondita sylva reclusam ductus fuit ipse Hervæus filius à *Ulpredo viro optimo, qui locum, in quo Mater ejus morabatur, sciebat*. Et ibidem post mortem Matris Anachoresim faciente eodem S. Hervæo, tempore sui obitus habuit nuncium, qui & Episcopum, & ejus conjunctos monitos faceret: unde subdit Auctor prædictus, quod fuit *Visitatus à parentibus, & Episcopo, qui ei sacrosanctum Eucharistiæ tradidit Sacramentum, deinde migravit ad Dominum Anno 580.* Et ex his resoluta sit, prima pars Quæsiti de Communione Eremitarum, & Inclusorum in desertis.

Cæterùm, quia jampridem Quæsitum hoc proposui *R. P. D. Hieronymo à Basilica Petri*, olim hic Patavii Aulico Nobili Eminentiss. ac Reverendiss. Domini mei Cardinalis Barbadici, nunc autem Sacerdoti Congregationis Oratorii Neapolis, Viro pietate, lectione, ac intelligentia Historiæ Sacræ conspicuo; meique amicissimo, à quo fuit communicatum Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Pompeo Sarnellio Episcopo Vigiliarum, cujus eximiæ bonitatis, & eruditionis radii coruscant *in Speculo Cleri sæcularis Opere tripartito*, per eumdem Prælatum in lucem edito Neapoli Anno 1678. Et in ejus Epistolis Ecclesiasticis typis impressis, pariter Neapoli Anno 1686, à quo quidem Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Sarnellio data fuit pro responso sequens Epistola; placuit mihi eam hic inserere in obsequium Auctoris Litteratissimi, ejusque egregiæ doctrinæ, qua magis, magisque elucidatur Quæsitum ipsum de Anachoretarum Communione.

Tenor Epistolæ responsivæ ad prædictum R. P. D. Hieronymum à Basilica Petri talis est.

MOLTO

# MOLTO REVERENDO PADRE

## Signor mio Padrone

# OSSERVANDISSIMO.

O Padre Bafcapè, mio Signore, da quando in quà le Nottole fono divenute uccelli di luce? Di quando in quà le Aquile dimandano lume à Pipiftrelli? Che mi creda qualche cofa Monfignore Chericato, che non mi conofce, và bene; mà ella, che mi conofce? Or via io vò credere, che trattandofi de Romiti, debba fentirfi il parere de gl' humili Ubbidifco.

E adunque il dubbio. Come tanti Romiti Santi fiano ftati 40, 50, 60, e più Anni nelle fpelonche fenza i Sagramenti della Confeffione, e Communione; mentre, l'ufo di quefti è de Jure Divino; per quanto il Commune de Theologi afferifce, e San Marco Romito, ficome fcrivono più Auttori, che viffe 130 Anni, e di effi ne paffò 95 in una fpelonca, fenza havere ne vifto, ne parlato con perfona alcuna, folo hebbe nella morte un'altro Romito non Sacerdote, acciòche intendeffe, e divulgaffe la di lui fanta Vita, e gli affifteffe alla morte.

Per ripigliare la cofa, come fi fuole dire, ab ovo concedo in prima effere veriffimo, che la Confeffione, e Communione fia de Jure Divino, mà ftandofi in quefto Jus divino, in quanto alla Confeffione, effo obliga fol quelli, che hanno confcienza di peccato mortale, e queft'obligo preme almeno nell'articolo, ò nel probabile pericolo della morte. Di nuovo l'obligo di confeffarfi è di due maniere, *vel in Re*, *vel in Voto*. In Re, effendovi l'opportunità del Sacerdote, in Voto, non effendovi quefta opportunità, cioè à dire facendo atto di contrizione, col defiderio di confeffarfi fagramentalmente, fe poteffe. Mà chi è, che dirà, che quei Romiti, i quali fi ritiravano ne i deferti, dove fapevano non poter' havere commodità di Confeffore, non fi confeffaffero prima, e ben lavaffero la cofcienza loro, come habbiamo, che fece Santa Maria Eggiziaca nella Chiefa di San Giovanni, dove fi Confefsò, e Communicò prima di andare al diferto? Mà mi fi opporrà. E fe ftando ivi haveffero di nuovo mortalmente peccato? Rifpondo effere piene le vite de Padri de gl'efempli, che i più timori folitarii, occorrendo, che foccombeffero alle tentationi, lafciavano il diferto, ed andavano à Conventi per confeffarfi. E quando mai non haveffero havuto Sacerdote, baftava, come hò detto, la contritione col voto della fagramentale Confeffione, e quella tanta penitenza ammirabile, anzi che inimitabile, che vi aggiungevano. Hò detto, ftando nel Jus divino; perciòche il Precetto della Chiefa di Confeffarfi almeno una volta all'Anno, è da Innocenzo Terzo in quà dell'Anno 1215. Mà pofto, che nel tempo di quei Romiti foffe ftato altro precetto, pure i precetti della Chiefa obligano quei, che ponno, e non quei, che fono impotenti, come erano quei Romiti da divina ifpirazione, anzi da aperte rivelazioni indotti à quel genere di vita folitaria.

Altretanto dico della Communione, effendo ella de Jure Divino neceffaria di neceffità di mezzo, *vel in Re*, *vel in Voto*.

In

In Re, se ve n'è l'opportunità, ed in Voto, se non si può altrimenti. La dottrina di San Tomaso è chiarissima nella part. 3 q. 80 art. 11 *in Corp.* dove così dice. *Duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet Spiritualis, & Sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum; & ideò sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset.* Ecco adunque come quei Santi Romiti si Communicavano spiritualmente, e senza dubbio si sarebbero Communicati anche sagramentalmente, quando ne havessero havuto l'opportunità. Sicome detestabili erano quelli, che havendone l'opportunità, ciò non ostante più, e più Anni, se ne stavano senza Communicarsi; onde Innocenzio III. nel *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnit. & Remiss.* notissimo, ordinò, che tutti i fideli giunti à gl'anni della discrezione fossero tenuti di Communicarsi sagramentalmente almeno una volta all'Anno. Quanta fame ne havessero quei Santi Romiti appare dalla vita di Santa Maria Egiziaca, che per 47. Anni essendosi Communicata spiritualmente, si raccomandò all'Abbate Zosimo, che la Communicasse sagramentalmente prima di morire, sicome ottenne.

Ed io voglio credere, che tutti quei Santi Romiti, che vissero assai lungi da' Monasteri, solitari, ed ignoti, mà per Divina rivelazione scoverti ad altri Monaci, questi ancorche non Sacerdoti, mà Laici Religiosi portassero loro la Santissima Eucharistia; il che s'intenda per quelle parole di benedizioni, e di azzioni di grazie, che facevano insieme.

Che Religiosi non Sacerdoti potessero all'hora portare loro la Santissima Eucharistia, è cosa notissima nelle storie Ecclesiastiche, perciòche essendosi introdotto nel tempo delle persecutioni, che non potendosi i Christiani raunare spesso insieme, fù lor conceduto, che, perche fossero sempre disposti, e presti al martirio, quando intervenissero alla Messa, non pure si Communicassero, mà etiamdio portassero à casa delle Particole, che conservate con molta riverenza prendevano digiuni ogni mattina per tempo. Di questo uso fà menzione San Basilio, scrivendo ad Cæsariam Patritiam, mentre dice, che gli stessi Laici d'Alessandria, e d'Egitto, per la maggiore parte conservavano la Communione nelle proprie case, ed oltre à San Basilio moltissimi de gl'antichi Padri fanno di ciò chiara testimonianza: ed a dì nostri rapporta il Padre Segneri nel Christiano Istruito, fù ciò conceduto dal Romano Pontefice alla Reina Maria Stuarda, desiderosa di potere colla Santissima Eucharistia stare più munita alla morte, che poi sostenne con tanta gloria della vera Religione Christiana, e scorno della contraria.

Notissimo per gli tempi andati è il fatto di Serapione presso il Cardinale Baronio *Anno 255. num. 33.* il quale non potendo essere sciolto da' legami del corpo senza la Santissima Communione, mandò un fanciullo suo Nipote dal Prete, che quegli venisse à communicarlo, mà trovandosi il Prete ancora malato, questi mandò la Particola per quel garzoncello medesimo, ordinandogli ciò, che havea à fare, ed il garzoncello communicò il Vecchio moribondo, che ricevuta la Santissima Communione rese l'Anima à Dio.

Che poi i Monaci commoranti nel diserto, dove non vi havea Sacerdote, tenendovi la Communione, la pigliavano per sè, lo riferisce San Basilio nella Pistola sopracitata, e quest'uso dice il Cardinale Baronio (*Anno 57.*) durò nella Chiesa Occidentale fino ad Ormisda Papa il meno; quando fù tolta via dal Concilio Cesaraugustano in Ispagna. Mà nella Chiesa Orientale continuò dopò i predetti tempi, sicome fan manifesto molti Esempli del Prato Spirituale, nel quale parimente si hà, che la Santissima Eucharistia conservavasi da un anno all'altro; cosa tanto pratticata da' Greci, che fù prohibita da Papa Clemente VIII. nella Costitutione, che comincia. *Sanctissimus Dñs.* la 34.

Si che

Si che havendo i Monaci, benche all'hora Laici, la SS. Eucharistia, e potendola essi portare, anzi portandola seco ne' viaggi (come S. Ambrosio conta di Satiro suo fratello; e S. Gregorio di Massimiano Vescovo di Seragusa, e che tale usanza in qualche luogo durasse fino à giorni di Alessandro Terzo, lo fan palese gl'atti di S. Lorenzo Vescovo Dubbinense) non resta da dubbitare, che mandati essi da Dio à visitare Monaci Solitari, non portassero seco la SS. Communione, sapendo essere mandati, quando coloro erano vicini alla morte, come fù mandato S. Antonio Abbate à S. Paolo primo Romita, il Monaco à S. Marco Romita rapportato, ed altri molti, come nelle Vite de SS. Padri.

Mi si replicherà, che ciò non si trovi scritto. Adunque nè meno S. Antonio Abbate, nè tanti altri, che morirono ò frà Monaci, ò nelle Città, nè si confessarono, nè si communicarono, perche nelle Vite loro non è scritto? Questa sarebbe una consequenza molto assurda; sapendosi, che chi scrisse le vite loro, badò à narrarne gl'esempli, e documenti, non tutte le minuzie, che si debbono supporre. E chi legge la vita della gran Peccatrice, e poi massima Penitente S. Maria Egiziaca, crederà, che se ne andasse al diserto, senza ne men confessarsi, prima di ritirarsi alla Penitenza? E pur è vero, che ciò non sarebbe scritto, se nel fine del racconto della sua vita, coll'occasione di dimandare la Communione, non havesse detto, essere passati 47. anni, che non si era communicata sagramentalmente, da che si communicò prima di entrare nel diserto nella Chiesa di S. Gio: Battista, presso il Giordano. Diremo dunque, che si communicò senza confessarsi, perche non è scritto? Sarebbero queste inezzie. Sicche io tengo per indubitato, che quei Santi Romiti, che furono visitati nel fine della loro Vita, ricevessero tutti il Santissimo Viatico, e quei che non furono visitati, si communicassero Spiritualmente.

Mà come sono io sciocco, portando nottole in Atene? P. Bascapè mio Signore, io hò risposto per ubbidire, benche io stia qui senza libri; se mi fossi trovato in Benevento presso la Biblioteca del mio Signore Cardinale Arcivescovo Orsini, haverei potuto dir qualche cosa più à proposito. Supplisca hora la vastissima erudizione di V. S., che ella non può nascondere, mentre i suoi libri dati alle Stampe la palesano. E raccomandandomi alle sue Sante Orationi, à V. S. bacio divotamente la mano.

Di V. S. mio Signore 20. Giugno 1693.

Devotiss. servitore obligatiss.

Pompeo Vescovo di Bisceglia.

Restat pro complemento totius Quæsiti, ut uno verbo resolvatur ejus pars ultima, videlicèt, *quomodo iidem Anachoretæ adimplebant Præceptum de audienda Missa festivis diebus?* Circa quod sciendum est, hoc præceptum emanasse à Sanctis Apostolis, & semper fuisse in Ecclesia custoditum, ut habetur *in cap. Omnes fideles* 62. *& in cap. Missas* 64. *De Consecrat. dist.* 1. de quorum Canonum intelligentiâ videndus Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 2. ubi refert opinionem aliquorum opinantium, præceptum de audienda Missa diebus festis obligasse tantùmmodò seculares, ut in d. *cap. Missas*. Sed Anachoretæ, & Eremitæ non erant sæculares, eo, quod sunt personæ Ecclesiasticæ. Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 106. Ricciullus *Lucubrat. Ecclesiastic. lib.* 3. *capit.* 3. *num.* 1. *ubi text. & DD.* Ergo iidem non afficiebantur dicto præcepto.

51

Porrò hæc ratio non stringit, quia *cap. Omnes fideles* comprehendit tàm sæculares, quàm Ecclesiasticos, circa obligationem audiendi Missam festivis diebus; Ideircò, subdit ibidem Azorius: *Veteres illi Monachi Anachoretæ, cum divini obsequii causa in solitudinem sese conferrent, putabant, se hujusmodi more, & consuetudine minimè teneri; cum procul ab hominum frequentia remoti, à sacris ædibus abessent.* Dicendum est igitur, quod bona fides excusabat priscos illos Eremicolas ab hac obligatione audiendi Missam, ut notat etiam Gobat *in Theolog. Experim. tract.* 5. *num.* 519. Mastrius *in*

52

*Theolog Morali disp* 12. *num* 38 *in fine* & Diana Coordinatus *tom* 2. *tract* 3 *resol.* 6 & 7 ubi agit de distantia ab Ecclesia, ut distans non teneatur audire Missam, quarum resolutio prima habetur *part* 10. *tract* 11 *resol* 8. Altera verò *d part.* 10. *tract* 25 *res* 35.

Et ex his finis impositus sit præsenti tractatui de Venerabili Eucharistiæ Sacramento, & Decisionibus Casuum anni 1689 In quibus quæcunque dixi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Magisterio, & correctioni subjecta semper esse volo, ac profiteor.

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM,

Quæ in his Decisionibus continentur; Serie Alphabetica digestus.

### A

B



Cada-

## C



super

multi-

D



Desitio

F



Fami-

G.



H.



Qq a cibo

Inro-

L



Lex

Missæ

## N



Novitiæ,

fus

Privi-

## Q.



## R.

pestis.

T



Taber-

V



Vetita

Z



F I N I S.